



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



## A propos de ce livre

Ceci est une copie numérique d'un ouvrage conservé depuis des générations dans les rayonnages d'une bibliothèque avant d'être numérisé avec précaution par Google dans le cadre d'un projet visant à permettre aux internautes de découvrir l'ensemble du patrimoine littéraire mondial en ligne.

Ce livre étant relativement ancien, il n'est plus protégé par la loi sur les droits d'auteur et appartient à présent au domaine public. L'expression "appartenir au domaine public" signifie que le livre en question n'a jamais été soumis aux droits d'auteur ou que ses droits légaux sont arrivés à expiration. Les conditions requises pour qu'un livre tombe dans le domaine public peuvent varier d'un pays à l'autre. Les livres libres de droit sont autant de liens avec le passé. Ils sont les témoins de la richesse de notre histoire, de notre patrimoine culturel et de la connaissance humaine et sont trop souvent difficilement accessibles au public.

Les notes de bas de page et autres annotations en marge du texte présentes dans le volume original sont reprises dans ce fichier, comme un souvenir du long chemin parcouru par l'ouvrage depuis la maison d'édition en passant par la bibliothèque pour finalement se retrouver entre vos mains.

## Consignes d'utilisation


Google est fier de travailler en partenariat avec des bibliothèques à la numérisation des ouvrages appartenant au domaine public et de les rendre ainsi accessibles à tous. Ces livres sont en effet la propriété de tous et de toutes et nous sommes tout simplement les gardiens de ce patrimoine. Il s'agit toutefois d'un projet coûteux. Par conséquent et en vue de poursuivre la diffusion de ces ressources inépuisables, nous avons pris les dispositions nécessaires afin de prévenir les éventuels abus auxquels pourraient se livrer des sites marchands tiers, notamment en instaurant des contraintes techniques relatives aux requêtes automatisées.

Nous vous demandons également de:

- + *Ne pas utiliser les fichiers à des fins commerciales* Nous avons conçu le programme Google Recherche de Livres à l'usage des particuliers. Nous vous demandons donc d'utiliser uniquement ces fichiers à des fins personnelles. Ils ne sauraient en effet être employés dans un quelconque but commercial.
- + *Ne pas procéder à des requêtes automatisées* N'envoyez aucune requête automatisée quelle qu'elle soit au système Google. Si vous effectuez des recherches concernant les logiciels de traduction, la reconnaissance optique de caractères ou tout autre domaine nécessitant de disposer d'importantes quantités de texte, n'hésitez pas à nous contacter. Nous encourageons pour la réalisation de ce type de travaux l'utilisation des ouvrages et documents appartenant au domaine public et serions heureux de vous être utile.
- + *Ne pas supprimer l'attribution* Le filigrane Google contenu dans chaque fichier est indispensable pour informer les internautes de notre projet et leur permettre d'accéder à davantage de documents par l'intermédiaire du Programme Google Recherche de Livres. Ne le supprimez en aucun cas.
- + *Rester dans la légalité* Quelle que soit l'utilisation que vous comptez faire des fichiers, n'oubliez pas qu'il est de votre responsabilité de veiller à respecter la loi. Si un ouvrage appartient au domaine public américain, n'en déduisez pas pour autant qu'il en va de même dans les autres pays. La durée légale des droits d'auteur d'un livre varie d'un pays à l'autre. Nous ne sommes donc pas en mesure de répertorier les ouvrages dont l'utilisation est autorisée et ceux dont elle ne l'est pas. Ne croyez pas que le simple fait d'afficher un livre sur Google Recherche de Livres signifie que celui-ci peut être utilisé de quelque façon que ce soit dans le monde entier. La condamnation à laquelle vous vous exposeriez en cas de violation des droits d'auteur peut être sévère.

## À propos du service Google Recherche de Livres

En favorisant la recherche et l'accès à un nombre croissant de livres disponibles dans de nombreuses langues, dont le français, Google souhaite contribuer à promouvoir la diversité culturelle grâce à Google Recherche de Livres. En effet, le Programme Google Recherche de Livres permet aux internautes de découvrir le patrimoine littéraire mondial, tout en aidant les auteurs et les éditeurs à élargir leur public. Vous pouvez effectuer des recherches en ligne dans le texte intégral de cet ouvrage à l'adresse <http://books.google.com>



3 3433 06827800 5





ZMTF  
Bellec











1951  
F. J. L.

AST  
100

100  
3






SECRET  
FOLIO 100

AST  
10



*Memorare o piissima Virgo Maria, non  
esse auditum a saeculo quemquam, ad tua  
currentem presidio, tua implorantem au-  
silio, tua potentem suffragia, esse derelictum!  
Ergo tali animatus confidentia ad te, Virgo,  
Veniunt, mater, curro ad te, veni, cum te  
numquam precator assidet, noli mater Verbi  
verba mea despiciere, sed audi propitius et*

*oculi Amen.*



.....





<sup>im</sup>  
**R. P. ALOYSII BELLECH,**

SOC. IESU SS. THEOLOGIAE DOCTORIS,

# **MEDULLA ASCESEOS**

SEU

**EXERCITIA S. P. IGNATII**

3035<sup>ma</sup> DE LOYOLA 1297<sup>c</sup>

SECURATORI ET MENTI EJUS PROPRIORI METHODO  
EXPLANATA. — 12974

TEXTUM RECOGNOVIT ET APTIS AUXIT ADDITAMENTIS

NEC NON

**CONSCIENTIAE EXAMEN**

ADJECIT

**E. W. WESTHOFF,**

PAROCHUS DIESTEDDENSIS SS. THEOLOGIAE DOCTOR.

EDITIO SECUNDA.




CUM PERMISSU SUPERIORUM.

**MONASTERII WESTPHALORUM,  
SUMPTIBUS J. H. DEITERS.**

MDCCCXLVI. 1846 A. 21

17974



„Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia  
„super te, abscondere modicum ad momentum“.

Isa. 26, 20.

DIVO  
**IGNATIO DE LOYOLA**


PATRIARCHAE GLORIOSISSIMO,  
SOCIETATIS JESU FUNDATORI SANCTISSIMO,  
FIDEI ROMANAE PROPUGNATORI ACERRIMO,  
PIETATIS CHRISTIANAE ASSERTORI INVICTISSIMO,  
ECCLESIAE ATLANTI,  
HAERESUM EXTERMINATORI, LEMURUM DOMITORI,  
DAEMONUM FLAGELLO, INNOCENTIAE ASYLO,  
SANCTITATIS IDEAE, DEMISSIONIS MAGISTRO,  
PRUDENTIAE MIRACULO, ORBIS THAUMATURGO,  
S. S. EXERCITIORUM AUCTORI ET MUNDI PER EA REPARATORI

SE HASQUE PAGELLAS RELIGIOSISSIMO AFFECTU

D. D. D.

FILIORUM MINIMUS  
AUCTOR  
A. BELLECIUS.

P.





„*legendi pia et sacra non est scire, sed agere; non loqui, sed proficere. Nihil enim prodest agenda didicisse, si quae didicimus, non agamus*“.

Quum primum illa editio in lucem prodisset, Reverendissimus Illustrissimusque Dominus, *Casparus Maximilianus, Episcopus Monasteriensis*, quem Deus Optimus Maximus ad Ecclesiae bonum sospitem in annos multos incolumemque servet, synodali decreto d. d. Monasterii quarto Martii 1845. „*hunc librum iis, qui Exercitia spiritualia instituunt, utilissimum omnibus commendavit*“, simulque Ignatianae Asceti a clero frequentandae sedulam navavit operam. „*Inter media (verba sunt decreti synodalis), quae aedificando interiori homini inserviunt, non habemus, quod omnibus magis commendandum, quam Exercitia quae dicuntur spiritualia. Per ea enim clerico per multa negotia fere quotidie distracto datur occasio sese colligendi intra se, et qui continuo alienae animarum saluti inservivit, etiam suae ipsius animae salutis curam habendi suppeditatur occasio, statum suum internum cognoscendi, et quae vel ignorantia peccaverit, vel forsitan diabolica fraude vel propria iniquitate commiserit, in amaritudine animae suae deflendi. . . . Quare Nos Clementis Augusti Coloniensis simul et Monasteriensis Antistitis aliorumque Episcoporum Monasteriensium exempla sectantes, quae jam antiquitus de instituendis Exercitiis*

„spiritualibus pro hac Dioecesi sancita sunt, in me-  
 „moriā revocamus. Nam Clemens Augustus jam  
 „anno millesimo septingentesimo tricesimo octavo  
 „per decretum synodale, quod his verbis orditur:  
 „*Cum omnibus presbyteris curatis et in cura*  
 „*animarum constitutis omnino salubre esse cogno-*  
 „*verimus, ut quotannis Exercitia spiritualia*  
 „*subeant* etc., suae Dioeceseos presbyteris subeunda  
 „quotannis Exercitia commendavit. Idem decretum  
 „ab eodem Antistite renovatum est anno ejusdem  
 „saeculi quadragesimo primo his verbis: „*Sacer-*  
 „*dotes singulis annis per decem aut octo dies*  
 „*obeant maxima diligentia et pietate sacras spiri-*  
 „*tus Exercitationes sive Exercitia spiritualia*“.

Sectatus est Reverendissimus et Illustrissimus  
 Praesul egregia illa Antistitem, S. Caroli Borromaei  
 et S. Francisci Salesii, cum primis Romanorum Pon-  
 tificum exempla, qui Exercitia Ignatiana rite instituta  
 efficacissimum ad Dei gloriam et animarum salutem  
 promovendam, experientia magistra, habuere praesi-  
 dium. Sectatus est Innocentium fel. rec. Pap. XII.,  
 „qui confessarios invitavit, ut considerent semetipsos,  
 „eisque inculcat Prophetiae oraculum: *State super*  
 „*vias, et videte, et interrogate de semitis anti-*  
 „*quis, quae sit via bona, et ambulate in ea*<sup>1)</sup>);  
 „adeoque eis injungit, ut quotannis per aliquot  
 „dies se dedant Exercitiis spiritualibus, ut ra-

„tionem secum exigant de tremendo munere, quod „administrandum eorum humeris demandatum sit<sup>1)</sup>“.

Immo vero experientia duce haud invenies remedium magis efficax ad interioris vitae renovationem; et quotquot fuerint hujus sacri recessus rite instituti incolae, tot numerabis assertae veritatis testes, ut nullus unquam sit repertus, quem hac palaestra se excoluisse poenituerit. Vadem accipe S. Ignatium ipsum, qui, quum M. Mionam, suum olim confessarium Parisiis degentem, litteris datis Venetiis 16. Novembris 1536., ad obeunda haec Exercitia hortaretur, subjungit: „*Tum si te facti poenituerit, praeterquam quod poenam a te mihi imponendam nullam recuso, putato me irrisorem personarum spiritualium . . . . Semel et iterum et tertio et quoties valeo, ob Dei obsequium idem ipsum efflagito: ne ad extremum Divina Majestas requirat ex me, quod non a te totis meis viribus postulaverim; cum sit illud optimum, quod ego in hac vita possum cogitare, sentire et intelligere, tum ut homo sibi ipsi proficere, tum ut in aliis multis fructificare eisque prodesse possit*“.

Quae cum ita sint, suscipe hocce opusculum, benevole Lector, nitide adornatum, eoque utere, qua animi sinceritate est compositum, in tuum emo-

---

<sup>1)</sup> Litterae pastoral. Cardinal. Carpegna editae anno Jubilaei 1700 ad confessarios districtus Romani.

lumentum spirituale. Quia, dum in carne et mundo hoc versamur, *necesse est, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: magna divinae pietatis dignatione provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem aliquot dierum nobis exercitatio mederetur*<sup>1)</sup>. Vale.

Diestedde die sancto Aloysio Gonzagae sacra.  
1846.

E. W. WESTHOFF,  
PAROCHUS.

---

<sup>1)</sup> S. Leo serm. 4. Quadrages.

---

AUCTORIS  
P R A E F A T I O .

---

**L**icet nostra hac aetate frequentissimus sit sacrorum Exercitiorum usus, minime tamen is est, qui aliquando, eorundem fructus. Olim ex illa spirituali eremo reduces diversam penitus ab ea, quam antea tauerant, vivendi rationem inierunt, atque etiam stabiles continuarunt. Nunc vero plerumque tales inde denuo egredimur, quales ingressi fuimus, nec hilo meliores. Vel si etiam fervoris aliquid ac piae mutationis in animum fors moresque irrepserit, mox iterum proxima cum luna faciem vitamque mutamus, vix menstrui jam sancti.

Nempe (quae mali causa est) exercitationes hae non obeuntur eo, quo S. P. Ignatius cupit, modo. Deviat ab ejus mente; hinc etiam a scopo aberratur. Non satis presse ejusdem sensis insistitur, proposita non eo, quo oporteret, diriguntur, *commentationum nexus operisque compages non rite*

attenditur; ideo nec optatus inde fructus colligitur. **Exercitium electionis, quocum tamen omnia suo quasi cum centro juncta cohaerent, plerumque negligitur. Meditationes quaedam fundamentales, v. g. de regno Christi, duobus vexillis, tribus hominum classibus et totidem gradibus humilitatis, quibus tamen veluti jactae basi divinum hoc aedificium innititur, non raro vel omnes vel saltem harum aliquae aut penitus omittuntur, aut solum obiter peraguntur; quin latens sub cortice medulla degustetur, et quo collineent, satis attendatur. Unde fit, ut saluberrimi hujus inventi praecipua efficacitas enervetur. Huic igitur morbo praesenti opusculo medelam afferre constitui.**

**Dent Superi, ut votis respondeat eventus et conatui effectus, totque in posterum numeremus sanctitudinis asseclas, quot sanctae hujus solitudinis incolae; horum autem ex numero ut et ego sim, benigne Lector, tuis precibus effice, tibi que argumentum lectionis sacrae, cuilibet diei assignatae, singulariter commendatum habe. Ejus enim praesertim subsidio relatis supra defectibus occurrere studeo, et quidem secundum mentem S. Auctoris; cum nulla ibi doctrina afferatur, quae in ipso S. P. N. libello, aut hujus Directorio aliisque Interpretibus probatis fundata non sit.**

**Quanta autem auctoritate liber ille, qui Directorium inscribitur (nam de priori postea disserendi occasio erit) apud nos pollere debeat, inde colligitur, quod sit opus jussu Congregationis I. Genera-**

lis<sup>1)</sup> susceptum, *eoque consilio ad omnes Societatis provincias missum, ut ubique locorum peritiores hac in palaestra Patres experientia duce dispicerent, an aliquid addi aut detrahi, vel etiam commodius dici posse videretur. Ex quorum omnium sententiis ac judiciis postmodum Romam transmissis, et in quinta Congregatione Generali a deputatis hunc in finem Patribus diligenter atque exacte discussis, iterumque a R. P. N. Generali Claudio Aquaviva Patribusque assistentibus accurate perpensis, ea, quae ad propositum accommodatiora sunt visa, in hoc Directorium selecta sunt suisque locis digesta.* Ex quibus patet, quanto in pretio illud, nec non ea, quae inde excerpta praesenti opusculo sparsim inseruntur, documenta a nobis sint habenda. Meum ergo, quem tibi hic offero ductum, benevole Lector, fideli constantia secutus si fueris, sacro huic octiduo ingenti tuo emolumento vacabis.

---

<sup>1)</sup> In praefat. ad Direct. Item in ejus prooemio n. 11. et 12.

---

## Corrigenda.

---

Pag. 9	L. 27	pro	gratibus	lege	gradibus.
- 19	- 12	-	ementatio	-	emendatio.
- 32	- 17	-	seperari	-	separari.
- 45	- 14	-	lectiones	-	lectionis.
- 179	- 32	-	deetstatione	-	detestatione.
- 268	- 10	-	sanctus	-	sancti.
- 415	- 19	-	borum	-	horum.
- 436	- 33	-	niferorum	-	inferorum.

---



# I N D E X.

---

	Pag.
<b>Facilis methodus rite meditandi.....</b>	<b>3</b>
<b>Formulae aliquae affectuum .....</b>	<b>20</b>
<b>Introductio ad sacram solitudinem .....</b>	<b>37</b>
<i>Octiduum sacram. Dies prima.</i>	
<b>Medit. I. De fine hominis .....</b>	<b>59</b>
<b>Lectio de fundamento.....</b>	<b>65</b>
<b>Medit. II. De fine hominis religiosi .....</b>	<b>80</b>
<b>Consideratio de indifferentia.....</b>	<b>86</b>
<b>Medit. III. Repetitio utriusque prioris .....</b>	<b>96</b>
<i>Dies secunda.</i>	
<b>Medit. I. De poena peccati ab Angelis et Adamo Admissi ...</b>	<b>103</b>
<b>Lectio. De dolore et horrore peccati.....</b>	<b>112</b>
<b>Medit. II. De peccatis propriis.....</b>	<b>128</b>
<b>Consideratio de triplici peccatorum radice .....</b>	<b>136</b>
<b>Medit. III. De inferno .....</b>	<b>151</b>
<i>Dies tertia.</i>	
<b>Medit. I. De morte.....</b>	<b>162</b>
<b>Lectio de cognitione sui ipsius .....</b>	<b>169</b>
<b>Medit. II. De iudicio particulari .....</b>	<b>181</b>
<b>Consideratio. Methodus se parandi ad mortem.....</b>	<b>187</b>
<b>Medit. III. De filio prodigo .....</b>	<b>194</b>
<i>Dies quarta.</i>	
<b>Medit. I. De regno Christi .....</b>	<b>202</b>
<b>Lectio de imitatione Christi.....</b>	<b>207</b>
<b>Medit. II. De incarnatione .....</b>	<b>225</b>
<b>Consideratio de humilitate.....</b>	<b>232</b>
<b>Medit. III. De nativitate Christi .....</b>	<b>242</b>

<b>Dies quinta.</b>		<b>Pag.</b>
Medit. I. De Christi fuga in Aegyptum .....		248
Lectio de praevia animi ad electionem comparatione .....		254
Medit. II. De vita Christi occulta.....		273
Consideratio de mortificatione.....		277
Medit. III. De ascensu Christi in templum .....		292
<b>Dies sexta.</b>		
Medit. I. De duobus vexillis Christi et Luciferi .....		300
Lectio de scopo exercitationum praesentis diei.....		307
Medit. II. De tribus hominum classibus.....		327
Consideratio de tribus humilitatis gradibus .....		333
Medit. III. De praerogativis tertii gradus humilitatis .....		349
<b>Dies septima.</b>		
Medit. I. De iis, quae Christus passus est in honore, nec non de modo, quo ea est peressus ad nostram instructionem ..		353
Lectio de fructu exercitationum hodiernae diei .....		361
Medit. II. De iis, quae Christus passus est in corpore, nec non de modo, quo ea est passus ad nostram instructionem ....		381
Consideratio de felicitate et gloria animae contemptae et af- flictae.....		389
Medit. III. De morte Christi in cruce.....		400
<b>Dies octava.</b>		
Medit. I. De resurrectione Christi.....		410
Lectio pro ultima exercitiorum die.....		417
Medit. II. De amore Christi.....		430
Consideratio de conformitate voluntatis nostrae cum divina....		440
Medit. III. De amore Dei .....		452
Conscientiae Examen .....		463
Synopsis de servandis in statu clericali .....		519

---

**EXERCITIA SPIRITUALIA**  
**S. P. IGNATII DE LOYOLA**  
**EXPLANATA.**

---

„In mandatis tuis exercebor et considerabo  
vias tuas.“ Psalm. 118, 15.



**Anima Christi, sanctifica me,  
Corpus Christi, salva me,  
Sanguis Christi, inebria me,  
Aqua lateris Christi, lava me,  
Passio Christi, conforta me;  
O bone Jesu, exaudi me,  
Intra tua vulnera absconde me,  
Ne permittas me separari a te,  
Ab hoste maligno defende me,  
In hora mortis meae voca me,  
Et jube me venire ad te;  
Ut cum sanctis tuis laudem te  
In saecula saeculorum. Amen.**

---

## FACILIS METHODUS RITE MEDITANDI.

---

Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota  
die meditatio mea est. Psalm. 118, 97.

Cum oratio mentalis omnium Patrum iudicio sit efficacis-  
simum, praesentissimumque *subsidiū* perfectionis semi-  
tam giganteis passibus decurrendi; mirum sane est plurimos  
nihilominus reperiri, qui licet pia quotidie commententur,  
tamen adeo parum corrigantur; et licet virtutis regionem  
incolant tamen iisdem semper naevis scateant. Verum ratio  
in promptu est: nempe non *bene* meditantur, et ideo nec  
emendantur. Huic igitur malo ut aliqua saltem via occur-  
ratur, facilem rite meditando methodum, utpote quae sum-  
mopere necessaria est ad sacra Ignatiana Exercitia rite  
peragenda, suppeditare constitui iis, qui eam vel nunquam  
bene fuerunt edocti, vel ejus denuo sunt obliti: ut illi ha-  
beant, quod addiscant; hi vero, cujus memoriam refricent<sup>1)</sup>.  
Compendio tamen rem totam expedire lubet, tum ne pa-  
ginarum mole fastidiosus lector a lectione absterreatur,  
tum quia brevis ejusmodi summa obtinendo fini intento

---

<sup>1)</sup> Cfr. s. Franc. Sales. Philothea lib. 2. Cap. 1—19, ubi egregia  
rite meditando instructio scite perquam proponitur.

sufficiens est; siquidem sacri Octidui usu res satis superque dilucidatur.

### §. I. *De praeparatione meditationi praemittenda.*

*Ante orationem praepara animam: et noli esse quasi homo, qui tentat Deum*<sup>1)</sup>. Rationem suggerit S. Bernardus: *qualem, inquit, te paraveris Deo, talis tibi apparebit Deus*<sup>2)</sup>. Porro *praepraeparatio remota* orationi praemittenda tria complectitur puncta, 1. ut nocte praecedenti materia meditationis praelegatur: 2. ut ante somnum brevi temporis spatio de eadem cogitetur, una cum proposito mane constituta hora sine mora surgendi: 3. ut diluculo experrecti mox ad rem meditandam animum reflectamus. Ad argumentum meditationis pridie percurrendum quod attinet, ut id utiliter fiat, haec quatuor erunt accurate determinanda, 1. *veritas* perpendenda, 2. *fructus* eruendus, 3. *affectus* eliciendus, 4. *tessera* repetenda, seu saepius dein per diem in memoriam revocanda, nempe noctu antequam decumbas, mane dum e strato surgis, et etiam interdiu ante et post prandium, quando Numen Eucharisticum de more visitas. Est autem haec tessera brevis quaedam sententia, quae vel veritatem perpendendam, vel fructum inde eruendum, nempe meditationis propositum, paucis contineat.

*Praeparatio proxima* consistit in quibusdam actibus eliciendis illo tempore intermedio, quod intercedit inter pulsum horologii primi et secundi, id est duorum minutorum spatio, et quidem eliciendis uno passu distando a loco peragenda meditationi destinato. Sunt autem sequentes nempe 1. *actus fidei* de praesentia Dei et dignitate negotii nunc a te peragendi: 2. *doloris* de commissis defectibus orationis hujus fructum praecipue impediens: 3. *fiduciae* in Deum, una cum proposito cavendi in praesenti hac exercitatione omnes generatim defectus. En paradigma: *Credo Domine,*

<sup>1)</sup> Eccli. 18, 23, — <sup>2)</sup> Serm. 69. in Cant.

*me tecum nunc acturum de summi momenti negotio.* 2. *Doleo de omnibus peccatis meis, praesertim iis, quae orationis hujus fructum magis impediunt.* 3. *Confisus tuae gratiae, statuo nunc bene meditari, omnesque in hoc exercitio defectus vitare. Regem, cui omnia vivunt, o beati Caelites! venite, adoremus. — Fiat dein profunda genuflexio.*

*In oratione praeparatoria, cujus formulae sunt obviae, tres potissimum virtutum actus minime sunt negligendi,* 1. *propositum* iteratum vitandi omnes defectus in meditatione nuper admissos, vel alias committi solitos, unum vel alterum singillatim determinando. 2. Actus *diffidentiae* de viribus suis. Nam occulta illa sibi innitens praesumptio de suis quibusdam meritis, de bona praemissa praeparatione, de aliquo in perfectione progressu etc. mirum quantum impedit divinae gratiae affluxum; cum Deus superbis resistat etiam piis in rebus. 3. Actus *indifferentiae* circa orationis successum, dicendo: *Domine, si me vis esse in tenebris, sis benedictus; si in lumine, sis iterum benedictus; si desolatum, tentatum, distractionibus vexatum, sis benedictus. Fac mecum, sicut scis, et vis; nam scio, quod amator sis.* Ille enim nimis anxius timor, ne fors aridi in sicco haereamus, amoris proprii indicium est, suam satisfactionem non Dei voluntatem spectantis. His omnibus addatur actus *fidei* firmissimae de Deo nobis intime praesente, et ad omnes cordis et corporis motus vigili oculo attendente, haec enim fides omnis attentionis ac fervoris in meditando princeps incitamentum, mater, et anima est.

## §. II. *De praeludiis et exercitio memoriae.*

Praeludia plerumque tria esse consueverunt. *Primum* est brevissima rei contemplandae recordatio, consistens in eo, ut in medium proferatur parabolae sententia, vel mysterii, de quo agitur, historia. *Secundum* est imaginaria

constructio illius loci, ubi res consideranda fuit gesta. *Tertium* est petitio fructus inde eruendi. Finis et utilitas horum praeambulorum est duplex, 1. ut volatilis phantasia, quae fraeni impatiens, volucris levitate per omnes quatuor mundi plagas circumvolare amat, injectis sanctoribus vinculis constricta teneatur, harumque idearum beneficio certae cuiusdam rei alligata, non tam facile evagetur; aut si fors levis a scopo aberret, ut citius ad orbitam reducatur. 2. Ut sic animus aptior reddatur ad omnes argumenti partes expeditius ponderandas, ac majori cum motu penetrandas.

Porro haec praeludiorum compositio debet esse 1. *brevis*; secus nil differet a meditatione. Eidem bina horae minuta impendisse abunde sufficiet. 2. *Clara*; perinde ac si oculis coram aut quasi in tabula vivis coloribus cum omnibus adjunctis depictum cerneretur totum rei contemplandae mysterium. Quo enim vivacior talis repraesentatio fuerit, eo minus mens nostra distrahetur, et extra se ipsam evagans exulabit. Qua tamen in re cavendum est iis, quibus tenuior est imaginandi virtus, ne vim inferendo capiti, illud per dictam loci fabricationem obtundant, seque ad bene meditandum ineptos reddant. Quin imo si cui iste praeludiorum apparatus non arrideat, aut difficilior accidat, is eisdem penitus omissis, actum fidei de Deo sibi praesente, et cuncta arbitrante eliciat, opemque petat, ex assumpta orationis materia proficiendi.

Officium *memoriae* est proponere intellectui parabolam, mysterium, historiam aut veritatem considerandam. Ubi curandum, 1. ut exercitium memoriae sit *vividum*, praesens mysterium vel veritatem clare, distincte et per partes intellectui proponendo: locum, personas earumque actiones et verba vivaciter repraesentando, idque plerumque per applicationem sensuum et quidem ita, ac si hoc mysterium nunc primum patraretur, et quasi nos in eo ipso loco praesentes adessemus, ubi res gesta est. 2. Curandum, ut *sit breve*; in his enim ideis non consistit meditationis



uctus, sed sunt solum instrumentum, et via ad illum. 3. Ut rminetur aliquo convenienti, sed brevi *affectu*; praecipue tu fidei aut desiderii agnitae veritati obtemperandi.

Poterunt tamen interdum etiam nulli omnino affectus cercitio memoriae subjungi, quando scilicet intellectus pro versitate materiae statim progreditur ad considerandas et xpendendas veritates in proposito a memoria mysterio, arabola vel sententia latentes. Quin subinde omissio hoc agis explicito memoriae exercitio pro varietate materiae ox post praeludia (quae tunc vices exercitii memoriae ibeunt) sequi potest exercitium intellectus. Quod si fiat, unt in praeludio secundo (siquidem super mysterio vel arabola quis meditetur) personae, loca, actiones vivacius evissime tamen repraesentandae.

Ex his colliges discrimen, quod intercedit inter dictum aeludium, et exercitium memoriae. *Nam ibi (Directorii rba sunt) proponitur rei historia tantummodo genera- m, et quasi tota in communi, solum ut sciatur mate- a, de qua tunc cogitandum est, et ut anima incipiat tuari, atque ad eam elevari. Deinde vero in exer- tio memoriae incipit anima in singulis ejus partibus morari, easque ponderare, et penetrare. Id quod ibi- em per sequentem similitudinem apposite declaratur. Ut im quis conjicit oculos in tabulam aliquam pictam, in ea sit varietas rerum pictarum, prius unico intuitu nnia confuse cernit, et scit, quid in ea tabula conti- eatur; postea vero figit oculos in singulis particulari- us rebus, quae ibi pictae sunt, easque sigillatim melius t accuratius perpendit<sup>1)</sup>.*

### §. III. *De exercitio intellectus.*

Officium intellectus est circa propositam a memoria ma- riam discurrere, veritates aeternas in ea latentes serio

---

<sup>1)</sup> Direct. c. 19. n. 4.

expendere, illas praesenti animae statui applicare, et conclusiones practicas inde deducere; rusticum imitando, qui ex hac propositione rite considerata: *nisi ruri opus fecero, alimentis carebo*, provide concludit: igitur agrorum culturae insudandum est; atque hinc ad singularia descendendo, hoc nominatim tempore sulcandum, alio serendam, et occandum esse decernit. Hanc ergo argumentationem, quam colonus circa fruges, tu circa virtutes forma; et 1. veritatem aeternam in pridiana praeparatione jam definitam, serio apprehende, tecumque expende. 2. Reflexum dein obtutum in cordis intima defige, dispiciens, num dictae veritati tua etiam vita respondeat, id est, num vivas, prout vivendum credis? 3. Determina, quid agendum tibi in posterum sit, designando rem aliquam peculiarem, deinceps singillatim, certo tempore, et loco effectui dandam.

Porro facillimus filum discursus protelandi *modus* est, ut per sequentes quaestiunculas ingenii aciem acuamus, rerumque species excitemus, videlicet. 1. *Quid* perlectum modo punctum proponit *credendum vel sciendum*? 2. *Num* illud haecenus feci? 3. *Quid* imposterum faciam? 4. *Quomodo*, ubi, quando, quibus auxiliis id faciam? Item si perpendatur exequendae rei *necessitas, utilitas, aequitas, dignitas, jucunditas* et *facilitas*: nec non *damna* secus emersura, et *lucra* inde obtinenda, uberem ratiocinandi materiam haec puncta suppeditabunt. Subin etiam juverit ex semet-ipso percontari: 1. quid amico hac super re consilium expetenti suaderem? 2. Quid ipsus ego sub mortem, in iudicio ac aeternitatis aditu elegisse optabo? 3. Quid augmentum praesentis meriti, magnitudo futuri praemii, tot collata a Deo beneficia circa istud nunc agendum dictant? . . . Hae aliaeque similes industriae vastum discurrendi campum aperient.

Ceterum haec intellectus operatio tribus potissimum *dotibus* excellat, necesse est. 1. Sit *moderata*, id est, non sit

nimis intensa, ut caput laedat: nec tamen etiam nimis remissa, ut tepore langueat; sed sit sedata, non tamen sine vigore: tranquilla, non tamen sine vivacitate. 2. Sit *simplex*, hoc est, non assumantur nimis multae veritates simul considerandae, sed una solum vel altera, abjecta omni anxia de reliquis sollicitudine; praestat enim unicus ponderosior unio pluribus aliorum minutioribus fragmentis. Hae autem ipsae non sint subtiles, curiosae, inanes; sed practicae, utiles, solidae, recta tendentes ad persuadendum nobis propositum in pridiana praeparatione jam delineatum. 3. Denique non sit nimis *prolixa*. Hic enim ordinarius est scopulus, ad quem allisus orationis fructus perire consuevit; cum potior meditantium pars, utpote formandis conceptibus assueti, novitate eorum aut suavitate abrepti, iisdem justo amplius immorentur. Non quidem decet, hoc exercitium esse nimis praecipitatum, delectum dogma obiter tantum percurrendo, et perfunctorie ab uno ad alterum saltu illud solummodo cursim delibando; nec tamen etiam lentem esse convenit ac morosum, avara quadam et anxia cupiditate minutissima quaeque rerum adjuncta exartuando, omnesque puncti fibrillas, ne quid succi fors pereat, eviscerando. Itaque, ne meditatio in studium degeneret: semper plus temporis affectibus quam conceptibus, officio voluntatis quam intellectus tribuendum erit; cum nimia illa, quae formandis discursibus impenditur, mora praecipuam meditationis vim enervet, primario ejus fini adversetur, ac innumeris gratiae et gloriae gratibus per eliciendos alias supernos affectus obtinendis viam praeccludat.

Praeterea in exercitio intellectus observanda sunt sequentia. 1. Cavendae erunt illae sollicitationes, quae subinde angimur, ne fors nimis cito ab uno puncto ad alterum transeamus. Item reprimenda erit illa nimium avara cupiditas, omnes propositas in libro veritates perlegendi, ruminandi, easque ingenii acie exenterandi. Si aliquo in puncto praefixus inveniatur fructus, vel si Spiritus Sancti

motio vehementius sentiatur, mox ibi quiescendum, et interrupto ratiocinii filo cordis vela divino Flamini erunt pandenda. Reliqua, finita meditatione, perlegi poterunt. 2. Imo si quis ob nimiam intelligentiae foecunditatem primo statim intuitu assumptae materiae sensum intime perspiceret, hoc casu mox ommissa ulteriori ratiocinatione, ad exercitium voluntatis pergendum erit, illique affectui, quo quis amplius commoveri se sentit, liberius vacandum. Quod si postea hanc animae facultatem cum suis actibus in vado haerere contigerit, denuo ad exercitium intellectus redeundum, et ad aliam veritatem praedicto modo considerandam progrediendum erit.

#### §. IV. *De proposito.*

Sicut meditatio sine proposito est corpus sine anima, concha sine gemma; ita etiam propositum requisitis dotibus destitutum est flamma volatilis stupae, lux sine calore, ignis fatuus, oculis aliquantum illudens, et mox iterum disparans. Unde patet, quantopere curandum sit, ne unquam meditationi propositum, aut huic debitae qualitates desint. Hae autem sunt sequentes. 1. Concipiendum animi decretum non multiplex, generale et vagum; sed unum illud et *singulare* sit, oportet. Id est, non multa simul diversa ac disparata erunt proponenda; sed una vel altera duntaxat particulatim res determinanda erit, deinceps vel facienda, vel vitanda: designando adjuncta loci, temporis et modi: ubi, quando, et quomodo: nec non seligenda remedia, quorum auxilio illa executioni mandanda sit. 2. Debet illud eo ipso adhuc die vel saltem proxime in usum deduci posse. Praecipuus enim orationis fructus in eo consistit, ut praesentis potissimum, qua fruimur, luce secundum Apostoli monitum *pie cum Deo, juste cum proximo, sobrie nobiscum vivamus in hoc saeculo* <sup>1)</sup>. 3. Denique collineare illud oportet

<sup>1)</sup> Tit. 2, 12.

ad pellendam aegrotationem illam, qua praecipue vexamur, nempe vel ad emendandum illud vitium, quo magis infestamur; vel ad acquirendam virtutem illam, qua amplius indigemus.

Sunt enim non raro meditatores, qui sui immemores toti sunt in aliis perficiendis, et in iis, quas expendunt, veritatibus suis auditoribus inculcandis; qui non nisi vastis indulgent desideriis pro Christo inter barbaros moriendi, infideles salutis fonte abluendi, peccatores ad frugem reducendi. Et interea rebelles animi motiones quietas suo in sinu dormire permittunt. O anima! illi, qua tu praecipue laboras, *necessitati* adhibenda sunt pharmaca: tibi convertendo, non aliis meditatio est destinata.

Dein sunt, qui precationis hora, architecto daemone, castella aerea molliuntur, ac nescio, quae facinora futuris temporibus patranda designant; et interim *praesentem*, quo periculose decumbunt, morbum imprudentes negligunt. Improvide! *Praesenti* succurrendum est malo: futuris futura medebuntur lustra.

Sunt denique, qui extrinsecus suam *domum spiritualem* (sic mentis penetrabile S. Petrus appellat) inductis coloribus pingunt<sup>1)</sup>, et interea serpentem per ligna flammam impune bacchari sinunt. Inepte! *Magis urgenti* occurrendum est hosti; illi, quod debilius languet, providendum est membro. Ut verbo dicam, *propriae* necessitati et quidem *praesenti*, ac *magis urgenti* meditationis panacea est applicanda.

#### §. V. *De exercitio voluntatis seu affectibus.*

Officium voluntatis est, cognitam ab intellectu veritatem amplecti, per convenientes cordis motiones in eandem rapi, ac strenue ejus executionem decernere. Quia vero hoc ipsum est, quod meditandi praxin adeo difficilem nonnullis et arduam reddit; cum arescente affectuum vena mox in sicco haereant, brevem hinc analysin subjungam, quae nos

<sup>1)</sup> 1. Petri 2, 5.

ordinem et artem doceat congruos actus expedite eliciendi. Sunt autem sequentes.

**Ordo et analysis affectuum in meditatione efficiendorum.**

I. Postquam per exercitium intellectus, quid vitandum nobis, quidve faciendum sit, clare agnovimus, et propositam veritatem *fide* viva apprehendimus, natura rerum exigit, ut ante omnia ob illam rem commissam vel omissam coram divina Majestate profunde nos demittamus, ac etiam impense doleamus. Prima igitur, cui indulgendum, affectio est mentis *demissio* atque *dolor*, quo nostram ignaviam erubescens, nos coram Caelitibus infra omnes abjiciamus, ac poenitenti animo culpae veniam rogemus.

II. Has poenitentiae testes lacrimas mox sequitur *propositum*, illud, de quo agitur, punctum deinceps observandi, vel cavendi. Jam autem cum, teste Thoma a Kempis, *juxta propositum nostrum sit cursus profectus nostri*<sup>1)</sup>, ac moram correctio ab ejusdem efficacia ut plurimum dependeat; hinc ad tribuendam ei optatam firmitatem sequentes industriae haud parum conferent.

1. Concipiatur illud quasi in conspectu totius Curiae caelestis coram solio divinae Majestatis, audientibus et applaudentibus Angelis, minutim nominando actionem ponendam vel omittendam, eamque *super illud altare aureum, quod est ante thronum Dei*<sup>2)</sup>, sacrosanctae Trinitati offerendo. 2. Vocentur in testes formati a te decreti Caelites illius diei Patronique tui, eos rogando, dignentur pro te vadimonium obire, futuri olim totidem accusatores; si pacta infregeris, quot nunc sponsores. 3. Oppignerentur Deo sanitas, honor, vita corporisque sensus, sponte consentiendo, et quasi ultro cum eodem paciscendo, ut immisso aliquo vel membrorum dolore vel famae dispendio, aut alia quapiam illata calami-

<sup>1)</sup> *De imit. Chri.* l. 1. c. 19. n. 2. — <sup>2)</sup> Apoc. 8, 3.

tate, relabentem e vastigio ultrici severitate castiget. 4. Pium hoc animi constitutum pretiosissimo Christi sanguine veluti sigillo obsignetur, illudque sacerrimi lateris vulnere sacrosanctum inseratur, ibidem velut in tabulario asservandum, ac olim in die iudicii contra te, si fidem fefelleris, ab Angelo Custode producendum. 5. Denique determinetur certum quoddam piaculi et mulctae genus, illo ipso die ultro tibi imponendum, siquidem a promissis foedifragus discesseris. 6. Juverit etiam coram Deo per modum affectus repetere, et quasi enarrare praecipua incitamenta, quae te ad hoc proponendum efficacius permoverunt.

III. Obfirmato hac ratione recens concepto mentis decreto eliciatur *diffidentia* de se ipso, ac metus inconstantiae in bene coeptis, palam confitendo propriam debilitatem, impotentiam ac mutabilitatem, qua tibi relictus certo certius facta promissa sis violaturus, nisi divina succurrente gratia potenter sustenteris.

IV. Haec igitur sollicitanda erit per supernam *spem* de adfuturo tibi hunc in finem auxilio, simulque postulanda per actum *petitionis* sequentem in modum: 1. a Patre aeterno per Christum, 2. a Filio divino per ejus misericordiam, 3. a Spiritu sancto per ejus amorem, 4. a Salvatore per ejus sanguinem, plagas, mortem, 5. a B. Virgine sanctisque Patronis, praesertim quorum memoria illo die recurrit, eos per illorum merita obtestando, ut coram divina Majestate prostrati, juncta opera necessariam tibi opem exorent, pie proposita inviolate servandi. Proderit etiam Deo, Christo ac Beatis mendicabuli more tuam miseriam, pauperiem, ac fragilitatem exaggerare, peccatorum vulnera veluti totidem ulcera ostendere, summamque indigentiam gementi facundia extollere; non ut illorum mens ad commiserationem commoveatur (id enim beata illorum conditio vetat), sed ut voluntati nostrae major efficacia addatur.

V. Hac obtinendi coelestis auxilii fiducia erectus, in ardentissimum Dei *amorem* erumpe, 1. supremum Numen

praefereudo ac aestimando supra illam delectationem aut difficultatem, quam in explenda vel omittenda re decreta experiris, 2. gaudendo de immensa ejus gloria tum intrinseca, ut vocant, nempe quod sit, qui est, tum extrinseca, quod tot Beati in caelo, tot Justi in terra infinitam ejus bonitatem tanto conatu laudent, reveantur ac honorent; tum etiam de illa, quae ex hoc tuo opere bono in eum redundabit, 3. dolendo, quod immensam ejus pulchritudinem tam sero et tam parum amaveris, quin et per neglectionem praesentis propositi toties offenderis, 4. statuendo, et palam contestando, tuum te erga eum amorem testari velle saltem nunc per observationem facti modo propositi. 5. Denique omnes Beatos ad diligendam Divinitatem invitando, ac Seraphinorum sacros ardores ad supplendum frigus tuum eidem offerendo.

VI. Hunc charitatis actum velut filia matrem comitatur intima animae conjunctio cum coelesti Sponso per quinque sensus et tres animae facultates, sese in illum, ut vulgarter loquar, quasi transformando. Id quod triplici via perficiendum erit, 1. expellendo e *memoria* vanas mundi ideas per assiduam rerum aeternarum recordationem, et continuam ad Dei praesentiam attentionem, 2. expurgando *intellectum* a falsis opinionibus, et *voluntatem* a pravis appetitionibus, curando, ut is nil aestimet, nec vilipendat; haec vero nil amet, nec aversetur, nisi quod Caelites amant aut vilipendunt, aestimant aut aversantur, 3. avellendo sensus nostros ab omni minus ordinata affectione ita, ut in rerum creatarum pulchritudine, blandimentis, suavitate non videant, gustent, audiant, odorent, nec aliud quidquam palpent nisi *Dilectum ex millibus electum*<sup>1)</sup>; idque tanto cum ardore, ut cum veritate dicere cum Paulo possis: *Vivo ego, jam non ego; vivit vero, cogitat, sapit, amat, sentit, videt, loquitur in me Christus*<sup>2)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Cant. 5, 10. — <sup>2)</sup> Gal. 2, 20.



VII. Hanc intimam cum coelesti Sponso conjunctionem quasi ex re nata consequitur familiaris quaedam, reverens tamen cum eodem sermocinatio ac socialis consuetudo, agendo cum illo nunc tanquam cum patre, amico, aut fratre: modo quasi cum medico, iudice, aut magistro: cum eo de animae negotiis tractando: tentationes et misérias tuas eidem pandendo: in dubiis eum consulendo: auxilium ab illo et solamen postulando. Ubi tamen sollicitè cavendum erit, ne tu semper loquaris; sed ut etiam illum tibi loquentem et minantem, teque increpantem et monentem attente audias.

Quin imo, ut tibi suam voluntatem manifestare dignetur, ultro rogandus erit, exclamando cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* O Deus cordis mei! quid est, quod tibi in me potissimum displicet? quis naevus, quae passio, quod vitium? 2. Quid primario a me vitari, quid fieri cupis? 3. Quam rem creatam, aut quam affectionem tibi a me sacrificari petis? Dein brevi aliquo tempore, suspensus trium animae facultatum exercitio, summa cum demissione, silentio et quiete ad divinum intus responsum attende. Confide, grandia non raro verba aeternum tibi Verbum ad cor loquetur.

Hic pariter locus est pertractandi negotia quaedam peculiariora tum nostra, tum aliena, circa quae quid statuendum sit, dubii haereamus; Numinis tamen voluntatem cognoscere optemus, adhibendo methodum a S. Ignatio in electionis exercitio traditam. Quibus subjungi poterunt alii etiam ad scopum orationis collineantes actus, quæ voluntas tua in concepto proposito amplius obfirmetur.

### **Tres alii actus singulariter notandi.**

Tres alii etiam virtutum actus frequenter et ardentè, saltem subinde et mutatis vicibus, sunt eliciendi, videlicet 1. praevia animi praeparatio ad futura adversa. 2. Sacrificium illius rei, quae praecipuum virtutis obstaculum est. 3. Plena sui ipsius quoad omnia resignatio.

I. *Praevia ad futura adversa animi comparatio* consistit in sequentibus. 1. Attento oculo veluti ex quadam mentis specula praevide, quaenam adversa tibi accidere, quaeve sensui genioque tuo magis contraria evenire possent, v. g. quaenam humiliationes, contemptus, persecutiones, quaenam molestiae, officia, dispositiones, domicilia, morbi etc. a subditis, aequalibus, superioribus, Deo tibi inferri, ingruere et imponi possent; eaque non solum praevideas, quae vel certo vel probabili conjectura futura sunt, sed etiam quae possent accidere, ut te nulla unquam res, si fieri potest, imparatum imprudentemque inveniat. 2. Deinde praevia animi comparatione ad futuros casus temet obarma, congruos actus, quos intelligas profuturos, eliciendo, quidque tunc agendum sit, si ita acciderit, definiendo. Magni momenti ac summae utilitatis haec industria est. Rationem suggerit S. Basiliius his verbis: *quia rerum insperatarum repentinae calamitates hominum cogitationibus perturbationes afferre solent. Perturbatam autem mentem etiam levis adversitas debellat. Fortis ergo viri est, explorare tanquam e specula quadam mentis, et obviare cogitatione provida rebus futuris, ne adversitas, si imparatos inveniat, nos opprimat*<sup>1)</sup>.

II. *Exercitium sacrificii interni* sequentia complectitur puncta. 1. Mentem Abrahami Isaacum suum immolaturi indutus, et gladium spiritus in ictum quasi jam jam vibrans coram caelesti curia obtestans propone, te in ara amoris divini sine misericordia et exceptione jugulaturum omne id, quod cor tuum cum Deo partitur, et praecipuo virtuti obstaculo est, quodque supremum Numen sibi victimam litari cupit. 2. Dein percontare ex temetipso, quaenam sit illa res creata, affectio, commoditas, officium, Illecebra, locus, persona, gradus aut quodcumque aliud, cui vehementius adhaereas, et quod primum perfectionis impedimentum sit,

---

<sup>1)</sup> Const. Mon. c. 3.

idemque sibi Deus a te sacrificari velit. Tum acuto mentis oculo omnes animi latebras breviter perlustra, item attende, quid Deus tibi ad cor loquatur, quamque ille rem intento quasi digito immolandam sibi designet. 3. Quam dein detectam protinus sancto quodam zelo animatus e latebris suis in aram crucis protrabe, ibidem amori divino sacrificandam; quodquod fiet 1. omnem affectum et amorem erga talem rem exuendo: 2. sancto illam odio execrando: 3. proposita particularia ad rem facientia concipiendo, et remedia, quibus ea executioni mandes, determinando. Quodsi nihil speciale Deo litandum occurat, eliciatur magno animo sequentem in modum subjunctus.

III. *Actus resignationis.* O Domine! offero me tibi promptum 1. ad omnia *amittenda*: sanitatem, scientiam, usum sensuum, vitam, 2. ad omnia *toleranda*: contemptus, pauperiem, aerumnas, persecutiones, morbos, 3. ad omnia *agenda*; licet sint summe laboriosa, sanitati, famae, devotioni contraria, ac insuper infructuosa. Ut hac ratione tibi dem gustum, quem percipis ex conformitate voluntatis humanae cum divina, ut me tuae voluntati subjiciendo debitum obsequium praestem supremo tuo in me dominio; ut sic me conformem Regulae primae omnis rectitudinis et sanctitatis. Et hinc malo *esse* vilis vermiculus ex voluntate Dei, quam sine illa Seraphinus: malo nihil *agere* (opinionem hominum) ex voluntate Dei, quam sine illa totum mundum convertere, malo ardere, et *pati* in purgatorio ex voluntate Dei, quam sine illa gaudere in caelo.

#### **Notanda.**

Praeterea in exercitio voluntatis observanda sunt sequentia. 1. Non tantum plus temporis semper affectibus quam discursui est tribuendum; sed etiam omnes insuper hos actus ad firmandum conceptum paulo ante propositum collineare oportet. 2. Deponendus est anxius ille timor, quo subin timemus, ne fors nimis cito praedictos affectus,

scilicet ante elapsam orationis tempus absolvamus. Id enim si etiam fieret, denuo iidem iterandi erunt. Ex altera vero parte etiam fugienda est illa anxietas, ne fors diutius uni actui inhaerendo pro reliquis nullum dein tempus supersit. Melior est enim unus intensior affectus quam mille remissi. Proinde dandus hoc casu erit locus motioni Spiritus sancti, ubi illam ampliorem ac vehementiorem illabi senserimus, atque ejusmodi affectui immorandum erit; reliquis dein vel omnino omissis, vel brevius ac intensius elicitis. 3. Certi semper simus, nos orationi praescriptum ab obedientia tempus integre impendisse. Itaque cum tentamur ad abbreviandam meditationem, multo generosius inimicum superabimus, eandem producendo. 4. Semper orandum flexis genibus. Nam difficile est, ut ait P. Surin, bene meditari, si sine necessitate aliter quam flexis genibus oretur.

#### §. VI. *De colloquio et examine meditationi subjungendo.*

Orationi finis imponendus est per *colloquium*, concepta in meditatione proposita quasi chirographo inscripta offerendo 1. SS. Patronis illius diei, ab illis tanquam a testibus subsignanda. 2. B. Virgini materna sua benedictione confirmanda. 3. Christo, divino ejus sanguine obsignanda, ac in ejus sacratissimo latere veluti in tabulario asservanda.

Tandem invitatis omnibus beatis Caelitibus ante thronum SS. Trinitatis prostratus elicias 1. actum *contritionis* de defectibus in hac meditatione admissis, 2. actum *gratiarum actionis* pro luminibus in ea tibi concessis, 3. *petitionis gratiae* servandi concepta proposita, cum profundissima adoratione dicendo: *Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super me meaque proposita et maneat semper.*

Finitae orationi mox subjungendum est breve aliquod *examen* 1. circa *defectus* in ea admissos, inquirendo scilicet, num oraveris *feroenter* quoad animi applicationem, *reverenter* quoad corporis situm, *integre* quoad temporis moram? Num vitaveris illum vel illos defectus, quos in aliis meditationibus admissos, in praesenti cavendos proposuisti? Num debitam pridie praeparationem praemiseras, ac tesseram ante et post somnum repetieris? 2. Circa *fructum* dispice, quaenam habueris lumina intellectu? quos senseris motus in voluntate? quale conceperis propositum? an illud singulare sit, et tale, quod proxime in usum deduci possit, directumque sit ad id, cujus ementatio magis tibi necessaria est, seu an illud medeatur necessitati *propriae, praesenti, magisque urgenti*? 3. Denique seligatur aliqua brevis *tessera* per diem saepius repetenda, qua facti propositi memoria refricetur<sup>1)</sup>; petendo v. g. a Deo gratiam vel exercendi illam virtutem, aut emendandi illud vitium, cujus exercitium vel emendatio meditationis scopus fuerat. Singularia insuper lumina ac speciales animi motus, quos divina Bonitas orantibus immiserit, scripto anotentur.

Et haec est brevis quaedam institutio ac compendiaris methodus rite meditandi, quam si in consuetudinem deduxerimus, genuinam orandi artem facile assequemur; quae inter omnia perfectionis adipiscendae subsidia ob suam tum necessitatem, tum utilitatem facile principatum obtinet. Reliquum est, ut pro facilius eliciendis affectibus formulas aliquas juxta triplicem asceseos viam subnectamus; pauca ista exempla magno usui erunt.

---

1) Cfr. S. Franc. Sales. Philothea lib. 2. cap. 13.

# FORMULAE ALIQUAE AFFEC- TUUM.

---

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua  
super mel ori meo. Psalm. 118, 97

**Q**uam voluntas natura caeca sit, nec in ullum affectum erumpat, nisi praevis eam intellectus impellat, necessarium omnino erit ad fructuosam meditationem, ut perspectissimam tibi reddas veritatem aliquam practicam, quam sive ex verbis et doctrina, sive ex facto et exemplo Christi eruisti. Idque rationibus quidem etiam naturalibus, potissimum tamen, ac principaliter actu fidei supernaturalis; qui est principium non tantum practicarum conclusionum in intellectu, sed etiam motuum omnium et affectuum supernaturalium in voluntate.

## §. I. *Affectus virtutum theologicarum.*

*Fides.* Credo, Domine, credo. Tu adjuva incredulitatem meam. Suggestit alia mundus, caro, daemon: non credo Verbum tuum manet in aeternum. Pro hoc exige a me Domine sanguinem, exige spiritum; ecce, paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Mille gladiis, ignibus, rotis exhibeo hoc corpus, ut tua stet illaesa veritas.

2. *Quis me separabit ab hac veritate? Certus sum quod nec gladii, nec cruces, nec tela, nec ignes, nec in*

ferorum tormenta me poterunt ab ea separare. Tua Veritas, Deus, fallere non potest; tua Sapientia falli non valet. Tu dixisti; satis hoc mihi est prae omni ratione humana, ut etiam sanguine subscribam.

*Spes.* Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Habes bonitatem Dei et misericordiam paratam, quae vult; habes omnipotentiam assistentem, quae potest opitulari; habes sanguinem et merita Christi, quae pro te apud aeternum patrem perorant. Projice te ergo, anima mea, in brachia misericordiae et omnipotentiae Dei. Quam nihil potes ex te, tam omnia potes in eo, qui te confortat.

2. In te Domine speravi, et quis mundi impetus, quae carnis illecebra, quae daemonum astutia praevalebit? non, ut confundar in aeternum. In te Domine speravi: quod vitium non extirpabo? quam virtutem tua gratia non assequar? etc. Dicant omnia ossa mea: Tu es spes mea, Deus meus, in aeternum.

3. Si Deus pro me, quis contra me; si exurgant adversum me castra, non timebit cor meum. Si consurgat adversum me proelium, in hoc ego sperabo, quia scit infinita sapientia, potest infinita omnipotentia, vult infinita bonitas mihi auxiliari.

*Charitas.* Domine, tu scis, quia amo te: quoniam tu solus bonus, tu solus sanctus, tu solus dignus omnium creaturarum amore. Supplete vos ardentes Cherubim, Tu, ardentior Cherubinis, VIRGO MARIA, quidquid deest amori meo. O vivam! o moriar amore tui! Moriar potius, quam te non amem.

2. Domine, quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Tu solus Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum. Diligam te, Domine, non quia mihi beneficus, aut remunerator liberalissimus; sed quia in te ipso es summa et infinita bonitas, sola et una super omnia amabilis. Moriar, Domine, hoc momento, quo te amo, priusquam succedat aliud, quo te non amem.

3. Exigis a me cor meum, Domine. O si mille, o si infinita haberem! omnia tui unius amore occuparem. Vis amorem operibus experiri? confunde me, contunde me, contere me, in mortem demerge me; non dimittam te, etc.

4. Sero de amavi, pulchritudo mea; sero te amavi. Sed neque nunc te amo, ut debeo, neque amo, ut amare desidero. Infinites, infinites te amare vellem, eoque amore, si fieri posset, quo te ipsum amas; quia hic solus amor tuam amabilitatem aequat, etc.

## §. II. *Alphabetum affectuum pro via purgativa.*

Abjectio sui ad pedes Jesu. — Abjuratio imperfectio-  
nis. — Accusatio tui. — Admiratio patientiae divinae. —  
Angi de culpa. — Communicatio cum Deo. — Comparatio  
tui cum Sanctis, damnatis, daemonibus etc. — Confessio  
humilis. — Confusio tui. — Contemptus rerum mundana-  
rum. — Contritio. — Deprecatio. — Desiderium satisfa-  
ciendi. — Detestatio. — Diffidentia sui. — Exhortatio sui  
ipsius. — Exprobratio. — Fiducia. — Gratiae imploratio.  
— Gratitudo. — Humiliatio. — Invocatio Sanctorum. —  
Mendicatio spiritualis a Deo et Sanctis. — Odium tui et  
culpa. — Pavor. — Propositum. — Reprehensio. — Sol-  
licitudo. — Timor irae divinae. — Vindicta in te ipsum.

### **Exempla affectuum pro via purgativa.**

*Abjectio tui.* Deprime sub pedes Dei tui superbum  
caput, vilis creatura. Ah! etiamnum superbis? indigna es,  
quam suis pedibus dignetur JESUS tuus. Conculcent te  
damnati omnes, ac ipsi daemones, quorum tu iniquitates  
es supergressa, etc.

*Accusatio.* Fateor enim, ut reus memet-ipsam accuso.  
Ego te summum et inaestimabile bonum ac infinitam digni-  
tatem vilipendi. Quis ego? Quis tu? Ego filium tuum  
*crucifixi et occidi!* Ego sanguinem ejus et infinita merita  
*conculcavi, etc.*



*Admiratio.* O caecitas mea! o impudentia! o audacia! servus nequam tam bonum Dominum tam indigne tractare potui! O bonitas tua Deus! o patientia incredibilis! o misericordia infinita! tu, non ferre tantum delinquentem, sed novis etiam beneficiis cumulare potuisti.

*Communicatio cum Deo.* Quot tu, justissime Deus, minorum scelerum reos in momento ad infernum praecipitasti? Angelos tam excellentes creaturas ad unius duntaxat cogitationis rebellis consensum in ignem aeternum detrusisti: mihi ut parceres, ut dissimulares, quid te movit? An quidquam toto vitae decursu praestiti, quod oculis divinae Majestatis placere potuerit?

*Confusio.* Averte oculos tuos a me, Domine; quia indignus sum, in quem respicias, postquam me ad tantam vilitatem abjeci, quem tu ad tantam dignitatem creasti. Confusio cooperuit faciem meam, quia repleta est malis anima mea, quae purissimum Dei oculum jure merito avertunt a me.

*Contemptus rerum mundanarum.* Si habuero omnem substantiam hujus mundi, nihil sum. Nihil est mundi honor, nihil aestimatio et gloria, nihil opes et divitiae, nihil omnis voluptas. E nihilo ducta in nihilum eunt: apparent et evanescent. *Mundus enim transit et concupiscentia ejus et superbia impiorum tanquam vermis putrescit, merces interea, quam Deus promisit diligentibus se, manet in aeternum.* Solus Deus est omnia, reliqua amore meo indigna.

*Contritio.* Deus meus, summa bonitas omnium creaturarum, tuoque ipsius amore sola et infinite digna; doleo, quod tam impudenter te offenderim. Doleo, non quia timeo; sed quia amo. Si vita et sanguine meo fieri possit, ut non sis offensus! ecce me, discerpe me, paratum cor meum. Si tormentis deleri possit; ecce me: nullum est, quod non merui, nullum, quod amore tui non antepono peccato, quod tantopere odisti. Si vides, qui omnia vides, quod aliquando post quotquot annos te offensurus sim, hoc potius momento

acerbissima morte me tolle, quam permittas, ut infelicissimi illius temporis superstes sim.

*Deprecatio.* Obsecro te, aeternae pater, per misericordiam tuam infinitam: te Fili unigenite per tuum in peccatores amorem, et Spiritus sancte, per tuam benignitatem, te SS. Trinitas, per sanguinem et merita Christi, parce, parce misero peccatori, neque in aeternum irascaris ei. Amplius, crucifixe Jesu, amplius lava me vel unica guttula tui sanguinis a peccatis meis. Adgeniculor Cruci tuae, et indignus licet, exspecto misericordiam tuam.

*Diffidentia sui.* Adspice Domine infirmitatem meam; quia nihil possum sine te, nec invocare te. Ne deseras me, quia labor sine te, folium sum, quod vento rapitur, vapor ad modicum parens.

*Exhortatio sui ipsius.* Erige te, anima mea, de coeno peccatorum, in quo jaces. Aude aliquando aggredi, quod vane metuis: Deus porrigit manum suam; tu tuam exere, et apprehende auxilium. Quid haeres? quid dubitas? fortior est, qui te juvat, quam qui te tentat? Proeliare ergo proelia domini, et ne formides faciem peccatorum, quorum gloria vermis et stercus.

*Exprobratio.* Quae tua est futilis impudentia; tam tenere te amantem Deum, tui amore in Cruce morientem tam indigne tractare et odia illi indicere, a quo amores favoresque recipis. Hoccine meruit, qui te ad se creavit, ut ei cum tanto contemptu tergum verteres? Hoc, qui te toties recepit, et etiamnum expansa habet in cruce brachia ad te amplectendum, et tu stercora et mundi quisquilias suumque hostem amplecteris? etc.

*Fiducia.* Deus meus, auxiliator meus, in te confido, non erubescam. Si consistant adversum me castra temptationum, non timebit cor meum, quia tu es protector meus. Si exurgat adversum me proelium, in te ego sperabo, quia tu es fortitudo mea. Non infligis plagam, quin subministres solamen.

**Gratitudo.** Gratias tibi ago, Deus meus, quod peccantem me et non poenitentem hucusque sustinueris et conservaveris, neque statim meritis poenis addideris, otiumque laderis animae meae calamitatem agnoscendi ac detestandi; quod mille aliis non concessisti, quos prius mors et aeterna damnatio occupavit, quam praestare id possent.

**Humiliatio.** Agnosco vilitatem meam, Deus infinitae Majestatis. Infra nihilum descendi, quia te offendi. Et aervi et volo ab omnibus contemni et vilipendi, volo non expectare tantum, sed quaerere et ambire contemptus mei occasiones. Confirma hanc voluntatem meam, pro me toties respectu Jesu; et da mihi amare et desiderare contemni, nesciri et nihili haberi.

**Invocatio Sanctorum.** Indignus sum, qui accedam ad honorem misericordiae Dei, quam impudentissime despexi. Tu unica et potens peccatorum Advocata, Dei Mater MARIA, quae nullum in te confidentem despicias, ostende pro me tunc ubera, quibus eum nutrivisti; et per merita tua impetra mihi a justissime irato Deo misericordiam. Tu, Angele mi tutelaris, cui curae sum a puero, per gaudium illud, quod habes super uno peccatore poenitentiam agenti, vos SS. NN. Patroni mei, intercedite etc.

**Mendicatio spiritualis a Sanctis Dei.** Sancta et immaculata Dei Mater, quae quantum amasti filium tuum, tantum odisti peccatum, vide generis humani (vel hujus hominis N.) calamitatem; infunde aliquid amoris tui cordi illius, ut sciat, ac velit reprobare malum et eligere bonum. Sancti Angeli Dei, qui primi tentanti angelo constanter resististis, aliquid constantiae vestrae hujus tentationibus suggerite. S. Petre, qui unum peccatum toto vitae tempore incessanter deplorasti, aliquid poenitentiae et lacrimarum huic indulge, etc.

**Odium sui.** Quis me liberabit de corpore mortis hujus? quid queror aeterna? Ego mihi ruinae et calamitatis meae causa sum; fictum hostem culpo, et vero blandior? Ego

sum ipse, qui occidi me, dum amavi me. Sed teneo hostem meum; non dimittam, nisi occidam eum. Moriatur sensus, vivat ratio; moriatur auctor mortis animae meae, vivat auctor vitae animae meae Jesus. Ut semper me oderim, semper amabo Deum meum.

*Propositum.* Nondum usque ad sanguinem decertavi cum hostibus animae meae; sed ex hoc, si necessarium sit, totum sanguinem ad ultimam usque guttam lubens gaudensque impendam potius, quam delinquam. Sic statuo coram Jesu meo pro me crucifixo: Moriar millies, ne semel peccem. Coelum terramque testes invoco: Vivit dominus, in cujus conspectu sto; donec superest halitus in me, et spiritus in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

*Reprehensio sui.* Et ausus tu es, tanta tentare Deum impudentia? quis tu, quis Deus, et quid ausus es? O creaturarum ingrattissima! jam parvi tibi est Deus? tam magni tu tibi ipse, aut modica tui sensus delectatio?

*Timor.* Timor et tremor venerunt super me, quia irritavi iram tuam, Domine. Quo fugiam a facie irae tuae? quando undique tu me circumstas, et quem patrem habere nolui, strictissimum Judicem meorum scelerum formido. O Domine, ne intres in iudicium cum servo tuo; quia non justificabitur coram te omnis vivens.

### §. III. *Alphabetum affectuum pro via illuminativa.*

Amor proximi. — Animatio sui ad studium virtutis. — Benignitas. — Bonitas. — Contemptus mundi. — Conversatio. — Eleemosyna spiritualis petita a Sanctis pro se et aliis. — Fortitudo in adversis. — Gratiae petitio. — Gratiarum actio. — Humilitas. — Imitandi desiderium. — Intentio gloriae Dei. — Laus Sanctorum. — Longanimitas. — Mortificatio corporis. — Nitor conscientiae. — Obedientia. — Patientia. — Paupertas. — Praesentia Dei. — Suavitas. — Tranquillitas. — Veritas. — Zelus animarum. —

**Exempla affectuum pro via illuminativa.**

*Amor proximi.* Te, Deus, in meo proximo et proximo propter te diligo, sicut me. Tu me exemplo magis, nam verbis hoc docuisti: qui cum inimici essemus, dilexisti nos: qui perditos nos quaesivisti, et attraxisti mirans. Quem oderim, dum tu omnes amas? quem despiciam, dum tu bonis et malis pretium tui sanguinis apendis?

*Benignitas.* Obstupescens admiror tuam, Jesu mi, benignitatem! quam benevole ad te revertentes peccatores recipis, quam amanter alloqueris, quam tenere amplecteris! et sine exprobratione omnia restituis bona, quibus per peccatum fuerunt spoliati. Hac te sequar, mi Jesu; quam mihi incumbet cura, amabo etiam delinquentes, ut recuem; commiserabor calamitatem animae, tractabo vulnera lenissimo modo, gestu, vultu atque verbis, ut merus nimi amor appareat.

*Bonitas.* Tua ad benefaciendum propensio, bone Jesu, tua erit in omnes proximos agendi regula. Innumera nobis dona, sanguinem tuum, merita, gratias, te ipsum elargiris; eque majoribus tantum, aut iis, qui reverentur te et amant ignosque se praestant; sed vilibus etiam, te ignorantibus, infidentibus, contemnentibus. Trahit me tam suave exemplum, ut me impendam omnibus, et magis impendam; nemo tibi vilis, nemo mea indignus ope; quia nemo tibi.

*Contemptus mundi.* Tu non es de hoc mundo, amabilissime Jesu! tua desideria, affectus, vota, spes, molimina non tendunt in honores, gloriam, existimationem, laudes et applausus. Delirium meum, si eo tendam, a quo a abhorres. Quia ista omnia ex nihilo sunt, et in nihilum vergunt, indigna eo corde, quod non satiatur nisi Deo.

*Conversatio.* In terris visus et cum hominibus conversatus es, Domine Jesu, prudenter et circumspecte, ut non offenderes; suaviter et urbane, ut animos traheres; utiliter et salubriter, ut prodesse iis, quibuscum versaberis.

O, si et ego prodesse intenderem! quantopere cohiberem affectus meos? quantopere caverem errores? quantopere abstinerem asperis et acerbis, frivolis et vanis et quandoque noxiis sermonibus? Semel juravi: aut obmutescam, aut sana loquar. Verba bis veniant ad limam, quam semel ad linguam.

*Fortitudo in adversis.* Omnia possum in eo, qui me confortat: non ego, sed gratia Dei mecum. Non mihi initor, sed potentiae Patris, quae cannas erigit in columnas: sapientiae Filii, quae modos viasque eluctandi habet infinitas: gratiae Spiritus sancti, quae facit aspera in vias planas. In Deo meo transgrediar muros.

*Humilitas.* O humilitas nascentis, viventis morientisque Jesu mei! Cum in forma Dei esses, exinanivisti te ipsum, abscondisti Divinitatis Majestatem, ne in te confueret omnis honor, gloria, admiratio et applausus populorum. Ah! sero licet, tandem tamen eligo, me abjectum esse in domo Dei, in loco et officio: et haec sit gloria mea. Tandem eligo, nesciri, contemni et pro nihilo putari, et hoc sit meus honos et gaudium meum.

*Intentio gloriae Dei.* Non quaeris gloriam tuam, Domine Jesu, sed honorificas Patrem tuum, neque altiorem reperisti operum tuorum tuaeque passionis finem. Huc tua incarnatio, vita, mors, cogitationes, verba, opera, somnus ac omnis respiratio tendebat. Trahe me post te. Quaeram te sine me; sine meo emolumento quaeram te quotidie, quavis hora, quovis momento, quavis respirazione: quaeram pure, sine admixtione creaturae, majorem tuam gloriam.

*Longanimitas.* Potes, Deus, momento plectere, quod peccat homo: sique id facias, justum est et in aeternum laudabile iudicium tuum. Sed sustines tamen longanimitas, patiens et multae misericordiae: sustines menses, sustines annos, et non exspectas tantum, ut revertamur, sed revocas ad te, invitas et attrahis miserans. Respicis Petrum,

tangis cor Magdalenae, adeo blandiris Judae, etc. Egone vel me a te desertum querar? vel spem alienae conversionis deponam? Aderis in tempore mihi. Expectabo te, Domine, et non movebor. Aderis gratia tua peccatoribus: sustinebo, et quod meum est, operabor. Non erit inanis opera, quae te imitatur.

*Mortificatio corporis.* Tota vita tua, Jesu, continua fuit corporis afflictatio. Poteras, cum Deus esses, citra periculum omnia corpori commoda indulgere. Non egebas hoc studio ad corrigendam naturam, quae nec vitata erat, nec vitari poterat: non ad subjiciendum corpus rationi, quod Divinitas moderabatur, ut non posset rebellare; et tamen in laboribus et doloribus a juventute tua vixisti, et exspirasti. Est ergo amabile quoddam, quod tu elegisti. Quid agimus, anima! vitata tibi est natura, et in malum proclivis, rebellans rationi refragatur, inducit in peccata; et adhuc ei blandieris, ut quam minimum patiat, studebis? Imo, conteratur caro mea, ut vivat spiritus. Ut tuus sim, carnem meam in crucem agam cum vitiis et concupiscentiis.

*Nitor conscientiae.* Splendor sine macula, Jesu mi, munditia ab omni immunditia libera, perfecta et omnino immaculata. O, quando potero et ego insultare mundo, carni et daemone! Quis vestrum arguet me de peccato? O quam suavis dies laborque omnis, quam dulcis quies hominis, dum culpa non mordet animam! quam hilaris felixque mors ejus, quem conscientia non accusat! At hoc solatium nemo alius, quam tu ipse impendere tibi potest. Malo ergo millies mori, quam foedari piaculo.

*Obedientia.* Omnia de te dixit, qui te amavit: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et tu obediens, Filius Dei, Sapientia Patris, Dominus dominantium? et non Patri tantum, sed hominibus, etiam sceleratis et iniquis iudicibus ac carnificibus? et usque ad mortem? O ferrum ego et indomitum saxum et marpesia

cautes, si hoc exemplo non movear, ut iis obediam et in omnibus et semper, qui Patres sunt, qui vice Dei funguntur, quibus tuam in me potestatem tribuisti!

*Patientia.* Domine, dirige cor meum in patientia Christi. Statutum est, aut pati aut mori. Tu, Jesu mi, quam dura in corpore, quam acerba in anima, quam infamia in honore sustinuisti? Tu idem Deus et Homo: et ego unius puncturae imaginatione percellar, minima infamia turbabor? O, Domine, da, quod pro te patiar, qui pro me passus es infanda.

*Paupertas.* Domine Jesu, cum esses dives, factus es pro me egenus, ut non haberes, ubi caput tuum reclinares. O res, a saeculis inaudita, *pauper Deus!* Et ego illis affigam animum, quae Deus odit! Ego pro Deo non relinquam laetus et hilaris mundi nugas, qui pro me reliquit omnia regna mundi, sibi jure debita, adeoque et coelum ipsum? Credo, mundum divitias sectantem et honores ac voluptates errare, cum Christus, Sapientia infinita, falli fallereque nescius, iis contraria praetulerit.

*Suavitas.* Quam suavis est, Domine, spiritus tuus! Praescribis leges, sed addis vices: cum minimum facimus, tu plurimum praestas; aptas te singulis, nulli vim inferis, paucissima exigis, cum plurima et gravissima possis. Si erramus, nos revocas, et amanter trahis. Confundis asperitatem meam. Evincis omnino, ut in proximo meo excusem delicta, attendam fragilitatem, non plus exigam, quam ipse praestem; si quandoque sit severitas adhibenda, ea semper suavitate misceatur.

*Tranquillitas.* Quanta locuti sunt adversum te malignantes, Domine Jesu! tu factus es tanquam surdus et mutus. Quantis impetitus es blasphemiis! at tu immotus stetisti, tanquam non haberes in ore tuo refutationes: tenuitque semper animum imperturbata quies, tametsi fulmina excire potuisses. Cur ergo, si leviter tangor, erumpo in immoderatos praecipitesque motus? Respiciam



in te, Jesu mi, et si famam, si vitam perdam, tranquillitatem servabo.

*Zelus animarum.* Amabilissime Jesu, tu propter nos homines et propter nostram salutem descendisti de coelo; quot hoc fine sustinuisti elementorum injurias? quot suscepisti itinera? quot labores et dolores? quot mores exantlasti? Effudisti te ad omnes, divites et pauperes, honoratos et abjectos, senes et pueros, in urbibus et pagis, in campis et desertis, die ac nocte. Tanti tibi fuerunt animae nostrae, quanti tuus sanguis, hunc enim pro illis dedisti. Nimis viles ego facio animas, si non ex aequo ad pauperes, abjectos et pueros me effundo, pro quibus idem pretium datum est: si pluvia, si nox, si longinquitas spatii, si quaevis incommoditas me deterret. O animae Christi sanguine redemptae! o si omnes! o si unam meo sanguine et acerbissima morte salvare possim <sup>1)</sup>!

§. IV. *Alphabetum affectuum pro via unitiva.*

Adoptari a Deo. — Amicitia cum Deo. — Amplexus Dei. — Apprecari Deum. — Beatitudo in Deo. — Conformitas cum Deo. — Desideria Dei. — Donatio sui Deo. — Exaltatio Dei. — Exultatio in Deo. — Fraternitas cum Christo. — Gaudium in Deo et Christo. — Gloriatio in Deo et Christo. — Imitatio Christi. — Invitatio creaturarum. — Languor animae in Deo. — Laudatio Dei. — Mors in Deo. — Narratio magnalium Dei. — Oblatio sui. — Pactum cum Deo. — Quies in Deo. — Suspiria in Deum. — Vita in Deo. — Unio cum Deo. —

**Exempla affectuum pro hac via.**

*Adoptari a Deo.* Filius tuus ego sum, filius tuus. Non est praesumptio; quia dedisti mihi potestatem filium

<sup>1)</sup> Advertendum: quemadmodum Via illuminativa spectat doctrinam praximque virtutis, ita respiciat et Christum veluti normam et absolutissimum exemplar virtutis. Quae mihi ratio fuit, ut in singulis hujus viae affectibus motivum desumerem ab exemplo Christi.

Dei fieri. Dicam tibi semper, et tota animi fiducia dicam: Pater meus es tu. Diligam te, quia Pater meus es tu: amplectar te, nec dimittam te, quia Pater meus es tu. Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit: sed portio mea tu es, Deus meus: aliam nec quaero, nec admitto.

*Amicitia cum Deo.* Amas me, amo te, amor meus, Deus meus! Tu, quod es, meus es: ego quod sum, tuus sum. Mergor in infinito tuo, tu in meo nihilo. Quia amas me, communicas te mecum; quia amo te, reddo me tibi et te tibi, o amor meus, unus et solus, electus ex millibus.

*Amplexus Dei.* Parce mei amoris audaciae, Deus meus. Qui posuisti laevam sub capite meo, et dextera tua amplexaris me, intra tua brachia cogis me. In illa reverentissime coniectus et vivere volo, et mori desidero. Tu stringe me, nec permittas me seperari a te. Creatus sum ad te, èt inquietum est cor meum, donec requiescam in Te.

*Apprecari Deum.* O bonum inaestimabile, Deus et omnium desiderabilium finis! Quia ante omnia habeo te, ante omnia amo te. Deficit in tui pretii aestimatione intellectus meus, et sub imperio voluntatis te infinito pretio aestimare desiderantis fatiscit. Sit tibi satis Deus meus: amo te millies et millies, quam me; plus quam satietatem animae meae, plus quam ipsam beatitatem meam et jucundissimum aeternumque tui aspectum, amo te.

*Beatitudo in Deo.* Deus meus, nondum video te revelata facie; et tamen beatus sum, quia amo te. Nullum tormentum sentio, dum amo te: quia solum tormentum mihi est non amare te. Tu solus me totum in te trahis, ut te unum possideam: tu solus omnem amoris mei vim exhauris.

*Conformitas cum Deo.* Amo te, Deus meus. Satis dixi: voluntas mea jam tua est et tua est mea. Vis me premi, abjici, contemni, torqueri, dilaniari. volo et ego,

quia tu vis. Vis me inter beatos ad tui fruitionem attollere: volo et ego; non quia limpidam et innocentem hoc adfert voluptatem; sed quia tu vis.

*Desiderium Dei.* Desiderium habeo dissolvi et esse tecum. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei! Deficit cor meum et caro mea, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Sed nemo venit ad te, nisi tu traxeris eum. Trahe me ad te, amor meus, Deus meus: trahe me, et curram ad te.

*Donatio sui Deo.* Quid petis a me, Deus meus? Audio suavissimam tuam vocem: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* Ecce habes; tibi que sponte, hilariter dono, quidquid mihi dedisti: cor, animam, vitam, sanguinem, intellectum et voluntatem. Nolo cor meum nisi sit tuum, nolo amare nisi te, nolo vivere nisi in te, nolo sapere nisi te, nolo velle nisi te. Jam tuus sum, non sum meus. Vivo quidem, sed non ego; vivit vero in me Deus.

*Exultatio in Deo.* Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Salio extra me, Deus meus, ut veniam ad te. Angustiae cordis mei non capiunt torrentem voluptatis, quo tui recordatio me perfundit.

*Fraternitas cum Christo.* Primogenite in multis fratribus, Jesu Christe, Pater tuus idem meus et esse et vocari vult. Pater te haeredem, me cohaeredem facit. Amate, amabilissime frater. Tibi fratrem esse, haec gloria nostra. In fratrem me assumpsisti, quum bona tua, merita Passionis tuae mecum communicasti, dum per Spiritum sanctum diffusa est caritas Dei in cordibus nostris, eis que inhaeret.

*Gloriatio in Deo et Christo.* Absit mihi gloriari, nisi in Deo meo et in cruce Domini mei Jesu Christi. In hoc glorior, quod tu Deus sis, Deus meus, Dominus meus, omne bonum meum: in quo summa mea est felicitas, quod sim creatura tua, servus tuus, et quem tu amore infinito lignaris. In hoc gloriabor, si in cruce configar Jesu meo,

si vulnera tua fiant meá, et tecum paupere et despecto fiam pauper et despectus.

*Imitatio Christi.* Cum in forma Dei esses, amor meus Jesu, exinanivisti temetipsum divitiis, amoribus et sapientia, factus pro me egenus, exilis ac despectus, et ludibrio habitus. Fac possim esse dives: nolo; quia tu fuisti pauper. Fac possim esse ab omnibus honoratus: nolo; quia tu contemni elegisti. Fac possim sapientiae famam lucrari: nolo; quia tu fatuus haberi maluisti. Electio tua regula est electionis meae. Et sic eligo solum ad majorem tui imitationem.

*Languor animae in Deo.* Amore tui langueo, Deus meus. Nauseat anima mea, quidquid humani est solatii, et mundum omnesque creaturas fastidiat; quia te unum et solum amo; et cum nondum te frui licet, in omni alia operatione deficior, et solo amore respiro, amor meus, Deus meus.

*Laudatio Dei.* Lauda anima mea Dominum, quoniam bonus. Omnis actio mea, omnis cogitatio mentis, omnis affectus voluntatis, omnis respiratio, omnis externus motus dicat tibi: Magnus Dominus et laudabilis nimis. Necdum assequor, quod volo, quidquid dicam, quidquid cogitem: adhuc es infinite laudabilior. Magnificet Te, mei loco, anima sanctissimae Virginis Mariae. Laudent te ardentissimo affectu Seraphini: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Benedicant omnia opera Domini Domino, laudent, et superexaltent in saecula. Nondum assequor, quod intendit affectus. Laudet te humanitas sanctissima Redemptoris mei: et quod ultra non possum, tua te Divinitas laudet in saecula.

*Mors in Deo.* Mortuus sum, et vita mea abscondita est cum Christo in te, Deus meus. Liquefacta est anima mea; cum tu tetigisti cor meum, a me transivit in te. Omnis cogitatio mea, omnis affectus meus cum Christo *consepultus est in te.* Vivo tamen in te, quia hoc unum sentio, quod amo te.

*Narratio magnalium Dei.* Magnificat anima mea Dominum: Quia fecit mihi magna, qui potens est, etc. (Potes totum recitare.) Quidquid sensu, quidquid intellectu capio extra te, Deus meus, opus manuum tuarum est et tui in me amoris effectus: ideo magnificat te anima mea Dominum. Sic dilexisti mundum, ut filium tuum unigenitum dares: ideo magnificat te anima mea. Charitatem tuam diffudisti cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: ideo magnificat te anima mea.

*Oblatio sui.* Omnia mea tua sunt, Domine; quia omnia tua voluisti esse mea. Quid habeo, quod a libertate et misericordia tua non accepi? et quia accepi, rursus tibi cum sincerissimo gaudio offero, corpus meum et animam meam, omnes sensus et potentias meas, intellectum, memoriam et voluntatem meam. Non aspice, quod mea sint, sed quod tua, etiam pretiosissimo sanguine filii tui tibi vindicata.

*Pactum cum Deo.* Amo te, Deus meus, et tu scis, quod nihil amo, nisi te. Non sufficit cor hoc sentire, non lingua loqui. Sic ergo paciscor tecum, Deus, de minimo quocumque motu interno et externo animae, cordis et corporis mei, de omni mea aequae dormientis ac vigilantis aspiratione ac respiratione, de omnibus et singulis, quae sunt, et erunt, creaturarum motibus, de singulis Beatorum tuorum et SS. Matris ac Jesu mei Redemptoris actibus, sint signa mea, quibus meum in te amorem loquar. Quidquid horum aspicias, Deus, in eo tibi ego loquor: Amo te, amabilissime Deus.

*Quies in Deo.* In omnibus requiem quaesivi, sed extra te non inveni, Deus meus, amor meus. In omnibus nihil reperi, nisi dolorem et afflictionem spiritus. Recordatus sum tui, ecce pax et consolatio, quam mundus et creatura nulla dare potest. Infundo me totum in sinum beneplaciti tui. Haec requies mea, hic habitatio, quoniam elegi eam. *In pace in id ipsum moriar.*

*Suspiria in Deum.* Ubi sum? Ah jube me, Domine, venire ad te. Exeam a mundo et ejus concupiscentiis; exeam a me ipso, ut nusquam sim, nisi in te. O quando erit felicissima illa hora, qua mihi vel annuas, vel dicas: Veni de Libano, veni! Ecce me, respondebo, adsum: nec ullum me aliud votum vel momento retardabit.

*Vita in Deo.* In te, per te, propter te vivo, Deus cordis mei. Tu vita animae meae. Nullam volo mentis, nullam corporis operationem, quae non sit beneplaciti tui. Hoc solum me movet, ut excedam rebus omnibus creatis. Quo moveor, illo vivo. Vivo te, vita mea, Deus meus.

*Unio cum Deo.* O quam mihi bonum est adhaerere Deo! Jam experior, quod, qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum eo. Tu mihi hoc obtinuisti, amabilissime Jesu, quando etiam pro me orasti Patrem, ut sim in te, et in Patre unum, sicut tu et Pater unum estis. Et quis me separabit etc.

---

# INTRODUCTIO AD SACRAM SOLI- TUDINEM.

---

Ego lactabo eam et ducam eam in solitu-  
dinem, et loquar ad cor ejus.

Osee 2, 14.

**S**piritualia S. Ignatii exercitia sunt brevis quidam aliquot dierum secessus a communi hominum societate et curarum strepitu remotus, in quo anima omnium maximo salutis negotio unice vacans, unitis viribus secundum traditam ab eodem methodum in vitae veteris correctionem, ac novae institutionem incumbit. Haec ergo ut optato cum successu obeamus, prologi loco praecipua afferam *incitamenta*, et selectiora quaedam suppeditabo *monita* hanc in rem multum profutura, ut illis animati, his vero instructi, ejusmodi octiduo et velimus, et sciamus ea omittere et exequi, quae ad colligendos hujus eremi fructus magis conducunt. — Admirabile vero aurei hujus inventi *systema*, quod §. 5 rudi calamo delineatum oculis subjiciam, haud parum, ut spero, lucis affundet.

## §. I. *De incitamentis rite vacandi sacris exercitiis.*

Tria praecipue sunt, quae exercitii alicujus pretium aequis aestimatoribus commendare consueverunt, nempe ejus praestantia, utilitas et necessitas. Nam exercitationis

*praestantia* gignit rei aestimationem, *utilitas* parit illius desiderium; *necessitas* vero nutantem impellit voluntatem, ut etiam ipsa agere decernat, quod ratio ob rei praestantiam fieri suadet, et mens ob illius utilitatem effectum optat. Jam autem quanta sacrae hujus solitudinis eminentia sit ac necessitas: quam magna quamque salubria sint, quae inde percipiuntur, emolumenta, ex dicendis patebit.

I. Inprimis igitur ad excellentiam quod attinet atque *praestantiam* Exercitiorum, haec affatim inde elucet, 1. quod ea fuerint inspirante divino Flamine concepta<sup>1)</sup>: 2. magisterio augustissimae caelorum Reginae communicata<sup>2)</sup>: 3. a Sede Apostolica non solum approbata, sed maximis insuper encomiis exornata, ac Christi fidelibus amplissimis verbis commendata<sup>3)</sup>. Id quod librorum vix ulli, vel certe paucissimis contigit.

Rem autem sic se habere constat ex ipsis Summorum Pontificum constitutionibus, nec non ex testimoniis sacrae Rotae Auditorum ac sacrorum Rituum Eminentissimorum Cardinalium: uti et ex mente Societatis universae<sup>4)</sup>, atque ab auctoritate virorum et scientia et probitate excellentium, praecipue Ludovici de Ponte, Lancicii, Natalis, Rosignolii aliorumque, qui non tantum intrepide enuntiant, sed etiam solide probant, pias has S. P. Ignatii commentationes fuisse digito Dei conscriptas, unctiohe Spiritus sancti dotatas, a B. V. dictatas; denique a Paulo III., ne apice quidem mutato, quoad *omnia et singula in eis contenta*

1) Lancicius opusc. 18. cap. 5. Item Carolus Rosignolius in lib. *Notizie memorabili dei Essercizi spirituali*, lib. I. c. 1.

2) Lud. de Ponte in vita Marinae de Escobar. l. I. c. 5. p. 2. et in vita P. Alvarez c. 43. Natalis in lib. cui titulus: *Conversatio coelestis*. Carnolius c. 6.

3) Paulus III. in bulla *Pastoralis officii*, edita 31. Julii 1548. Item Julius III. in bulla, cujus mentionem faciunt Acta Sanctorum Antwerp. ad diem 31. Jul. fol. 615. lit. D.

4) Directorium, Exercitiorum in prooemio n. 2.



et quidem *ex certa scientia approbatas, collaudatas ac bullae patrocinio communitas*<sup>1)</sup>.

Praeterea solitaria haec spiritus exercitatio ab eodem Pontifice, uti et ab Alexandro VII. ac nuper primum a Benedicto XIV.<sup>2)</sup> plena poenarum indulgentia liberali munificentia ideo cumulata fuit, atque ditata, ut Christi Fideles *haec coelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione ad vacandum salutari adeo pioque operi* eo potentius *incitarentur*<sup>3)</sup>. Ut proin jure Illustrissimus Joannes Camus, Bellicensium Episcopus, hanc S. P. N. lucubrationem evolvens, stupore defixus exclamarit: *O librum omnino aureum et omni gemma pretiosorem! o librum divinum singulari cum Dei lumine scriptum, qui nunquam satis laudari possit; librum, qui abscondit in se manna deserti, medullam Libani et Sinape Evangelii*<sup>4)</sup>. His autem quid excellentius dici, quidve solidius afferi possit ad demonstrandam Exercitiorum *praestantiam* non dispicio.

Hoc ipsum autem efficax incitamentum nobis sit, oportet, ea summo cum fervore omnique virium contentione obeundi. Nam (ut minantur sacrae Paginae) *maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter*, vel (ut Septuaginta legunt) *negligenter*<sup>5)</sup>. Ergo cum sacrae hae commentationes (ut ex allatis paulo ante argumentis ad oculum patet) sint *opus Dei*; jure habent, quod sibi timeant illi, qui iis oscitanter vacant, quique tepida sua, quam post coelestem ejusmodi secessum vivere pergunt, vita eadem ingrati difamant, eorum efficacitati derogant, meritamque alias aestimationem iis apud alios adimunt, ac suffurantur.

II. Maximam praeterea esse talis Octidui *utilitatem* tri-

1) Loc. supra cit.

2) Paulus V. die 23. Maii 1606. Alexander VII. die 12. Octobris 1657. Benedictus XIV. in forma Brevis an. 1753. editi.

3) In Bulla Alexandri VII. Vide Acta SS. Antwerp. ad diem 31. Jul. f. 786. lit. E.

4) Acta Sanctorum l. c. — 5) Jerem. 48, 10.

plici ex fonte luculenter clarescit; nempe auctoritate, experientia, ratione. I. Ad *auctoritatem* quod spectat, infinitus forem, si omnia virorum tum doctrina tum sanctitate conspicuorum testimonia in medium afferre satagerem, quois illi profluentia inde emolumenta summis laudibus efferunt, praedicantque.

Ex innumeris non nisi pauculos delibasse sufficiat. S. Salesius Genevensium sidus fatebatur, ea esse *sanctam methodum corrigendi mores, quam magnus Dei servus Ignatius de Loyola in usum reduxisset*<sup>1)</sup>. S. Carolo Borromeo Mediolanensium oraculo erant *Bibliotheca perampla in libelli unius epitomen coacta, ex quo plura ipse intelligeret, quam ex ceteris omnibus discere posset*<sup>2)</sup>. Julius III. Pontifex Romanus ea enunciavit esse *apprime salubria, pietate ac sanctitate plena, atque ad spirituales profectum valde utilia*<sup>3)</sup>. Illustrissimus Camus ea appellat *manna absconditum, granum Evangelici sinapis, cedrorum Libani medullam*, adscripto hoc lemmate: *minima aspectu, maxima fructu*<sup>4)</sup>.

Denique a Blosio, Avila, Canisio, Strada, Suaresio et aliis a Rosignolio<sup>5)</sup> relatis, nominantur generis humani tirocinium, nova schola Divinae Sapientiae, Asceseos medulla, efficacissimum acquirendae brevi tempore summae perfectionis subsidium, certissima contra omnes morbos panacea, fortissimum contra stygem armamentarium unumque ex praecipuis, quod Deus ultimis hisce temporibus Ecclesiae suae contulit, beneficiis. His autem omni exceptione majoribus testimoniis temerario dissensu oblectari, et ingentem divini hujus inventi *utilitatem* inficiari, quid aliud foret, quam soli tenebras affingere?

<sup>1)</sup> In tract. de amore Dei, lib. 12. c. 8.

<sup>2)</sup> Bartol. lib. I. num. 18. vitae S. Ignatii.

<sup>3)</sup> In litteris confirmationis eorundem Exercitiorum. Vide Acta Sanctorum ad diem 31. Jul. fol. 615. lit. D.

<sup>4)</sup> Loc. supra cit. — <sup>5)</sup> L. I. c. 3. §. 1. Notizie dei Esercizi.

2. Praecipue cum insuper pro illa evidens suffragium *experientia* ferat. Nam (ut testatur Directorium) *plurimi hac Ascensi rite exculti, relicto mundo religiosos Ordines ingressi sunt: multi jam ingressi, egregie reformati sunt; nec singuli tantum, sed saepe integra caenobia. Complures etiam in ipso saeculo, cum ita vitiis addicti essent, ut nullo modo neque cohortationibus neque concionibus avelli possent, hoc uno se converterunt, et ad meliorem vitam constanter ducendam revocarunt*<sup>1)</sup>. Ut districtius dicam: insoliti animorum motus, stupendae morum correctiones, mira virtutum incrementa ordinarii sunt fructus, qui ex hac solitudine plena manu referuntur, in iis praesertim urbibus, ubi exercitiorum domus erectae florent.

Certe Societas nostra ultro fatetur, se ope hujus libelli genitam et nutritam, auctam et solidatam hactenusque in flore conservatam viguisse. His commentationibus suae sanctitatis vel initia vel augmenta grati adscribunt SS. Salesius, Borromaeus, Philippus Neri, Borgias, Xaverius, Theresia et Magdalena de Pazzis<sup>2)</sup>. Huic exercitationi perfectiorem vitam in acceptis referunt gemini Ludovici Blossius et Granatensis, Episcopus de Torres, Cardinalis Henricus, postea Lusitaniae Rex, nec non Bellarminus, Petrus Camus, Faber, Laynez, Natalis innumerique alii a Rosignolio recensiti<sup>3)</sup>. Sacrae huic palestrae suas triumphales lauros laeti appendunt tot in Indiis Martyres, qui generosum illud animi robur, quo tormenta pro Christo tam fortiter tolerarunt, ex hoc ipso armamentario se deprompsisse gloriantur.

3. Porro horum omnium *ratio* in promptu est. Nam ex una parte per istum ab omni negotiorum strepitu ac

<sup>1)</sup> In prooem. n. 7.

<sup>2)</sup> Acta Sanctorum Antwerp. ad diem 31. Jul. fol. 787. lit. E. Rosignolius lib. cit. c. 4. Natalis in lib. de conversat. coelest.

<sup>3)</sup> Lib. cit. c. 2.

curarum tumultu felicem secessum removentur omnium efficacissime illa obstacula, quae supernorum luminum affluentiam noxio obice remorantur. Ex altera vero parte per hanc octiduo continuatam aeternarum primae classis veritatum considerationem anima sublimem in modum praeparatur ad recipiendos ubertim illos gratiarum nimbos, quos coelum in hac eremo divite pluvia in ejus incolas effundere consuevit.

Denique per magnanimam illam erga Deum liberalitatem, quam a nobis requirit additionum Ignatii quinta §. 2. n. 3. referenda, Numinis benignitas grata coactione compellitur ad profundendos largo cum foenore suos in nos favores. Quid ergo mirum, quod sublatis ita impedimentis, quod animis tam bene comparatis, Superisque in vota tantopere pronis prodigiosae adeo morum correctiones inde sequantur; et ab ejusmodi animabus, relicta vitiorum semita, gigantibus passibus *atur de virtute in virtutem* usque ad montem Dei Sion<sup>1)</sup>, cujus summitate perfectionis culmea adumbrari Patres autumant. Haec certe stupendam esse hujus libelli *utilitatem* vel luce solis clarius demonstrant.

Quam horrendum ergo monstrum erit, illo ipso subsidio teporem non excusisse, quo tot alii sanctitatem sunt adepti: nobis domesticis toxicum fuisse, quod tot exteris balsamum fuit. Quam terrificam erit in articulo mortis haec cogitatio: debuissent fieri sanctus vi vocationis: potuissem fieri sanctus vi exercitorum; et tamen teporis coeno usque immersus haesi. Divino soli, gratiarum fonti, coelestique igni proxime assidens, semper tenebricosus, siccus et frigidus permansi. O quam tristes olim sensus horum memoria moribundis creabit! Caveamus ergo, ne per illud ipsum adjuvamentum nos properemus ad carcerem lustricum, quo alii in coelum.

III. Denique urgentem esse sacrae hujus solitudinis

---

<sup>1)</sup> Psalm. 83, 8.

*necessitatem*, probat I. praesens animae status, cui corrigendo praesentissimum et unicum hae commentationes remedium sunt. Nam tot rebelles animi motiones necdum domitae, tot vitia necdum emendata, tot habitus pravi necdum depositi, item imponenda nobis suo tempore officia, imminentes nobis calamitates, irruiturae in nos tentationes, haec profecto abunde ostendunt, quam maxime necessarium esse, ut in ejusmodi secessu, posita ad radicem securi, tandem aliquando conscientiae stimulis respondeamus, exuto veteri homine novum induamus, ac illi obtinendae virtuti fundamentum jaciamus, cujus adhuc nec ideam habemus, et quam tamen a nobis status sanctitas, gratiarum copia, Deique voluntas exigit et exspectat.

2. Praeterea, ut omni conatu huic exercitationi nos impendamus, exigit amor, quem Societati tanquam Matri habere nos decet, genuini ejus filii audire si cupimus. Nam eandem *hoc maxime medio et initio coaluisse, et postea incrementum accepisse*, ac unice conservandam etiam in posterum esse, testatur Directorium, a Congregatione quinta Generali Romae approbatum<sup>1)</sup>.

Nihil hic per auxesin dici multiplex ratio evincit. Nam studium rerum spiritualium, uti declaravit Congregatio Generalis undecima decreto 30. est *anima* Societatis; hoc autem studium ejusmodi octiduo potissimum incendi, nutriri, augeri in comperto est. Item Spiritus Societatis in tertio humilitatis gradu a S. P. N. in libello exercitiorum delineato praecipue consistit. Jam vero Manresana haec specus est illa fornax calefaciens, quae hujusmodi spiritus ignem accendit. His ergo in Societate deficientibus, deficiat quoque ejus anima ac spiritus, tandemque et ipsa necesse est. Hanc igitur Matrem ingratus odit, qui efficacissimum, quin necessarium ejus conservandae subsidium vel omnino negligit, vel solum tepide obit.

---

<sup>1)</sup> In prooemio num. 7.

Imo sibi met ipsi quoque infestus est. Nam talis utpote membrum anima Societatis destitutum, toti corpori pondus inutile fiet: erit aes sonans et cymbalum tinniens; pulchrum quidem organum, sed quia sine spiritu, etiam sine motu auditorum: erit ignis fatuus, possidens quidem aliquid spuriae lucis; sed, quia nil veri ardoris, etiam nil habebit supernae unctionis. Ut tribus verbis dicam, talis ad fructificandum ineptus, religioni probro, exteris risui, sibi sociisque oneri erit. Si tamen non omnino vindici fato, a sacro Ordine resectus, foras abjiciatur.

3. Denique fors haec exercitia sunt ultima vitae: forsitan iis annexa est finalis, vel saltem alia primi ordinis gratia: forsitan ab iis dependet tua, qui haec legis, perfectio: fors aliorum etiam salus, quos Deus per te ad frugem reducere decrevit; siquidem in hac solitudine aptum ad id instrumentum te reddideris. Temerarium foret, quicquam hac in re incerto ac dubio casui committere. Certe his commentationibus rite vacasse nunquam te poenitebit; at ea oscitanter obiisse, fors aeternum dolebis. Ergo securius eligas.

Secus time. Nam, *cui multum datum est, multum quaeretur ab eo*<sup>1)</sup>; cui autem benignum Numen copiam concessit his exercitationibus se excolendi, certe plurimum dedit. Ergo plurimum pariter ab eodem et exigit et expectat. Nova ejusmodi per octiduum solitudo novum est talentum. Vae ergo illi, qui illud *abiens fodit in terram*<sup>2)</sup>, ac cum eo negotiari negligit; pro mensura enim gratiarum crescet rigor reddendae rationis.

O si *acceptabile* ejusmodi *tempus*, si hi *dies salutis*<sup>3)</sup> concederentur animae in purgantibus flammis detentae, quo ardore eisdem vacaret? Ergo eadem poena dignissimi sumus, ni nunc providi agamus, quod olim omisisse in lustrico carcere tantopere lamentabimur.

---

1) Luc. 12, 48. — 2) Matth. 25, 18. — 3) 2. Cor. 6, 2.

Ex his patet, non solum summam Exercitiorum *prae-stantium* esse ac *utilitatem*, sed etiam urgentem premere *necessitatem*, iis nos totos omni cum fervore impendendi. Id ergo ut fiat, observanda erunt sequentia monita ad praedictum finem plurimum conducentia, et quae triplicis generis sunt. Aliqua concernunt comparationem animi *internam*; aliqua dispositionem rerum *externam* exercitiis praemittendam; alia demum in ipso eorundem decursu in praxin deducenda erunt.

**Monitum.**

„Hujus Paragraphi I. Numerus III. servire poterit pro materia meditationis vel considerationis pridie exercitiorum ante vel post prandium peragenda. Reliqua, uti et sequentes paragraphi argumentum erunt lectiones spiritualis inter tempus antemeridianum et pomeridianum dividendae. Saltem curandum, ut pridie legantur Monita §. II. et III.“

**§. II. Monita ad comparationem animi internam pertinentia.**

I. Cum fructus sacri ejusmodi secessus in eo minime consistat, ut quis abundet luminibus, diffluat lacrimis, recreetur consolationibus; aut ut solum quis per aliquot dies plus temporis tribuat orationi, lectioni, mentisque collectioni; cum, inquam, cardo rei in eo haud vertatur, sed ejus princeps ac unicus finis sit 1. solida morum *correctio*: 2. major in virtute *progressio*: 3. denique voluntatis divinae circa nos vitaeque statum clarior *cognitio et expletio*; cum haec, inquam, sit meta sacrae hujus solitudinis, hoc pariter animo haecque intentione ei initium erit dandum, ut nempe inde toti in alios ac meliores mutati, atque a nobis ipsis penitus diversi, et ad omnem Dei voluntatem cerei denuo exeamus. Hic scopus sit nobis in ipso ejus limine propositus; huc in decursu omni ope unice constanterque tendamus <sup>1)</sup>).

<sup>1)</sup> Directorium cap. 2. num. 4. ubi haec: Libenter et avide exercitia aggrediatur, non tam ut spirituali dulcedine fruatur, quam 1. u'

II. Hunc in finem jam pridie, instituto brevi examine status, tria erunt praestanda. 1. Concipiendum erit fervens desiderium divinam circa se voluntatem agnoscendi, cum regio Psalte saepius de die suspirando: *Domine! doce me facere voluntatem tuam*<sup>1)</sup>. 2. Determinandum erit unum vel alterum *vitium* aut vitiosa affectio, quod reliquorum fons est ac primum profectus obstaculum, deinceps stirpitis eradicandum. 3. Seligenda erit una vel altera *virtus*, qua modo amplius et prae aliis indigemus, imposterum omni cura menti inserenda. Ad quae dein tanquam ad duplicem scopum omnes meditationes, considerationes, lectiones etc. erunt dirigendae. Magni ponderis haec annotatio est.

III. Exercitia sunt auspicanda 1. cum *persuasione* firmissima, nos iis summopere indigere, ab iis summa quaeque dependere, *maximique rem momenti nos aggredi*. Quo sublimior enim eorundem aestimatio fuerit, eo ardentior pariter animae contentio erit. 2. Inchoanda sunt cum humili *diffidentia* de propriis viribus. Haec enim ille magnus est, qui mira vi superos favores attrahit, quos praefidens sibi superbia fugat. 3. Incipienda sunt cum magno ac liberali erga Deum animo, nec non efficaci decreto nihil omnino Eidem negandi, nullos gratiae limites ponendi (*usque ad quos se illuminari quis, ac juvari velit, non autem amplius*), nil excipiendi aut limitandi; sed omnia generose sacrificandi, omnia agendi et vitandi, quaecumque sibi a nobis sacrificari, quaecumque a nobis fieri, vel vitari supremum Numen voluerit, cum omnimoda ad quidvis *indifferentia*: cavendo, *ne ullam quis deliberationem afferat, a qua dimoveri nolit*. 4. Firma insuper *fiducia* sperando, infinite beneficam Conditoris bonitatem, *quae dedit velle,*

---

Dei voluntatem de se intelligat; 2. ut praeter desiderium proficiendi in spiritu, 3. suum affectum a terrenis omnibus avellat, et eum in suo Creatore collocet.

<sup>1)</sup> Psalm. 142, 10.



*daturam et perficere; siquidem ejus voluntas est sanctificatio nostra* <sup>1)</sup>. Hac mentis comparatione huic sancto operi initium dedisse, insignium auxiliorum celsarumque virtutum hac via acquirendarum felix prognosticon erit.

IV. Cum peccata venialia, suique effusio in externa nimium quantum impediunt caelestes gratias, utpote quas Deus, per leves ejusmodi noxas et dissipatae mentis aberrationes offensus, subtrahere solet; hinc non solum tempore exercitiorum (iis enim durantibus etiam tenui culpa infinitam Majestatem saltem pleno consensu lacessere, divinis charismatibus nimis magno obici foret), sed etiam pridie jam puritati conscientiae et collectioni animae singulariter studendum erit, omnem naevum venialem, suique effusionem sollicite vitando.

Non raro enim etiam Religiosi, die pium hunc secesum antecedente, imitantur quosdam subin candidatos Religionum, qui ante suum in eas ingressum mundo valedicturi, genio, liberius indulgent; dum horum more etiam illi in vestibulo sacrae hujus eremi animum licentius dissipant; quasi non jam alias satis habeant, quod vel colligant, vel corrigant. Insignis haec fraus daemonis est, qua id lucratur, ut dein in poenam hujus pridiana dissipationis primi exercitiorum dies male et tepide sine pio motu et solatio transigantur, non sine gravissimo eorundem fructus detrimento. Nempe, sicut praevia praeparatio est ordinaria conditio, sine qua non bene succedit meditatio; ita quoque haec pridiana animi collectio puritasque est conditio, sine qua non bene succedent exercitia. Et hae quatuor admonitiones praeparationem animi internam attingunt.

### §. III. *Monita ad dispositionem rerum externam spectantia.*

I. Pridie nostri in sacram solitudinem ingressus omnia, quae nobis curanda incumbunt, negotia ita componantur,

<sup>1)</sup> *Direct. c. 2. n. 1. 3. 4 et 5.*

ut propter illa distrahi postea necesse háud sit. Ordinetur cubiculum, amoveantur res omnes, quae animum dissipare possent, etiam libri, ita ut nil oculis obvium sit (quantum fieri potest), quod ad exercitiorum usum non attineat <sup>1)</sup>).

II. Praeparentur duo libelli papyracei, cui uni inscribantur lumina, alteri proposita, uná cum efficacioribus eorundem incitamentis <sup>2)</sup>). Summi momenti hoc monitum est. Certe si aulicus pretiosam gemmam a Rege donatam negligenter abjiceret, indignum se redderet ulteriori gratia ac munificentia. Immissa nobis lumina caelestes gemmae sunt omni auro pretiosiores. Has ergo qui negligit, amplioribus se indignum reddit. Plures jam papyri fascēs et chartarum scapos inutili scriptione maculavimus; (an ergo nimium sit, saltem chartulam in sanctum adeo opus insumere? Notandum tamen, quod monet Directorium, *haec brevissime in tabulas referenda esse, non diffuse per modum sermonis*; ne scilicet tempus surripiatur aliis occupationibus cum violatione ordinis diurni <sup>3)</sup>).

III. Frequenti et ferventi prece bonus exercitiorum successus erit praeviis jam diebus ab inexhausto bonorum omnium fonte Deo, praesertim pridie efflagitandus; visitando hunc ob finem crebrius latens triticea sub nube Eucharisticum Numen, recitando eadem intentione et majori cum attentione pensum sacerdotale aut marianum, eligendo singulares quosdam ex Coelitibus Patronos, sub quorum auspiciis hoc salutis octiduum transigere statuamus.

IV. Etiamsi is, qui exercitia obit (verba Directorii sunt) alioquin prudens sit vel doctus, et in rebus agendis exercitatus; tamen pro hoc tempore non confidat suae prudentiae vel doctrinae, sed totum se committat duci suo. Itaque instructorem suum ita intueatur, tanquam Dei instrumentum ad hoc, ut dirigat, sibi missum. Proin nil eum

<sup>1)</sup> *Direct. c. 2. n. 2. et c. 3. n. 2.*

<sup>2)</sup> *Ibid. c. 3. n. 5. Item c. 7. n. 2. — <sup>3)</sup> Loc. cit.*

et, nil dissimulet, sed sincere totum cor ei patefaciat: dicit ei in omnibus perfecte, neque alias meditationes, neque alium ordinem diurnum teneat, quam ille praescripserit; quod etiam intelligendum de poenitentibus et corporis exercitationibus est. Et in summa hoc sibi persuadeat, quod magis et exactius illius ductum sequetur, eo aptiorem esse ad Dei gratiam largius accipiendam; quia illa humilitas et illa simplicitas valde Deo placet, et cum talibus est sociatio ejus. Ita Directorium <sup>1)</sup>).

#### IV. *Mōnita ipso tempore exercitiorum observanda.*

I. Ipso durante pio secessu continua quaedam et accuratissima animi collectio erit conservanda per sollicitam rigoremque custodiam 1. *Sensuum*, praecipue oculorum, eos neminem fixius defigendo: aurium, nullos rumusculos, verbas aut nuntios admittendo: linguae, silentium religiose ad scrupulum observando. 2. *Phantasiae*, nullam omnino cogitationem de alia quacunque demum re, huc nil ferente, admittendo; perinde ac si nullum aliud in hoc mundo; quod pertractetur, superesset negotium: imo illas etiam cogitationes pias repellendo, quae materiae meditationis proxime institutae vel instituendae minus conueniunt. 3. *Solitudinis*, sine necessitate cubiculo non habitando: sibi omni alia occupatione severa lege interdicendo; ita quidem, ut non solum interdiu, sed etiam post corporis refectionem nil aliud legatur, consideretur, scribatur, quam quod pro illa die praescriptum est; quodque connexionem habet cum exercitiis eorumque fine. Imo ab omnibus quoque manuum laboribus abstinendum erit, qui plus otio corpus fatigant, aut animum dissipant <sup>2)</sup>). *Tanto enim maiorem quis faciet progressum, quanto magis ab amicis*

<sup>1)</sup> C. 2. num. 6. et 7. — <sup>2)</sup> Direct. c. 2. n. 2 et 4. n. 1.

*notisque omnibus, et ab omni rerum humanarum sollicitudine sese abduxerit. Et quanto se magis repererit anima segregatam ac solitariam, tanto aptiorem se ipsam reddet ad quaerendum attingendumque Creatorem* <sup>1)</sup>).

In nostro Spirensi Collegio quidam ea aetate celeberrimus aulae Caesareae Minister non minus armis quam consiliis promptus, Ignatianae Ascensi arcta adeo solitudine vacabat, ut non solum amicorum nemini accessum ad se permiserit, sed nec submissas interea temporis a Fernando Caesare litteras reserari sustinuerit; verum clausas eas ad exercitiorum finem rejecerit cum dicto: negotium, quod cum Regum Rege tractandum suscepisset, tanti momenti esse, ut nullam de terreno Principe cogitationem admittat <sup>2)</sup>. O quantopere hoc exemplum illos Religiosos confundit, qui ejusmodi dissipationes non solum tali octiduo non arcent, sed ultro accersunt. Apponi hic merentur verba R. P. Diertins Poloniae Visitoris, quae sic habent: *Ex his facile judicabitur, quantum boni impediatur, et quantum damni inferatur spiritui; quando illi, ad quos spectat, non curant sollicitate, ut sui, dum exercitiis excoli volunt, aut debent, ab aliis omnibus occupationibus liberi sint* <sup>3)</sup>).

II. Meditationi vacandum erit 1. *reverenter* quoad situm, praecipue dum actus voluntatis elicimus; tunc enim major a nobis reverentia exigitur, quam cum intellectum exercemus. 2. *Integre* quoad tempus, ita ut potius plus temporis quam minus horariis commentationibus tribuisse nobis conscius simus; producto etiam, ingruente fors ariditate aliove traedio, ultra praefinitam horam exercitio. Neve

<sup>1)</sup> S. Ignatius in lib. Exercit. annotatione ultima ex viginti.

<sup>2)</sup> Rosignolius Notizie memorabili dei Essercizi l. 2. c. 6. §. 1.

<sup>3)</sup> In explanatione Exercit. in prolegomenis ad exercit. ad additio-

meditatio in studium degeneret, plus semper morae tribuendum erit affectui quam discursui. 3. *Ferverter* quoad applicationem; cavendo tamen, ne promissum aliquod vel votum inconsulto ac praecipiti ardore emittatur, aut ne caput laedatur <sup>1)</sup>).

*Est enim magnum hujus ultimi periculum* (ut observat Directorium) *tum tempore desolationis, quo anima magis conniti solet quasi adverso flumine, se cogendo ad devotionem et lacrimas; tum etiam tempore consolationis, cum se totam dat propitiis ventis.* Sufficit ergo, si ea in meditando adhibeatur diligentia, quae haberi solet, dum quis loquitur viro magnae auctoritatis, aut in publico consessu; *solidus enim fructus consistit in cognitione illarum veritatum et voluntatis motione, quae procedunt ex lumine intimo; non autem in ejusmodi attentione violenta, aut in coactitiis illis lacrimis <sup>2)</sup>.*

Ceterum tempore, quo solatia coelitus affluunt, duo erunt observanda; 1. ne evanescente illo suavi sensu simul omnis pereat fructus, hae consolationes semper dirigendae sunt ad morum emendationem, propositorum confirmationem, totiusque vitae institutionem. 2. Praeparandus est animus ad tempus desolationis et ariditatis; ne, cum postea ingruerint, imparatum dejiciant. Apposite ad rem Thomas a Kempis, *cum spiritualis*, inquit, *a Deo consolatio datur, cum gratiarum actione accipe eam: sed Dei munus intellige esse, non tuum meritum. Noli extolli, noli nimium gaudere, nec inaniter praesumere: sed esto magis humilior ex dono, cautior quoque et timoratio in exactis actibus tuis; quoniam transibit hora illa, et sequetur tentatio.* Contra vero *cum ablata fuerit consolatio, non statim desperes; sed cum humilitate et pa-*

<sup>1)</sup> S. Ignat. in lib. Exercit. annot. 3. item 12. 13 et 14. ex viginti.

<sup>2)</sup> Cap. 8. n. 3.

tientia exspecta coelestem visitationem; quoniam potens est Deus, ampliolem tibi redonare consolationem<sup>1)</sup>. Proin si exercitans aridus fuerit, aut desolatus vel distractus, 1. accuratius observet additiones. 2. Humiliet se sub potenti manu Dei, seque resignet divinae ejus voluntati. 3. Magna cum patientia perseveret in oratione, memor divini illius effati: *Si morum fecerit, exspecta illum; quia veniens veniet, et non tardabit*<sup>2)</sup>; sibi que persuasum habeat, illam ariditatem ideo permitti a Deo, quia sibi sic expedit. Nam (ut advertit l. c. pius Asceta) *istud non est novum, nec alienum viam Dei expertis; quia in magnis Sanctis et in antiquis Prophetis fuit saepe talis alternationis modus*. Porro illa displicentia et amaritudo, qua tali casu non raro affligimur, saepe provenit vel ex amore proprio, quo consolationes nimium appetimus, vel ex superbia, qua etiam in hoc genere excellere cupimus<sup>3)</sup>.

III. Pro lectione spirituali ejus generis libri assumatur, qui non solum boni et utiles sint; verum etiam apti et opportuni ad gignendum illum affectum, qui eo tempore in exercitiis quaeritur. Hinc conformanda erit lectio materiae meditationis paulo antea peractae vel proxime instituendae; atque ad eam, seu ad conceptum in ea propositum, dirigenda; non rem cursim percurrento, sed lectis meditare immorando, intentumque ab auctore affectum imbibendo. Etiam vitas Sanctorum oportet esse selectas, et valde accommodatas ei, qui facit exercitia<sup>4)</sup>.

Sed et illud cavendum, ne legendi dulcedine ita se quisquam distineri sinat, ut tempus eripiatur meditationi, aut etiam praeparationi ad eam. Semper enim aliquanto antea illam debet se exercens omnia relinquere, et omnem cogitationem suam convertere ad puncta illius exercitii, quae

<sup>1)</sup> L. 2. de imit. Christi c. 9. — <sup>2)</sup> Habac. 2, 3. — <sup>3)</sup> Direct. n. 2 et reliquis. — <sup>4)</sup> Ibid. c. 3. n. 2 et 4.

jam instat. Cavendum quoque est, ne nimis legendo defatigetur animus, et quasi vires ejus exhauriantur. Oportet enim salvam semper relinqui meditationem, et cetera omnia huic uni servire<sup>1)</sup>. Uberiorem de rite peragenda oratione mentali ac pia lectione instructionem hic addere supersedeo; cum illam et in meis commentationibus de virtute solida parte 2. cap. 2. §. 3. item part. 1. c. 2. §. 3. n. 2. fusiùs tradiderim; quae utilissime hoc tempore percurretur. *Ceterum quod de legendo dicitur, idem de scribendo intelligendum. Nihil enim aliud scribi debet praeter ea, quae pertinent ad orationem, nempe puncta aliqua, quae Dominus communicaverit sub meditatione, vel etiam extra meditationem; quae tamen brevissime notanda sunt<sup>2)</sup>.*

IV. Materia examinis particularis tempore exercitiorum quotidie bis instituendi est sequens<sup>3)</sup>, scilicet magna accuratio in obeundis debito cum fervore functionibus praescriptis; nec non sedula observatio ordinis diurni et additionum a S. Ignatio traditarum, quarum hoc est breve compendium. 1. Ante somnum cogitare de hora surgendi, uti et de materia meditationis; quod ultimum denuo faciendum postero mane, simul ac stratum deseritur. 2. Uno vel altero passu distando a loco orationis, constituere se in praesentia Dei. 3. In puncto, in quo quis assecutus fuerit quaesitam devotionem, conquiescere sine ulla transcurrendi ad aliud anxietate. *Non enim abundantia scientiae, sed sensus et gustus rerum interior desiderium animi explere solet<sup>4)</sup>.* 4. Meditatione finita inquirere, quomodo ea successerit. 5. In prima et tertia hebdomade subterfugere cogitationes gaudium afferentes etiam pias, v. g.

<sup>1)</sup> Direct. c. 3. n. 6. — <sup>2)</sup> Ibid. n. 5. — <sup>3)</sup> In lib. Exercit. annot. ultima ex decem; ubi omnino ad finem haec habentur: *Particulare examen fiat ad tollendas culpas et negligentias, quae circa exercitia et additiones solent obrepere.*

<sup>4)</sup> S. Ignat. annot. 2. ex viginti.

de resurrectione Christi; ac immorari solummodo his, quae sanctam tristitiam conciliant ac fovent; nec non cubiculum reddere obscurum. 6. Non ridere, nulli loqui, neminem fixius aspicere. 7. Augere opera poenitentiae, nempe usum cilicii, flagelli, abstinentiae, durioris lecti etc. citra valetudinis tamen grave periculum; et quin de somno necessario quicquam dematur; nisi fors ad moderandam ejus nimietatem <sup>1)</sup>).

*In his additionibus observandis diligentia omnis ponenda est, quoniam quo diligentior quis in hoc fuerit, eo citius et uberius inveniet fructum spirituales, qui quaeritur <sup>2)</sup>.* Haec quatuor documenta toto durante octiduo perenni memoria erunt recolenda, adeoque saepius relegenda.

#### §. V. *Compendiaria synopsis seu systema exercitiorum.*

I. Exercitia universim accepta in quatuor hebdomades a S. P. N. dividuntur, non tam numero dierum, quam materia meditationum mensuranda. Prima hebdomas respondet viae *purgativae*; quia in ea per nostri ipsorum cognitionem peccatique execrationem tendimus ad animae purificationem. Secunda et tertia convenit viae *illuminativae*; quia in ea, considerando virtutes Christi ab eodem in vita sua tum privata tum publica exercitas, mire illuminamur, et ad illum per eas imitandum potenter excitamur. Quarta congruit viae *unitivae*; quia in ea Christi gloriam contemplando, per amorem spirituales Deo, ultimo fini nostro, intime unimur.

Unde patet, sacra Exercitia nil aliud esse quam admirabile compendium Theologiae asceticae, et securam manuductionem ad summam perfectionem; cum per dictas tres vias, quasi per regiam justitiae semitam, nos a peccatis

<sup>1)</sup> In lib. Exercit. ad finem hebd. primae. — <sup>2)</sup> Direct. c. 3. n. 1.



per virtutum tramitem ad amorem divinum (qui sanctimoniae apex est) ordinate deducant. Ut proin non solum eorundem finis sublimissimus sit; sed ipsa quoque medium existant omnino aptissimum, ad tam nobilem scopum certissime attingendum.

II. Nam I. perpensa celsitate ultimi, ob quem creati vivimus, *finis* incitatur voluntas, ut eum consequi toto nisu contendat. Id ergo ut ordine fiat, initio statim removentur *obstacula*, quae huic fini consequendo maxime adversantur, scilicet peccata, quae abolentur per eorum execrationem et confessionem. Neve rursus transfugo pede in antiquam silvam velut canes ad vomitum redeamus, salutari timore percellimur, quem nobis incutit consideratio mortis, iudicii ac tartari; uti et poenarum a divina Nemese praevericatis angelis, protoparentibus aliisque inflictarum.

2. His impedimentis e medio sublatis, nobisque cum filio prodigo a coelesti Patre denuo in gratiam receptis, offertur *adjumentum* ad progrediendum in perfectione, obtinendumque ultimum finem nostrum cum primis excellens et efficax, nempe exemplum Christi, utpote quo nec dux peritior, nec via securior, nec comes fidelior, nec adjutor promptior, potentiorque excogitari potest. Cujus propterea virtutes ac praecipua vitae mysteria pie meditanda exhibentur.

3. Ut vero ad eum *perfectiori etiam modo* imitandum eo fortius animemur, ternae meditationes illae, videlicet de duobus vexillis, tribus hominum classibus, ac totidem gradibus humilitatis divino prorsus consilio assignantur. His enim ad perfectiora practice *eligenda* mire impellimur. Utque factam electionem constantia coronet, mox proposito Christi *patientis* exemplo, in concepto sanctioris vitae decreto, etiam inter adversa et vexationes, cum honoris et sanitatis discrimine servando, efficaciter confirmamur.

4. Denique Christi resurgentis gloria erecti, promissis in coelo praemiis animati, eorumque infinitate in bene coeptis

solidati, ducimur ad amorem Dei ac intimam cum eo per charitatis vinculum conjunctionem, plenamque voluntatis nostrae cum divina conformationem; in qua nostra omnis perfectio ac felicitas consistit, et quae hujus sacrae solitudinis unicus finis est: primus quidem in intentione, sed ultimus in executione. Haec de exercitiorum systemate obiter delibata sufficiant. Amplior occasio de meditationum nexu, rerum ordine totiusque operis compage plura loquendi, alias dabitur.

III. De prima tamen hebdomade hic pauca quaedam proloqui necessum est. Haec vocatur in directorio <sup>1)</sup> *fundamentum et basis* ceterarum hebdomadum, et ideo nunquam praetermittenda. Unde patet, quanto cum fervore eidem vacandum sit; cum exinde dependeat felix etiam reliquarum successus.

Porro scopus primae hujus hebdomadis et fructus inde colligendus est triplex: 1. Omnimoda *indifferentia* ad omnia media, per quae Deo ad ultimum finem nostrum nos perducere placuerit <sup>2)</sup>. 2. Intensus *dolor et horror* de peccatis, per quae tum deviavimus ab ultimo fine nostro, ut sunt venialia; tum omnino aberravimus, ut sunt lethalia <sup>3)</sup>. 3. Intima *cognitio sui* nempe motionum menti dominantium, habituum vitiosorum, et radicis defectuum, qui nos sensim abstrahunt ab ultimo fine nostro <sup>4)</sup>, et in via perfectionis majori obstaculo sunt.

IV. Subsidia ad hunc triplicem scopum pertingendi S. P. Ignatius in suo libello assignat pariter aptissima. Nam 1. illam fundamentalem *indifferentiam* persuadere conatur attenta consideratione ultimi finis, ob quem tum nos, tum reliqua omnia unice creata existunt; et quae proin eatenus solum bona sint et appetenda, quatenus conducunt ad praedictum finem acquirendum. Unde sequitur, indifferens circa

---

<sup>1)</sup> Cap. 11. n. 4. — <sup>2)</sup> Ibid. c. 12. n. 2. — <sup>3)</sup> Ibid. c. 11. n. 2 et 3. — <sup>4)</sup> Ibid. c. 10. n. 8. et c. 11. n. 3.

ea mentis aequilibrium necessario habendum esse. 2. *Intensionem doloris* conciliare nititur per sedulam meditationem gravitatis peccati tum in se, tum in suis suppliciis. Quam multum promovet consideratio misericordiae Dei, peccatorem cum filio prodigo redeuntem paterno affectu in gratiam recipientis. 3. Denique ad *cognitionem sui* nos ducit constanti usu examinis tum quotidiani tum particularis, item investigatione ac confessione erratorum, si non a tota vita, saltem a longiori intervallo patratorum, nec non primo orandi modo, quo percurruntur praecepta Dei et Ecclesiae, septem peccata capitalia, tres mentis et quinque sensuum operationes, investigando, an et quomodo quis per haec conscientiam macularit, simulque inquirendo in causas et occasiones defectuum, uti et in motionem animo dominantem.

Ex quibus S. Auctoris excellens prudentia, electis aptioribus mediis ad praefixam sibi metam recta collineantibus, totiusque operis divina quaedam compages mirum in modum elucet. Quorum omnium praemissa haec, rudis licet, notitia non solum magnam rei aestimationem pariet; verum etiam desiderium incendet, huius negotio ferventi sese animo impendendi.

### Admonitio de usu hujus libri.

Quibus subjectae *meditationes* justo longiores videbuntur, illis solummodo earundem punctis immorentur, quae in praevis admonitionibus indicantur, reliquorum lectione in aliud commodum tempus dilata. *Materia lectioni* pie destinata non solum non nimia, sed vix sufficiens erit, si eidem praeter matutinum etiam illud tempus pomeridianum impendatur, quod a media prima ad medium secundae intercedit; et quod alias Historico legendo tribui solet; priori tamen finitae etiam hujus lectio utilissime subjungetur. Sique *considerationi* integra, ut oportet, hora tribuatur, nemo jure earundem argumentum prolixius excurrere conqueretur. Ad *examina status* quod attinet, legi

ea poterunt vel post meditationem vespertinam vel etiam post coenam, si aptius aliud tempus non suppetat vel occurrat.

De cetero cum secundum S. Ignatii mentem in exercitiis nil legendum, scribendum, imo nec cogitandum sit, nisi quod ad materiam illius diei pertinet, hujus moniti seu additionis studiosi gaudebunt, se legendorum copia ad ejus observantiam pia quadam necessitate adigi.

---

# OCTIDUUM SACRUM.

---

## DIES PRIMA.

Revela oculos meos, et considerabo mirabilia  
de lege tua. Psalm. 118, 18.

### MEDITATIO I.

#### DE FINE HOMINIS<sup>1)</sup>.

##### Punctum I.

**Creatus es a Deo.** Hic perpende, quis, unde, qualem et quo amore te creavit? I. Imprimis non Angelorum quispiam aut Potestatum, non Principatum aliquis aut Cherubinatorum, sed ipse *Deus* te creavit, ille nullius in-

---

<sup>1)</sup> Supponimus hic tum ex Theol. dogmatica, tum ex Ethica communem Catholicorum doctrinam ex sacris litteris sanctisque Patribus depromptam, Deum hoc universum ad gloriae suae manifestationem condidisse. — Cf. J. Perrone S. J. Praelection. Vol. III. Part. III. §. 226. — Fr. Xav. Roys S. J. Ethica. Part. I. Cap. II. §. XV.: „Se ipsum (Deus) ergo praeiixit, ac proinde ipse est finis *ultimus* rerum omnium. Decebat hoc plane conditorem universorum, et vero ipsa etiam rerum creaturarum conditio exigebat, ut ad illum omnia *ultimo* referrentur, a quo omnia traxerunt originem; atque ita idem esset *Alpha et Omega, idem principium et finis.* Apocal. 1, 8. Exigebat hoc denique et ipsius interminata bonitas, ut qui in rebus creatis necessario se amat, eas non nisi propter se ipsum condiderit. Ita ratio naturalis demonstrat, quod revelatio divina confirmat: Uni-

mus, plene quieti erimus. Contra vero illo solo non acquisito aut neglecto, licet omnibus aliis abundemus, et reliquis omnibus vacemus, semper inquieti erimus. Desideria nostra irrequieto nisu semper plus ultra tendent. Nempe lapis non nisi suo in centro homo, non nisi in suo fine ultimo, scilicet in Deo ejusque servitio tanquam in centro quiescit.

4. Servire Deo est finis et negotium hominis *maximum*; quia inde dependet felix aut infelix aeternitas, aeterna tormenta aut aeterna gaudia. Quia malus hujus negotii successus irreparabilis est; nam hic vel semel errasse sempiternum periisse est. Quia est illud negotium, quod unice nos in articulo mortis anxios habebit. In summa: servire Deo est finis et negotium hominis maximum, ultimum, unicum, essenziale. Ergo huic unice, totis viribus et constanter incumbendum est. *Creatus est homo a Deo, et pro Deo. Ergo etiam ab eo serviendum est Deo.* Ita est: ergo a te, qui haec legis, serviendum est Deo. Obganniat licet, obmussitet mundus, et obluetetur caro: a te serviendum est Deo. Id clamat omnis lingua coelestium, terrestrium et infernorum.

#### Punctum III.

*Et quidem serviendum est eo, quo is voluerit, modo....* Quid haeres?... Utique nec rusticus fert conductum a se servum, qui alio, ac jussus fuerat, modo operam suam praestaret. Cur ergo solus id ferat Deus? Nemo hominum rependit famulatum, qui alio fuit exhibitus, quam quo imperatus fuerat modo. Cur ergo talem remuneretur Deus? Ipsa beneficia, nisi conferantur, quo cupimus modo, ingrata vilescunt. Quanto magis servitia? Sanctissima opera, nisi ad Numinis nutum exigantur, nullius ponderis sunt. *Non est mihi voluntas in vobis*, dicebat olim Israelitis exercituum Dominus <sup>1)</sup>. Et quare? quia *in jejuniis vestris invenitur voluntas vestra* <sup>2)</sup>. Nempe non fiebant, quo coelum

<sup>1)</sup> Malach. 1, 10. — <sup>2)</sup> Isa. 58, 3.

optaverat modo; et hinc abominatio erant in conspectu divino.

Ex his vel sola ratione duce luculenter sequitur, serviendum esse Creatori non eo, qui nobis libuerit, sed qui ei placuerit modo. Bene haec fundamentalis veritas notetur, et aureis litteris alte animis insculpatur. Ergo si sapientissima mens illa te sibi servire voluerit in contemptu et egestate, inter morbos, aerumnas et vexationes, impie rebellis es, si non nisi honoratus et commode habitus, sanus et felix debitam ei servitatem deferre pertinax eligas. Ergo *indifferentem* te esse oportet *ad omnem obsequii modum*, quo supremus rerum omnium Conditor a te coli decreverit; nempe ad omnem vitae statum, aut in electo jam statu ad omnem perfectionis gradum, in quo ille te ei famulari constituerit. Et haec indifferentia ejusque praxis hujus meditationis princeps fructus est, omni connatu inde colligendus; quam multum promovebit 1. in intellectu viva et clara cognitio hujus veritatis: *Creatus sum a Deo et pro Deo*. 2. In voluntate singulariter firmum et efficax *generale* decretum, deinceps *Deo serviendi eo, quo is voluerit, modo*, quemque in his exercitiis notum facere dignatus fuerit.

### Affectus.

Praecipue sequentes erunt eliciendi, I. *Actus fidei*, quo firmiter credas, *servire Creatori* tuo, qui te, quem tantum peccatorem fore praeviderat, ex nihilo, prae tot alliis, tam insignibus donis instructum, infinito cum amore creavit, esse *ultimum finem* tuum, nec non *essentiale*, unicum maximumque *negotium tuum*. Reliquas vero creatas res super terram sitas, non esse nisi *media* ad hunc finem obtinendum, ad hoc negotium rite expediendum ab eodem ordinata.

II. *Actus indifferentiae* circa illa quatuor rerum genera a S. P. Ignatio in fundamento recensita, nempe 1. ad serviendum Deo in contemptu vel honore: 2. inter vitae com-

moda vel miserias : 3. in aegritudine vel sanitate : 4. vita longaeva seu laboribus abbrevianda, offerendo se insuper promptum NB. ad illud omne *vitandum*, vel *abjiciendum*, quod prae aliis ab ultimo fine et coelo abducit : nec non ad *tolerandum* vel *agendum*, quidquid efficacius ad eundem consequendum conducit. Uno verbo : *ad conscendendum illum perfectionis gradum*, ad quem nos eluctari Deus in his exercitiis voluerit.

Quam animi comparationem multum augebit practica fides sequentium Evangelii dogmatum. 1. *Bonum tibi est, cum uno oculo ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duos oculos, duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum*<sup>1)</sup>. 2. *Expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*<sup>2)</sup>. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur; animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua*<sup>3)</sup>? Uno verbo : quid prodest, divitem, honoratum, felicem vixisse, si sic damnor? et quid nocet, miserum, pauperem, despectum latuisse, si sic salvor? Viva, inquam, et iterata horum fides ad amplectendam eam, quam commendamus, indifferentiam voluntatem potenter impellet, simulque disponet ad aversandum, quidquid a fine ultimo abducit, et amplectendum, quidquid illuc conducit.

III. Elici etiam poterit 1. actus *gratitudinis* pro beneficio creationis. 2. *doloris* de abusu tot mediorum maloque usu sensuum animaeque facultatum. 3. *amoris* tam benefici Creatoris, cum proposito purae semper in omnibus intentionis habendae. 4. *Spei ac desiderii* Deo tanquam ultimo fine nostro aeternum fruendi. His tamen ultimis quatuor actibus solum breviter (ut monet Directorium) ac quasi per transennam immorandum erit<sup>4)</sup>. Primarius enim

<sup>1)</sup> Matth. 18, 8 et 9. — <sup>2)</sup> Matth. 5, 29. — <sup>3)</sup> Matth. 16, 26. —

<sup>4)</sup> Direct. c. 12. n. 5.



fructus et scopus hujus meditationis non est puritas intentionis, aut dolor de neglectu mediorum vel aberratione ab ultimo fine; sed solum indifferentia ad quemlibet servitii modum, quo Deus nos ei servire voluerit<sup>1)</sup>).

Toto proin nisu et maxima horae praesentis parte ad dictam virtutem et indicatam supra per hoc signum NB. animi comparationem obtinendam incumbas oportet. Quod si eousque assurgere timida mens necdum queat, saltem illius desiderium concipe, et pro illa acquirenda ardentibus votis coelum pulsa. Caveas autem, ob rei arduitatem animum despondeas; gratia enim, quae usque adhuc ob sapientissimos fines negatur, fors postea ampliori cum foenore concedetur; modo obicem non ponas, et praevia mentis praeparatione ea dignum te reddas.

\* Legatur Thom. a Kemp. lib. 3. Cap. 9 et 37 de Imitatione Christi.

---

## LECTIO DE PRIMO EXERCITIO, quod S. P. Fundamentum vocat.

### §. I.

I. S. P. Ignatius divinum opus suum non sine Numine auspiciatur a consideratione ultimi finis, ob quem conditi hunc orbem incolimus. Nam imprimis in omni operatione, ipsa suadente natura, primum ad quod attenditur, est perficiendae rei finis; cum is sit mensura, centrum et norma omnium reliquorum, quae ad ipsum referuntur. Ergo cum S. Pater per sua exercitia mortalium mores corrigere intendat, ut constat ex ipsa, quam praefigit, libri inscri-

---

<sup>1)</sup> *Gaudier*, Introductio ad solidam virtutem ad fundamentum Exercit. pag. 128.

ptione<sup>1)</sup>; merito a fine hominis eadem inchoat, cum ad hunc non solum omnis vitae correctio dirigi, sed ei etiam ipsa correctionis ratio conformari debeat. 2. Praeterea scopus sacrae hujus solitudinis est, animam per triplicem perfectionis semitam recta ducere ad possessionem ultimi sui finis. Id autem fieri nequit, nisi hunc mens rite perspectum habeat. Igitur provide ea illius notione mox initio inbuitur. 3. Denique primum, quod cuivis aedificio praemittitur, est fundamentum. Haec autem meditatio est fundamentum sublimis illius Manresanae ascesis. Ergo prudenti omnino ac divino ductus consilio S. P. N. ab hac exercitatione rei initium facit.

Vocatur autem ea a S. Auctore *fundamentum* seu *principium*; quia (ut Directorium ait) *est basis totius aedificii moralis et spiritualis. Sicut enim fundamentum fabricae totam ipsam sustinet, ita haec veritas influit in omnia exercitia, et praesertim in electionem status, seu ideae sanctoris vitae, quae electio fere tota hinc pendet<sup>2)</sup>*. Nam genuina emendatio morum consistit in eo, ut *eligamus* servire Deo, quo ipse voluerit modo. Haec autem electio, ut rite fiat, ante alia requirit generosum ad quidvis aequilibrium animi, quod aequilibrium cum praecipuus primae hujus commentationis fructus sit, liquet, quam merito illa *in omnia exercitia influere, ac totius aedificii basis*, imo conditio esse dicatur, sine qua rite praemissa, omnis hujus octidui labor optato exitu carebit.

II. Et hinc (Directorii verba sunt) *quo melius haec meditatio successerit, eo etiam melius reliquae succedent. Et quanto altius hoc fundamentum fuerit jactum, eo firmitus erit aedificium<sup>3)</sup>*. Unde patet, quanti intersit, ut viva primariae hujus veritatis cognitio quam altissimas in

<sup>1)</sup> In lib. Exercit. post annot. 20: „Exercitia spiritualia, ut homo se ipsum vincat, vitamque suam disponat absque ulla affectione, quae recte ordinata non sit.“

<sup>2)</sup> C. 12. n. 1 et 7. — <sup>3)</sup> C. 12. n. 3 et 7.

nente radices agat, quantove conatu enitendum sit, ut rimae hae exercitationes summo fervore obeantur; cum xinde dependeat omnis fructus reliquarum etiam functionum t felix totius sacrae hujus solitudinis successus.

Id cum probe calleat daemon, nihil non agit, ut per ridianam spiritus dissipationem praesentis diei ac principalis hujus considerationis utilitatem turbet ac impediatur: ut sub praetextu duplicandi postridie ardoris prima haec lies tepide transigatur, ut princeps haec veritas, quippe quae vel lippis notissima sit, solum obiter percurratur; benemeritus, se hac ratione lapidem angularem totius spiritualis hujus aedificii victrici nisu labefactasse.

Huic ergo fraudi ut provide occurrat Ignatius, nullum tempus certum huic exercitio assignat; nec illud instar aliorum intra unius horae limites coarctat; quo inquit, amdiu huic dogmati perpendendo insistendum esse, donec intellectus vivaci ejus notione penitus fuerit imbutus<sup>1)</sup>. Quae ipsa ratio est, quod et ego ad mentem S. Patris hujus repetitionem sub vespere praescribam, ut sic illatum mors a matutino tepore damnum vespertino fervore denuo compensetur.

## §. II.

I. Ad ipsum porro de fine hominis exercitium quod attinet, illud duo puncta serio expendenda complectitur: 1. *Creatum esse hominem ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, ac reveatur; eique serviens, tantum salvus fiat;* 2. *reliqua vero supra terram sita creata esse hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae prosequendum juvent*<sup>2)</sup>.

Proin sicut homo conditus est propter Deum, ita reliqua sunt condita propter hominem; adeoque sicut supremum

<sup>1)</sup> Direct. c. 12. n. 6. *Gaudier* loc. supra cit. pag. 130.

<sup>2)</sup> In lib. *Exercit. de fundamento*.

Numen est finis hominis, ita et homo est finis ceterarum, quae in orbe existunt, vegetant et sentiunt, rerum. Servire Creatori esse finem nostrum essentialem, unicum et maximum, erat argumentum meditationis matutinae; reliqua vero omnia non nisi adminicula esse ad hunc finem consequendum nos adjuvantia, erit materia meditationis secundae. Estque haec ejus generis veritas, cui fides et ratio una cum experientia communi calculo suffragatur, et quam in-ficiari nemo nisi atheus aut amens possit.

Ex his autem a S. Asceta nostro geminae summi ponderis conclusiones legitimo nexu deducuntur, quarum prima sic habet: *Ergo utendum illis (scilicet rebus creatis) vel abstinendum eatenus est, quatenus ad prosecutionem hujus finis vel conferunt, vel obsunt.* Altera vero sic sonat: *Quapropter debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes, et ex omnibus ea demum, quae ad nostrum finem ultimum nos melius ducunt, eligere ac desiderare. Ita ut non quaeramus sanitatem magis quam aegritudinem: neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi praeferamus<sup>1)</sup>.* Prima propositio ordinat rerum terrestrium *usum*: altera componit animi circa eas *affectum*. Utraque continet efficacissimum obtinendae per saltum summae perfectionis *arcanum*.

O igitur verba caelesti sensu plenissima! o doctrinam in specum Manresanam non nisi ex astris delapsam! o sententiam aureis litteris consignandam! Haec nempe est illa cedri medulla, illud granum sinapis, illud Manna divinum, quod sub tenui cortice absconditum delitescit, et quod rite ruminatum stupendos in animis effectus parit.

Exemplo nobis sit Martinus Olavius praeclearum Sorbonae lumen et Doctor Parisiensis, qui ingenue fassus est, se per unicam horam ex meditatione de fundamento instituta, condidicisse plura, quam per annos plurimos ex Theo-

---

<sup>1)</sup> *Ibidem.*

logia universa toties palam in praelectionibus explicata, atque speculationibus diurnis nocturnisque elucubrata. Quaedam Numini dicata Virgo, Bonaventura nomine, generis nobilitate, ingenii acumine, matheseos peritia aliisque naturae dotibus celebris non citius huic meditationi, quam liberiori vitae finem imposuit, et sanctiori initium dedit. Haec, licet Romae coenobium, a speculorum turri nominatum, incoluerit; tamen Religiosae nihil praeter vestem circumferebat. Venerabili P. Lancicio monasterium illud sacris exercitiis exculture omnem non solum ad mentem, sed etiam ad aures aditum obstinata occluserat, seque ne uni quidem functionum interfuturam obstinate edixerat.

At tandem precibus victa, cum allata paulo ante de fine hominis dogmata attentius expendisset, mox a seipsa penitus alia omnes nexu, quibus vanitati, nugisque nugarum arcte adeo adstricta adhaeserat, generosa uno ictu rescidit: omnes reulas, munera, imagines, tabulas, et quidquid mundum olebat, cubiculo exesse iussit: peculiare amicitias abruptit, nugacibus conventiculis valedixit, seque Conditori suo ad quidvis indifferentem obtulit, praesertim ad conscendendum illum perfectionis gradum, in quo ille eam sibi posthac servire voluerit, his (de meditationis successu rationem redditura) P. Lancicium allocuta verbis: *Pater! non oportet amplius joculari cum Deo. Agnovi, quid a me velit Deus, quid nolit. Volo tota esse Dei, et totis viribus conari, ut ad majorem Dei gloriam sine ulla mora sancta evadam, non qualiscunque sed magna, et cito.*

Promissis par quoque fides respondit, nam S. Catharinam Senensem aemulata, constanti usque ad mortem virtute, ad magnam sanctitatem est eluctata. Id nempe miraculi, tantamque metamorphosin in mundano hoc pectore prima haec commentatio patravit, effecit<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Lancicius opusc. 6. c. 22.

II. Nec mirum, postquam enim intellectus aliquando rite agnovit, nos non ideo hujus orbis incolas esse, ut in eo fruamur divitiis, honoribus, deliciis aut aliis similibus bonis; sed potius vice versa haec ideo esse condita, ut eorum vel usus vel contemptus nobis sit gradus ad coelum; haec, inquam, postquam intellectus aliquando rite agnovit, non potest voluntas non amplecti illud coeleste aequilibrium, quo erga res creatas affici decet; ex illis ea tantum et eatenus praecise admittendo, quae et quatenus nobis prosunt ad ultimum finem consequendum.

Et merito; nam media ut media non habent aliam bonitatem, ob quam eligi expetique mereantur, praeter aptitudinem perducendi ad finem. Ergo etiam in tantum solummodo appetenda sunt, in quantum ad eundem conducunt. Cum igitur mundi gloria, opes et gaudia, sanitas vitaeque longaeva non nisi media sint et adjuncta ad salutem operandam a Deo ordinata, ut docet fides; sequitur ea tunc solum esse bona et optanda, cum apta sunt adjuncta nos salvandi; mala vero existere summeque adversanda esse, huic fini cum adversantur. Adeoque aequabili mente circa ista habere nos oportere.

Sicut enim artifex pendula per officinam instrumenta, circumspiciens, indifferenti erga ea animo est, non tam materiam in illis quam usum contemplans; ita pariter nos decet esse affectu neutram in partem circa res creatas propensiore; iis eatenus solum utendo vel abstinendo, quatenus ad consecutionem praedicti finis vel conferunt vel obsunt. Certe derideretur ille, qui ad scribendum prae levi calamo gemmis et auro grave eligeret sceptrum. Ergo etiam praepostere agit ille, qui per honores, divitias et stratam floribus viam ad coelum tendere volet, quem Deus non nisi per contemptum et egestatem variasque aerumnas illuc perducere decrevit.

III. *Et profecto quid prodest, sanum, felicem, honoratum in vivis floruisse, si sic damnor? et quid nocet aegro-*

tum, pauperem, contemptum tabuisse, si sic salvor? Quid nocet nunc Lazaro, vilem et abjectum ante fores divitis instar canis jacuisse, plagis et ulceribus plenum? et quid prodest modo epuloni, omnibus vitae commodis abundasse cibis et opibus fartum? *Nunc ille in sinu Abrahae consolatur: dives vero sepultus est in inferno*<sup>1)</sup>).

Haec veritas ut altius in animum descendat, age, quicumque haec legis, accede ad orci fauces, resera tartari portas, *aperi puteum abyssi*<sup>2)</sup>, et immissa in illam voce, interroga damnatos, quid modo sentiant de illis suis terrestribus bonis mundique deliciis? Inclama iis illa Sapientiae verba: *Quid vobis profuit superbia? et divitiarum jactantia quid contulit vobis*<sup>3)</sup>? agite modo, et edicite, miseri, quid profuit, quid contulit vobis?

Ah! lugubri gemitu reponent: *Erravimus a via veritatis*, et ultimo fine frustrati, quia mediis abusi, toto coelo aberravimus! Heu! nostra culpa *lumen justitiae non luxit nobis*: nostro scelere *sol intelligentiae non ortus est nobis*<sup>4)</sup>; et hinc *procella tenebrarum in aeternum servata est nobis*<sup>5)</sup>.

Ah! *gustans gustavi paululum mellis*<sup>6)</sup>, ingemiscit ibi aliquis, igneum ex flammis efferens caput: vah! momentaneum erat, quod delectabat; et en! modo *extrema gaudii luctus occupat*<sup>7)</sup>, sempiternum duraturus. *Habebam multa bona*, ejulat alius, *posita in annos plurimos*<sup>8)</sup>; et subito *venit mihi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus*<sup>9)</sup>. Nunc adimpleo illud Prophetiae vaticinium: *Famem patientur ut canes*<sup>10)</sup>. Heu! *in quantum tribulationem deveni*, lamentatur tertius, *et in quos fluctus tristitias, qui olim jucundus eram et dilectus in potestate mea*<sup>11)</sup>; *qui induebar bysso et purpura*<sup>12)</sup>, vah!

1) Luc. 16, 22 et 25. — 2) Apoc. 9, 2. — 3) Sap. 5, 8. — 4) Sap. 5, 6. — 5) Judae 13. — 6) 1. Reg. 14, 43. — 7) Prov. 14, 13. — 8) Luc. 12, 19. — 9) Prov. 6, 11. — 10) Psalm. 58, 7. — 11) 1. Mach. 6, 11. — 12) Luc. 16, 19.

nunc induor pudore, et operior sicut diploide confusione mea<sup>1)</sup>.

Talia dicunt in inferno hi<sup>2)</sup>, qui astrorum obliti, in terra suo veluti centro quieverunt: qui mediis fructi sunt, quibus solum *uti* debuissent. Immani furore modo execrantur, et tanquam impedimenta salutis ac fomenta aeternae perditionis abominantur illud ipsum, quod olim vivi tanto cum ardore sectabantur. O quantopere modo detestatur Judas suos argenteos, epulo suas delicias, Saul regis honores; his nunc desperato ululatu maledicunt, triste illud vociferantes: *Quid profuit nobis*<sup>3)</sup>?

Contra vero oculos in altum erige, et aureas Coelitum sedes contemplare. Age, quid nocet illis modo *per multas tribulationes intrasse in regnum Dei*<sup>4)</sup>? O quo gaudio illi nunc diffluunt et laetantur, quod *egentes, angustiiati, afflicti, ludibria et verbera experti, lapidati sint, secti, tentati, in occisione gladii mortui sint*<sup>5)</sup>. Quod *opprobrium hominum, abjectio plebis*<sup>6)</sup>, *purgamenta mundi et omnium peripsema facti sint*<sup>7)</sup>. Quod *digni habiti sint, pro nomine Jesu contumeliam pati*<sup>8)</sup>.

O beatæ aegritudines et miseriae! (exclamant modo insertae sideribus animae), o beata opprobria fortunaeque naufragia! o millies fortunati moerores, penuriae et vexationes! vos tantam nobis laetitiam peperistis: vobis debemus nostrae hujus sortis eminentiam; sine vobis actum erat de nobis. Vos media et gradus fuistis, per quos ad hujus throni celsitatem eluctati sumus.

Talia modo sensa supernae civitatis incolae fovent. Tantum abest, ut illis nunc doleat, vitam humilem, austeram miseramque varias inter aerumnas et corporis afflictationes exegisse, ut potius immensum exultent, ac illud regii Vatis

---

<sup>1)</sup> Psalm. 108, 29. — <sup>2)</sup> Sap. 5, 14. — <sup>3)</sup> Sap. 5, 8. — <sup>4)</sup> Act. 14, 21. — <sup>5)</sup> Hebr. 11, 36 et seq. — <sup>6)</sup> Psal. 21, 7. — <sup>7)</sup> 1. Cor. 4, 13. — <sup>8)</sup> Act. 5, 41.



ingement: *Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala*<sup>1)</sup>).

Ad haec modo quae tibi mens? Edic jam, an non satius sit despectum, pauperem et afflictum stellis inseri, quam divitem, honoratum et felicem in gehennam dejici? Quid enim prodest bonis omnibus abundare, si dein pereas? Et quid nocet, malis omnibus cruciari, hac via si coelum subeas? O verba mole quidem parva, at sensu uberrima! *quid prodest? quid nocet?* Gemini vos scopuli estis, ad quos allisa omnis vanitas instar bullae vanescit; vos illi duo funiculi estis, quibus Xaverius, magnus ille orbis utriusque civis et Thaumaturgus a mundo abstractus ac Deo intime unitus fuit.

Vix enim is in primis illis ab Ignatio traditis sibi exercitiis profundius expenderat haec Christi verba: *. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur; animae vero suae detrimentum patiatur*<sup>2)</sup>? contra vero *quid nocet, omnia cum Paulo detrimentum fecisse; si Christum sic lucri faciam*<sup>3)</sup>? vix, inquam, haec altius menti immiserat; cum mox omnes regii stemmatis res et spes generoso pede calcavit, arctamque virtutis semitam ingressus, se Numinis servitio ex asse consecravit. Ut proin primae huic meditationi Societas suum Xaverium, Xaverius suam sanctitatem, India suam salutem debeat in acceptis referre. Enim vero cui ista nimium illum erga res fluxas affectum non mitigant, cui haec coeleste illud, quod inculcamus, aequilibrium non persuadent, hujus intellectus tenebris horret, et voluntas frigore torpet.

IV. Horum ex numero si etiam tu sis, saltem desiderium sanctae hujus indifferentiae animo concipe, et geminas conclusiones illas fideli memoriae manda, saepius per diem mente revolvendas, nempe 1. *utendum rebus creatis, vel abstinendum eatenus est, quatenus ad prosecutionem*

<sup>1)</sup> Psal. 89, 15. — <sup>2)</sup> Matth. 16, 26. — <sup>3)</sup> Phil. 3, 8.

*ultimi finis vel conferunt, vel obsunt. 2. Id autem ut fiat, debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes, et ex omnibus ea demum, quae ad nostrum finem ultimum nos melius ducunt, eligere ac desiderare. Ita ut non quaeramus sanitatem magis quam aegritudinem: neque divitias paupertati, honorem contemptui, longam vitam brevi praeferamus.*

Haec, inquam, saepius hodie animo volve, ac simul celsitatem illius animae atque felicitatem perpende, quae aequae parata est ad vivendum in gradu humili, paupere ac aerumnoso, atque in honorifico, commodo et sensibus arridente; siquidem ita id Numini placitum fuerit, ad cuius nutum in his exercitiis cognoscendum unice est intenta.

Et certe haec mentis comparatio deberet esse fructus meditationis matutinae; nam hoc ipso quod *creati simus a Deo et pro Deo*, consequens est, etiam *a nobis serviendum esse Deo*, et quidem *eo, quo is voluerit, modo*; cum plena indifferentia ad omne servitii genus, in quo divina Majestas nos ei famulari statuerit; ita ut nobis perinde sit abundare atque egere, honorari ac contemni, aegrotare ac valere, vivere ac mori, dummodo sic serviamus Conditori, quo ipse id optat modo; nempe in eo *vitas statu*, aut in electo jam statu in eo *perfectionis gradu*, in quo ille gratum id sibi fore significarit: implendo sic monitum annotationis quintae<sup>1)</sup>.

### §. III.

I. Porro ratio, ob quam S. P. N. haec quatuor rerum genera, scilicet 1. paupertatem et divitias: 2. honorem et contemptum: 3. sanitatem et aegritudinem: 4. longam vel

---

<sup>1)</sup> Haec sic habet: *Mirum in modum juvatur, qui suscipit exercitia, si magno animo atque liberali accedens, totum studium et arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se suisque omnibus id statuatur, in quo ipsi potissimum servire possit juxta ejusdem beneplacitum. Annot. 6. ex viginti.*

breve vitam nominatim enumerat, duplex est, 1. quia per illa potissimum animus ab illo felici aequilibrio in deterio-rem partem inflectitur: 2. quia ad illa ferme res ceterae omnes, quae ultimo fini obstaculo sunt, quasi ad fontes reducuntur; *quoniam omne* (ut ait S. Joannes), *quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae*<sup>1)</sup>. Nam ex hac praecipue stupa illi laquei sunt contexti, quibus Antonius, magnum illud eremi sidus, orbem undique oppletum vidit; et quibus aueps stygius mortalium plurimos a dicta aequalitate et coelo abducit, ac suas in partes exitiumque trahit.

Nec dicas, divitias et honores male aequiparari sanitati et vitae; cum duo haec posteriora eo ex genere bona sint, quae, utpote naturae per se convenientia, etiam propter se expeti queant, et quae homo ex praecepto custodire, mediisque decentibus etiam quaerere teneatur, adeoque indifferentiam non magis quaerendi sanitatem quam aegritudinem, longam vel brevem vitam laudabilem haud esse; ne, inquam, haec dicas.

*Nam, licet* (quae Suarii doctrina est) *bonum vitae et sanitatis sit ex illis bonis, quae propter se appeti possunt, quatenus per se sunt convenientia naturae, et necessaria ad quamdam ejus integritatem, propter quam honeste appetuntur sine respectu ad alium finem; nihilominus tamen ad majorem perfectionem spectat, haec ipsa bona non amare, nisi ut sunt instrumenta virtutis. Quamvis enim per se amabilia sint, tamen quia interdum solet homo ex illis occasionem sumere vel peccandi, vel non proficiendi in virtute; ideo utilissimum est, non plus ad illa affici, quam prout conducere possunt ad majorem virtutis profectum.*

*Accedit, quod interdum vel ad virtutem, vel saltem ad perfectionem virtutis necessarium sit, haec bona*

---

<sup>1)</sup> 1. Joan, 2, 16.

*contemnere et prodigere propter Deum. Ut ergo homo et paratus et promptus sit ad hoc oblata occasione praestandum, opus sine dubio consilii est, illam indifferentiam etiam ad ista extendere.* Ita Suarez contra quosdam olim exercitiorum hoc in puncto cavillatores<sup>1)</sup>. Ex his luculenter paret, quam divino instinctu S. P. Ignatius illud suum, quod tam operose inculcat, mentis aequilibrium ad quatuor haec capita nominatim reducat.

II. Ceterum cum Deus religionis per eorum vocationem ad sacrum ordinem jam clare satis manifestarit, in quo vitae genere illos sibi servire expetat, commendata superius ad quemlibet statum indifferentia apud eos extra fines proprii instituti extendi non potest, nec etiam debet. Ut proin omnis de hac re dubitatio instar cogitationis blasphemae aut impurae ocus excutienda sit ac fuganda, nisi stygiis fraudibus circumveniri et fructum omnem praesentis octidui pessumdare velimus<sup>2)</sup>. Jacto igitur hoc fundamento, quod summe providum Numen nos cupiat eidem famulari in sancta illa, cui nomen jam dedimus, familia, solum indifferentes esse nos oportet ad *modum*, quo id in electo jam sacro coetu secundum concessae nobis gratiae mensuram executioni mandare statuamus.

Cumque insuper ob eam, quam proitemur Religionem et vestis, qua tegimur, conditionem ad paupertatem vel divitias aut dignitates mundanas indifferentes esse haud amplius possimus, utpote qui votorum sponsione ad has fugiendas aperte adstringimur, solum superest, ut laudatam hactenus aequilibratam aemulo conatu transferamus ad alias materias praesenti nostro statui magis accommodatas, prioribus tamen quatuor punctis respondentibus<sup>3)</sup>.

Nempe I. ad officia in sacro Ordine honorifica vel

---

1) De Religione tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 5. dub. 4.

2) Direct. c. 23. n. 1. item c. 9. n. 4.

3) Director. c. 10. n. 5.

contemptibilia, gradum formati vel professi, docendas classes superiores vel inferiores. 2. ad collegium dives vel pauper, habitationem commodam vel incommodam, Superiores asperos vel lenes, socios blandos vel turbulentos. 3. ad sanitatem vel aegritudinem, unde unde demum etiam ex injunctis officiis, alimentis, loci situ, infecto aere aut aliis similibus causis contrahendam. 4. ad vitam in canam senectutem producendam, vel ex injunctis obedientia muniis, laboribus, taediis, itineribus abbreviandam.

Quod si vero quis allata quatuor puncta sibi minus apta, queis immoretur, judicaverit; vel quia hunc indifferentiae apicem jam conscendit, vel quia viribus pollens, Praelatis charus, cunctisque aestimatus non habet, quod sibi a viliori munere aut loco, a morbo aut praecoci morte jam nunc timeat, utpote honoribus et commodis natus, usque a puero bonis avibus destinatus; is se indifferentem offerat ad omne illud *vitandum* vel *amplectendum*, *tolerandum* vel *agendum*, quod Deum ab ipso velle in his exercitiis intellexerit; nullos divinis motibus limites ponendo, nullam pactionem naturam inter et gratiam admittendo, nullam sibi in virtutis semita metam, ultra quam progredi nolit, constituendo; sed potius totum se arbitrio Creatoris ad quidvis promptum submittendo, uno verbo: *ad conscendum in electo jam statu illum perfectionis gradum, ad quem, ut eluctetur, Deus eum in his exercitiis impulerit.*

Haec igitur illa sunt capita, quae debent esse objectum illius aequabilitatis, ad quam in hac solitudine obtinendam sacros Deo homines toto nisu collineare oportet. Quae proin, ut non solum menti, sed etiam oculis identidem observentur, inserto paginae huic signo notanda erunt et crebro relegenda.

Porro compendii ergo priora quatuor puncta ad sequentia tria reduci poterunt, scilicet ut indifferentes simus 1. ad omne *munus*, 2. ad omnem *locum*, 3. ad omnem

*valetudinem.* In his enim cuncta prius enumerata continentur. Ut numerum tamen quaternarium a S. P. Ignatio designatum retineamus, quarti locum obtinebit laudata paulo ante indifferentia ad omnem in electo jam statu perfectionis *gradum*, quem nos Deus conscendere voluerit; seu agilis quaedam promptitudo ad quidvis vitandum vel amplectendum, tolerandum vel agendum, quod coelum & nobis exigere hoc octiduo edocebimur. Quam indifferentiam seu promptitudinem posthac nomine *gradus* designabimus, et quae inter illa quatuor puncta recensebitur, quae commendati nobis *aequilibrii* materia erunt. Cujus equidem praxim rem summe arduam esse haud diffiteor, eam tamen hoc ipso herois mentibus dignam esse contendo.

III. Nihilominus hanc difficultatem multum leniet hujus diei meditatio secunda de fine hominis Religiosi. Quod argumentum duplici ex causa tractandum suscepi, tum quia Directorium illud tradendum esse insinuat<sup>1)</sup>, tum quia etiam haec secunda meditatio, non minus ac prima, valde naturalem, imo necessariam cum ceteris, praecipue cum ultima de amore connexionem habet.

Nam sine hac, quae per geminas has commentationes adeo potenter inculcatur, indifferentia nunquam perveniemus ad *perfectionem charitatis*, consistentem in conformatione voluntatis nostrae cum divina, vi cujus semper faciamus id, quod Deus vult et quomodo vult. *Modus* enim, in quo omnium Dominus nos sibi servire optat, et ad quem indifferentes nos esse oportet, in eo positus est, ut agamus, *quod* ille nos agere et *quomodo* cupit; seu ut vivamus in eo loco, munere, gradu, ea habitudine mentis ac valetudine corporis, in quo et qua ille ab aeterno id fieri decrevit. Ad hoc igitur qui indifferens non est, nunquam faciet, *quod* supremum Numen et *quomodo* vult. Ergo et perfectus nunquam erit. Adeoque sine praevia hac funda-

---

<sup>1)</sup> *Direct. c. 10. n. 10.*

mentali indifferentia plena conformatio voluntatis nostrae cum divina, seu perfectio charitatis, quae tamen hujus octidui scopus est, nunquam obtinebitur.

IV. Praeterea primo hoc die per actus *gratitudinis* pro beneficio creationis, nec non *amoris* tam benefici Creatoris, uti et *spei* ac *desiderii* finis ultimi perpetuo possidendi, praenuncia sparguntur semina illorum affectuum, quibus in quarta hebdomade, et praesertim in finali *contemplatione* exardescendum erit. Ex quo proin mirabilis ille nexus meditationis primae et secundae, quae hoc aequilibrium inculcant, cum ultima, quae ad charitatis perfectionem inflammat, amoeno sidere elucet.

Neque objicias, ejusmodi teneras affectiones primae hebdomadi minus convenire; id, inquam, ne opponas; nam, praeterquam quod iis (ita monente Directorio) non nisi breviter immorandum sit<sup>1)</sup>; exercitatio de fine ultimo est quasi prologus et exordium omnium reliquarum hebdomadam; proin jure in ea sparguntur semina omnium illorum affectuum, qui dein suis quique hebdomadis fusius et ardentius eliciendi sunt.

Sic e. g. (Directorii verba sunt) *reflectendo cogitationem ad seipsam, et dispiciendo, quomodo quis hactenus se habuerit ad finem et ad media, quantum aberraverit, quomodo creaturis abusus sit, etc. jam quasi in generali jacit homo fundamenta ad cognoscendam deformitatem vitae suae, eamque postea uberius deflendam in meditatione peccatorum*<sup>2)</sup>. Id quod primae hebdomadis propria occupatio est. Dumque ad ultimum finem suum tendere, et Creatori servire statuit, quo is optaverit modo; hic autem modus cum in imitatione Christi consistat, hoc ipso eundem tacito nexu jam nunc aemulari praevis constituit, viaeque illius Ducem sequi, quem hebdomas secunda et tertia imitandum proponit.

<sup>1)</sup> Cap. 12. n. 5.

<sup>2)</sup> Ibidem. *Gaydier* Introd. ad fundam. exercit. pag. 130.

Ex quibus patet, quam arcto inter se vinculo omnia cohaereant, quamque apte per prima ad media, per haec ad ultima usque ad summum perfectionis apicem deducamur. Haec ipsa autem commentationum inter se stupenda connexio Exercitiorum praestantiam, utilitatem, ac sapientiam plurimum commendat, nostramque in iis rite obeundis accurationem multum acuere debet et augere.

---

MEDITATIO II.

DE FINE HOMINIS RELIGIOSI.

Punctum I.

Finis Religiosi vitam mixtam professi est non solum saluti et perfectioni propriae animae cum divina gratia vacare, sed cum eadem etiam impense in salutem proximorum incumbere. Hinc finis ejusmodi Religiosi, praesertim Societatis est salus et perfectio tum propria tum aliena. Summa est hujus finis *excelsitas, utilitas, felicitas.*

I. Ejus *excellencia* elucet exinde, 1. quia idem est finis praecipuarum actionum Dei ad extra (ut scholae loquuntur) scilicet creationis, redemptionis, missionis Spiritus sancti: 2. nec non vitae, aerumnarum ac mortis Christi. His enim post Dei gloriam cumprimis salus et perfectio generis humani intendebatur. Quia, attestante S. Dionysio, divinorum omnium divinissimum opus est, coelo cooperari in salutem animarum. 3. Quia talis zelotes terra superior, Angelis major, Superos inter et homines medius, sequester est ac velut alter Christus.

II. Summa pariter est hujus finis, quam nobis affert, *utilitas* 1. ob ingentia merita, quae inde colliguntur: 2. ob innumeras gratias, quae tali conferuntur: 3. ob excelsam gloriam, qua hi labores coronantur. Et, certe nulla re



citius placatur Numinis justitia, quam si ejus misericordiae salvatae per nos animae praesententur.

III. Nec minor illa, quae inde emanat, *felicitas* est. Nam soli perfectionis studiosi 1. vivunt quiete. 2. moriuntur placide. 3. beantur copiose. O igitur benedictus sit *fidelis Deus, per quem vocati sumus in Societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri*<sup>1)</sup>, in qua fini tam excelso, utili ac beato intendere vi vocationis tenemur!

Notandum tamen est, hunc finem, scilicet salutem et perfectionem tum propriam tum alienam procurandam esse non secundum proprium cujuslibet arbitrium et appetitum, sed quo Deus elegerit modo: hoc est, per illa *media* in eaque *mensura*, per quae et in qua supremus orbis Moderator nos eam procurare voluerit. Proin non debemus tendere ad *alium* virtutis gradum nec *aliter*, quam ad illum, ad *quem* et *prout* nos tendere, falli nescia Recti Regula decreverit. Nec debemus *alias* velle orco eripere, aut *plures* animas, nec alio loco, tempore, aut ratione, quam quas et quot, ubi, quando et qua earundem Creatori placitum fuerit. Alioquin esset non Deum, sed nos ipsos quaerere, ac pro fine quodammodo habere. Voluntas enim Numinis norma sit oportet omnium nostrarum actionum, imo et desideriorum. Ab hac ergo qui deviat, errat.

Itaque fundamentalis haec veritas alte animis insculpatur, nempe finem hominis Religiosi vitam mixtam professi, praesertim Societatis, in eo consistere, ut serviat divinae Majestati se et alios salvando et perficiendo; et quidem per illa nominatum *mediu*, et in ea sigillatim *mensura*, per quae et in qua eum id exequi omnium Dominus statnerit. O Jesu! qui hanc doctrinam et verbo et exemplo docuisti, da, ut quod intellectus probat, voluntas etiam velit.

<sup>1)</sup> 1. Cor. 1, 9.

## Punctum II.

Porro media ad hunc finem obtinendum, in tali sacro Ordine post usum Sacramentorum, orationis et collectionis studium nec non appetituum sensuumque coëreitionem ac regularum observationem sunt varia *loca*, varii *gradus*, varia *munia* variaequae corporis ac animi *vires*. Nam in his et per has suam et aliorum perfectionem Religiosi vitam mixtam professi operantur.

Ubi tria veniunt notanda, 1. diversos in Religione gradus, locorum mutationes, munerum varietates ac valetudinis vices solum esse *media* curandi salutem et perfectionem tum propriam tum alienam; proin eatenus solum esse appetenda vel fugienda, quatenus conducunt vel abducunt a praedicto fine; nam medium, qua medium, non habet aliam bonitatem praeter aptitudinem ad finem. Qui ergo non propter hanc, sed propter se ejusmodi res appetit, praepostere agit; quia ex medio finem facit.

Notandum 2. quodlibet ex his, nempe omnem gradum, omnem locum, omne officium omnemque valetudinem firmam aut infirmam esse medium *aptum*, adipiscendi praefixum tali Religioso finem. Quippe voluntas Dei circa modum procurandi tum propriam tum alienam perfectionem et salutem impleri, adeoque praestitutus ejusmodi Religioso finis obtineri potest in omni loco, in omni munere, in omni gradu, cum omni valetudine. Nam, uti ex rei natura et ab exemplis clarum est, nos et alios perficere ac salvare possumus aequè in hoc quam illo gradu, aequè in domo paupere quam divite, aequè docendo quam operando, aequè instruendo pueros quam academicos, aequè languendo, quam viribus pollendo. Ergo omnia haec sunt media *apta* ad memoratum finem acquirendum. At dices: unum tamen est aptius altero. Erras; nullum per se est aptius altero huic fini consequendo, sed solum commodius amoris proprio. Et hinc

Notandum 3. illud ex praedictis esse medium *aptius* praefinito fini assequendo, quo nos suprema Mens uti voluerit: id est, ille gradus, ille locus, illud munus, illa valetudo est medium *aptius* serviendi Deo et se aliosque ad sanctimoniam et beatitudinem perducendi, in quo nos ille vel per se, vel per praepositos provide collocarit. In illo enim coelum gratias hanc in rem necessarias longe citius et copiosius dabit, quam in alio a nobis proprio Marte electo.

Adeoque illae contemptiones et miseriae, illae aegrotationes et aerumnae, illae Superiorum vexationes ac ingratae dispositiones et his similia sunt *media* et quidem omnium *aptissima* ad hunc finem procurandum a sapientissimo Numine ab aeterno excogitata, selecta, ponderata, nostrisque viribus divina charitate accommodata.

Certum enim est, Dei prudentiam, hoc ipso quod infinite sapiens ac provida sit, semper eligere media assequendo fini aptiora, imo aptissima. Igitur quando enumeratis supra mediis nostram nos et alienam salutem operari vult, evidens est, ea ad id omnium aptissima existere. O Domine! victrici impulsu nostram rebellem propitius compelle voluntatem, ut ea assensum his veritatibus praestandum intellectui potens imperet, iisque posthac fortis etiam ipsa obsecundet.

### Punctum III.

Ex hoc concluditur, a tali homine Religioso serviendum esse Deo in eo Religionis loco, munere, gradu et valetudinis statu, in quo eundem sibi, obedientia vel providentia interprete, voluerit famulari. Proin indifferentem eum esse oportere ad omnem gradum, munus, locum et valetudinem. Nam serviendum est Creatori eo, quo id statuerit modo, est conclusio et fructus meditationis primae.

Atqui is cupit, nos ei famulari in eo gradu, munere, loco, quem nobis obedientia destinat: et in ea valetudine,

qua, ut fruamur, ejus providentia ordinat. Nam dogma fidei est, quaecunque fiunt, excepto peccato, nobis evenire provide nutu nostri amantissimi Patris. Item: nos faciendo voluntatem Superiorum, facere voluntatem Dei secundum illud Christi effatum: *Qui vos audit, me audit*<sup>1)</sup>. Nos enim illi *Beati sumus, quibus, quae Deo placent, per Ordinis regulam manifesta sunt*<sup>2)</sup>.

Ergo indifferentes ad haec omnia nos esse oportet. Ergo, qui oppositum agit, debitam Conditori servitatem non exhibet eo, quo id flagitat modo; adeoque ab ultimo suo deviat fine. Sicut enim illa indifferentia in genere ad omnem vitae statum sive honorificum seu contemptibilem, sive egenum seu divitem necessaria est ad obtinendum finem *hominis*, uti constat ex meditatione prima; sic etiam haec indifferentia singillatim ad omnem gradum, munus, locum et valetudinem est necessaria ad obtinendum finem *Religiosi*, praesertim Societatis. Et sicut male a suo fine deviaret ille mundanus, qui in alio vitae statu aetatem terere vellet, ac in illo, ad quem a Deo vocatus est; sic etiam a suo fine aberrabit ille Religiosus, qui in alio gradu, munere, loco, aut valetudine Numini servire constituit, atque in illo, in quo per obedientiam vel providentiam est collocatus. Proin hoc aequilibrium animi ad omnem gradum, munus, locum et valetudinem sit scopus praesentis meditationis. Et certe res summi momenti est haec indifferentia et omni conatu procuranda; cum sit basis et fundamentum reliquarum commentationum, quo ruente, totum aedificium spirituale exercitiorum, totiusque interni hominis pariter ruat, necesse est. Cum sit conditio sine qua nunquam in Religione obtinebimus *charitatis perfectionem*, quae tamen hujus Octidui statusque religiosi primarius finis est. Plura, quae id persuadeant, incitamenta suppeditabit consideratio pomeridiana.

---

1) Luc. 10, 16. — 2) Baruch. 4, 4.

## Affectus.

I. Eliciendi sunt sequentes, 1. actus *gratiarum actionis* pro beneficio religiosae vocationis collato tibi . . . prae tot aliis multo dignioribus, . . . praemis tuis tot peccatis, . . . et quidem ad Religionem tot praerogativis excellentem. 2. *Doloris* de regularum transgressione, votorum violatione, perfectionis neglectione; ut districtius dicam: de non impleta status tam sancti obligatione, tamque magno tepore in procuranda aliorum salute. 3. *Amoris et laudis* admirandae illius Providentiae divinae, quae ex innumeris periculis, per varias ambages, tam paterne etiam recalcitrantem te in Religionis portum subduxit, in eaque conservavit. 4. Cum *proposito* posthac Deo in electo jam statu serviendi eo, quo voluerit modo; nempe in eo virtutis gradu, in quo id se cupere, in his exercitiis significare dignabitur. His tamen quatuor actibus ob eandem, quam supra allegavi, rationem pariter non nisi breviter immorandum; contra vero omni virium contentione totoque nisu incumbendum erit in actum

II. *Indifferentiae* ad omnem locum, munus, gradum et valetudinem; nihilominus tamen solum *generatim*, cavendo, ne ad nimis singularia jam hodie descendamus in materia adeo ardua, et amori proprio tantopere adversanti. Cum enim voluntas sub initium adhuc debilior sit, pedetentim procedendum erit, donec ea exercitiorum successu gratia magis roboretur, magisque ad ejusmodi *singularia* obarmetur. Multum quoque temporis tribuendum erit actui

III. *Fidei*, qua firmiter credamus, omnia, quae nobis vel Superiorum voluntate, vel alio casu eveniunt, accidere nobis a Deo et quidem ad majus nostrum bonum; adeoque esse media, nos ad finem nostrum aptius conducentia. Nam ille ipse, qui dixit: *Hoc est corpus meum* <sup>1)</sup>, etiam enun-

<sup>1)</sup> Matth. 26, 26.

ciavit: *Qui vos audit, me audit*<sup>1)</sup>. Primum ergo si credimus, de altero cur dubitemus?

Superno itidem assensu subscribamus sequentibus dogmatibus: 1. Deum esse *omniscium*, adeoque *scire*, quis nobis locus, gradus, munus, quae valetudo prae aliis conveniat. 2. Eum esse *omnipotentem*, adeoque *posse* ex his illud dare, quod nobis magis congruit. 3. Eum denique infinito nostri *amore* flagrare, adeoque et *datum*, quod assequendo fini, ad quem nos vocavit, aptius est. Viva horum fides laudatam supra indifferentiam efficaciter persuadebit; modo insuper ferventi eam prece a luminum Patre petierimus.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi lib. 3. cap. 10.

---

## CONSIDERATIO

de indifferentia ad omnem locum, munus, gradum et valetudinem<sup>2)</sup>.

Cum tanta sit hujus aequilibrîi necessitas, ut sine illa, non secus ac sublata basi, omnis exercitiorum moles subsidat; ex altera vero parte cum ejus arduitas tanta pariter sit, ut contra eam omnis amor proprius rebellis consur-

---

<sup>1)</sup> Luc. 10, 16.

<sup>2)</sup> Pro tempore et actu, quo quis ad aliquid se determinat in ordinanda vita, debet is juxta S. P. Ignatium hoc facere semota et exclusa omni affectione *inordinata*, ne ulla hujusmodi *inordinata* affectio eum inducat: id quod omnis *inordinatae* affectionis absentiam restringit ad tempus et ad actum ipsius determinationis. Quod certe, ut in praxi necessarium, ita nec indiscretum est, illud exigere. Et hinc patet, in quo praecise Indifferentia consistat, et quae necessaria ea sit. Eadem enim excludit omnem *inordinatam* affectionem ad objecta, quae S. Ascetes ad quatuor capita reduxit. — Cf. Exercitia Spirit. S. P. Ignatii. Namurci 1841. pag. 24. Not. 1.

gat; plura, quae illud persuadeant, argumenta in medium afferre constitui, ut sic clavo clavum pellendo, et voluntatem multiplicato rationum impete identidem arietando, tandem eam ad sui deditorem compellam; id quod in hac consideratione et quidem ad mentem S. P. Ignatii fiet, qui interprete Lancicio<sup>1)</sup> cupit, ut expendendo huic argumento praesenti hoc die nos totos et unice impendamus; ne fors aliis quoque intentus, minor sit ad princeps hoc punctum animi sensus. Cui vero hujus exercitii materia justo longior fuerit visa, poterit secundum ejus punctum rejicere in tempus lectioni spirituali (hodie tamen peragendae) destinatum.

I. Primaria ratio, quae auream hanc indifferentiam nobis adeo difficilem reddit, sunt labores, contemptus, vexationes et invaletudinis molestiae, quae in tali loco, munere, aut virtutis gradu exantlanda timentur. Horum ergo metum minuisse, illam mitigasse erit.

I. Itaque ab ultimo rem auspicando, ain mi bone! nonne Deus te potest morbo punire in eo, quod ambis munere et loco, et vegetum integrumque servare in ea, quam valetudinis obtentu refugis, statione et officio? ... Nonne jure tibi formidandum est, ne haec poena vindex Numen tuam hanc repugnantiam castiget? ... Contra an non sperandum, illud tuam hanc indifferentiam sanitatis conservatione coronaturum? ...

Et denique si vitae et mortis arbiter tuique plasmator Deus te aegrotum malit quam sanum, quis es tu e vili argilla compactum nihil, ut Omnipotenti obnitendo, protervo nisu contrarium velis? Nonne satius est, ex voluntate coeli te languidum decumbere, quam contra illam vi-

<sup>1)</sup> Opusc. 6. c. 20. sub initium. Suffragatur P. Diertins in sua explanat. Exercit. in notando post contempl. l. l. hebdom. 2. ubi ait, mentem S. P. N. esse, quod debeamus toto die haerere in eadem materia, eam repetendo; ne fructus retardetur, si exercitium aliud interponatur.

ribus integrum valere? Ergo nullus est, quem amor prius obtendit, morbi praetextus. Nihilominus tamen non prohiberis, Superiori exponere illum, quem pro ratio fundat, aegritudinis metum; modo promptus per sis ad omne id, quod intellecta re statuerit, complen

2. Dein ad *labores*, quod attinet, incommoda, v tiones, taedia et curas, ob quas ab illo munere (idei loco intellige) abhorres, nonne haec a Superioris mult cum foenore compensari possunt sublimiori orationis i coelestibus deliciis, felici rerum successu, animi pace, i tis puritate et beata immunitate a majoribus molestiis, i goribus et aerumnis, variisque cum Superioribus tricis cus exantlandis? . . .

Contra an non Deus in illo ipso, quod prenas, o aut statione mulctae loco innumera tibi adversa eaque l graviora, ac ea sint, quae in hac vel illo fugis, immi potest? . . . An non jure verendum, ne ultor id etiam a An non ergo nobismet ipsis inimici sumus, dum in m mala caeci illo ipso impetu irruimus, quo minora effu stulti tentamus? Ergo, si sapimus, indifferentes ad qu simus, sola Numinis voluntate regendi.

3. Denique, quod de laboribus hic dictum, id etia illis *contemptionibus* sentiendum est, ob quas hunc lo illud munus, istum virtutis gradum aversaris. Hae et aequo animo toleratae divinis charismatibus, firma va dine et vacuitate a variis curarum spinis abunde rem rari queunt. Contra vero, o quam multi non nisi vili sionum tribulos ibi colligunt, ubi meras gloriae lauros tere cogitarunt! Quam multi aliis praelati, cunctis i displicent, qui aliis aequales, omnibus accepti forent mali consules audiunt, qui boni cives essent.

Nempe justo Dei judicio incidit in Scyllam, qui vitare Charybdim; illaque ipsa via incurrit in aegritudi contemptum, laborem, qua se commodis, honoribus et nitate abundaturum sperabat. Sic Aman in ipso hono



culmine, quod per *primarium munus* conscendit, patibulum invenit<sup>1)</sup>. O quam laetior vixisset, si humiliori gradu contentus aula exulasset! Loth, ut creatas a pastoribus molestias vitaret, secessione ab Abrahamo facta, elegerat florentissimam Sodomae plagam. Nemo non beatam hanc *ci stationem* gratulabatur. Sed quam male ipsi haec optio cesserit, Genes. 19, 24. legere est. Ochozias, dum *morbum* impatiens fugit, in mortem imprudens incurrit, audi-  
reque ab Elia debuit illud tonitru: *Morte morieris*<sup>2)</sup>.

Quid? quod plerumque post multas fugae ambages ac oppositiones enatasque exinde multiplices tricas et vexationes, denique tamen cedendum et faciendum coacte est, quod agere nunc sponte recusas. Quippe ordinatio divina non evitabile fretum est, per quod, quantumcunque triceris, tandem transeas necesse est.

Exemplo nobis sit Jonas. Jubebatur is ire in *Niniven civitatem grandem, et praedicare in ea*<sup>3)</sup>. At veritus ille, ne Deus fors poenitentibus parceret, ipseque postmodum falsus propheta audiret, oblatum sibi munus et locum aversatus, *surrexit, ut fugeret a facie Domini*<sup>4)</sup>. Verum hac sua repugnantia quid profecit? Nempe *qui timet pruina, irruet super eum nix*<sup>5)</sup>. Refractarius Jonas, qui emporium horruit, *mittitur in mare*<sup>6)</sup>: qui homines metuit, *deglutitur a pisce*<sup>7)</sup>: qui noluit in urbe praedicare, debuit in *ventre piscis latere*<sup>8)</sup>; quodque primo jus-  
sus sponte sua leviori impendio agere abnuvit, tandem, postquam *factum est verbum Domini ad eum secundo, surrexit, abiit, et praedicavit*<sup>9)</sup>; illudque fecit minori cum merito et post varias calamitates, quod sine praevis tot vexationibus statim ab initio laetior compleret. Ex his patet, *primarium divini hujus aequilibrii obstaculum inane ter-*

<sup>1)</sup> Esther. 7, 10. — <sup>2)</sup> 2. Reg. 1, 16. — <sup>3)</sup> Jon. 1, 2. —

<sup>4)</sup> Jon. 1, 3. — <sup>5)</sup> Job. 6, 16. — <sup>6)</sup> Jon. 1, 15. — <sup>7)</sup> Jon. 2, 1. —

<sup>8)</sup> Jon. 2, 1. — <sup>9)</sup> Jon. 3, 1 et seq.

riculamentum esse, quod eminus quidem terret, sed cominus inspectum instar bullae vanescit.

II. Sublato igitur principe impedimento, aequi ponderis incitamentum est subjungendum, nempe indifferentis animae *felicitas*, qua illa etiam in hac lacrimarum valle triumphat. Cum enim nil cupida ambiat, nil timida respuat, ingreditur fines supernae pacis hoc ipso, quod ab ejus corde exulent geminae illae affectiones, quae maximarum in mundo turbarum origo sunt, nempe *inquietas* cupita obtinendi, et *timor* obtenta perdendi.

Cum nullius rei desiderium sit maximum in orbe imperium, amplissimo illa dominatu gaudet: regie fortis, quia sui potens. Ipsi Superioribus superior est, cum indifferens ad omnia, nullius favorem aucupetur. Interno diffluit solatio, cum certa sit se degere in eo loco et munere, in quo Deus eam cupit vivere. Et hinc oborta quadam difficultate, miseria aut calamitate fidenti animo ad eundem confugit, securo de auxilio. In sinu divinae Providentiae quiescit dormit, illud Prophetæ sibi occinens: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit* <sup>1)</sup>).

Denique Angelorum aemula caelestem in terris vitam ducit. Sicut enim *Angeli Dei* semper parati stant *ad audiendam vocem sermonum ejus* <sup>2)</sup>, aequè prompti ad custodiendum pauperem quam divitem, rusticum quam regem, aegrotum quam sanum, Turcam quam Christianum: et sicut illi aequè indifferentes sunt ad offerendum in caelis *incensa de orationibus Sanctorum* <sup>3)</sup>, quam ad effundendas in terras *septem phialas plenas iracundiae Dei* <sup>4)</sup>; ita quoque talis anima eorundem more ad omnem Creatoris nutum succincta stat; cum Numinis voluntas etiam ipsa unica actionum norma ac regula sit. Inde ejusmodi heroæ mentis felicitatem ac dignitatem metire.

---

<sup>1)</sup> Psalm. 22, 1. — <sup>2)</sup> Psalm. 102, 20. — <sup>3)</sup> Apoc. 8, 3. — <sup>4)</sup> Apoc. 15, 7.

Contra vero hac virtute qui caret, instar maris procellosi continuis turbationum et curarum motibus agitatur. Seruili aulicismo vix non cuivis abjecte blandiri cogitur, ut ambitiosis ejus desideriis vel velificentur, vel non obstant. agruente casu aduerso pro ope ad Superos confugere non videt, ipsa conscientia jure eum affligi eidem exprobrante; utpote qui et officium et stationem, harum molestiarum causam et originem, a Praelatis eblanditus sit.

Praeciso singularis Providentiae circa se filo, nunquam non inquietus fluctuat; et non secus, ac emotus commissa pes, semper dolet. Vel in ipso, quod adeo prensavit, munere et loco contentus minime vivit: Deo scilicet insperatis amaritudinibus ejusmodi delicatula voluntatis propriae nancipia talionis poena castigante. Forte tu ipsus, qui haec legis, similia te expertum recordaris . . . nec tamen sapis? . . .

Age, o improvide! nonne times, ne vindex Numen in te, qui arridet, loco te permittat vehementius tentari, et lethalem in noxam labi, qui in alio ab ejusmodi lapsu te immunem servasset? Nonne vereris, ne tibi subtrahat gratias, alibi aut alio in officio concedendas; etiam illas, quae pro hoc munere, quod ambis, speciatim necessariae sunt?

Quomodo audes vivere in ea statione et occupatione, in qua te caeli Providentia non constituit? Os luxatum es; *semper male habebis praesertim in novissimo*<sup>1)</sup>. Dic, quaeso: quali tunc tibi solatio erit, semper habuisse, quae optasti? semper egisse, quod voluisti? o miser! quid tibi tunc proderit, non divinam, sed tuam semper voluntatem fecisse? Quam mercedem petere poteris pro labore, quem non caeli, sed tui amor imperavit? Enimvero cui ista heroicum illud animi aequilibrium non persuadent, jure formidat, ne aliquando et ipsum attonet illud fulmen: *Maledictus homo,*

---

<sup>1)</sup> Eccli. 3, 27.

*qui' confidit in homine, et ponit carnem brachium suum* <sup>1)</sup>).

Igitur generosa mentis alacritate renovetur conceptus hodie jam saepius fundamentale propositum, posthac servient Deo in eo vitae statu, aut in electo jam statu, in eo per perfectionis *gradu, munere, locò et valetudine*, in quo illud id gratum sibi fore significarit, cum obfirmata voluntate omne illud *vitandi et amplectendi, tolerandi et agendi* quod omnium Conditorum velle in his exercitiis cognoverimus.

III. Porro ut hoc animi decretum aetatem ferat, firmiter tibi persuasum habeas, omnia, excepto peccato (quod ne ipsum quidem respectu primae causae fortuitum esse sed praevisum et permissum) omnia, inquam, quae in orbem eveniunt, nobis non casu fortuito accidere, sed nutu summum providi nostrumque amantissimi Patris, qui infinita cum sapientia et aequitate, divina cum prudentia et moderatione *disponit omnia, nota: omnia suaviter* <sup>2)</sup>). Adeoque hunc locum, hoc munus tibi a Deo per Superiores assignari hunc tibi morbum, haecque adversa ab illius paterna manu immitti. In summa: Deum, Deum velle, te hic locorum degere, hoc munere fungi, ad hunc perfectionis gradum eluctari, hos corporis cruciatus, has animi afflictiones pat

Ah! nil minus, ais, quam Dei voluntas id est. Aemulorum machinatio est, Praelatorum sinistra affectio est partium studium, personarum acceptio, vindicta, rancore odium, livor est; hic mali fons, haec origo est. Ita quidem tu praecipiti iudicio opinaris; at forsitan majori cum temeritate quam veritate. Nam saepe saepius intellectu actum esse temere iudicat, quod fieri potuisse suspicari phantasiae atra bilis adumbrat.

Sed ponamus, rem ita se habere, ut obtendis. Demum ea, quae te cruciant, adversa ex pravo hominum affectu

---

<sup>1)</sup> Jerem. 17, 5. — <sup>2)</sup> Sap. 8, 1.

anquam vitioso ex fonte scaturire. Quid tum? Consentio quidem eos errare, Numinis sanctitatem eorum hoc factum improbare, ultricem Nemesin iis etiam supplicium intentare. Nihilominus contendo, supremum orbis Moderatorem, etsi volit peccatum, tamen velle ejus effectum. Ergo cum ille oculus et munus, ille morbus et aerumnae piaculum non sūt, divinae voluntatis objectum sunt; licet originem alieno crimine ducant.

Sic quamvis *Dominus virtutum* <sup>1)</sup> execratus sit venditionem Josephi, tamen probavit ejus in Aegypto moram et officium. *Deus misit me* (ipsemet fatetur), *Deus misit me ante vos in Aegyptum* <sup>2)</sup> nota: *Deus*; non fratrum invidia, sed caeli providentia. Item: licet omnes, quae Jobum inundarunt, miseriae et calamitates ex malitia satanae profluxerint, tamen erant materia aeterni beneplaciti. *Dominus dedit, Dominus abstulit* <sup>3)</sup>: id ipse Hussaeus vates testatur, nota: non satanas, sed *Dominus*. Quamvis denique ipse divinus Pater damnarit Judaeorum rabiem, tamen decrevit Filii mortem; cum ipse Christus Petro dicat: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum* <sup>4)</sup>? nota: non quem Judaei, ait, sed quem *dedit Pater*.

Patri igitur ratione, licet Numinis Sanctitas aversetur illam Sociorum malevolentiam, Superiorum imprudentiam, aemulorum invidentiam; tamen vult hanc tuam, quae horum effectus est; dispositionem, infortunium, oppressionem. O Religiose! non fratrum invidia, sed caeli providentia: non satanas, sed Dominus: non odium, sed Pater te in Aegyptum abducit, haec mala immittit, hunc calicem infundit.

Deus, Deus vult in hoc te loco morari, hoc munere fungi, hoc morbo laborare, hoc in gradu delitescere, hac

<sup>1)</sup> Psalm. 45, 8. — <sup>2)</sup> Gen. 45, 5. — <sup>3)</sup> Job. 1, 21. — <sup>4)</sup> Joan. 18, 11.

adversitate, contemptu, vexatione affligi. Ita est: *hoc vult Deus*. Quidquid obganniat mundus, et amor proprius obloquatur: *hoc vult Deus*.

2. Et quidem id vult (o Angeli mortalium vice Conditoris bonitatem adorate!) et quidem id vult, tuum, quae haec legis, majus bonum semper intendendo, propriamque tuam utilitatem ita provide in omnibus spectando, ut tibi arcanam Numinis circa te providentiam diducto parum per velo inspicere daretur, illud ipsum, quod nunc tanto pere improbas, ipse tu summe probaturus esses; nec alio quid (licet id tibi liberum foret) electurus.

Do rationem asserti. Nam infinite perfecta Mens illi scit, quid tibi aptius congruat: scit; *cum non sit quicquam absconditum ab oculis ejus*<sup>1)</sup>. Dein potest etiam illud tibi dare, quod tibi melius convenire cognoscit: potest; *subest enim illi, cum voluerit, posse*<sup>2)</sup>. Ergo etiam dabit; cum te amet *quasi pupillam oculi sui*<sup>3)</sup> *sicut nutrix infantulum suum*<sup>4)</sup>. Ergo quaecumque tibi ejus nutu accidunt, ad majus tuum bonum eveniunt.

Ita est; *Dominator virtutis non solum omnia in mensura, numero et pondere disponit*<sup>5)</sup>; sed insuper *cum magna reverentia disponit nos*<sup>6)</sup>, ipsum *malum in bonum vertendo*<sup>7)</sup>, *et faciendo cum ipsa tentatione proventum*<sup>8)</sup>. Igitur prodigo tui jactu te ad omnia indifferentem conjice inter brachia tam amantis tui Patris, dicendi cum Ignatio de Loyola: *Fac mecum, sicut scis, et vis nam scio, quod amator sis*. Victrix haec tessera: *Hoc vult Deus!* coelestis tibi clypeus sit, quo omnes obmurmurantis animi assultus potens retundas; nec prius desistas quam beatum indifferentiae culmen conscenderis.

---

<sup>1)</sup> Eccli. 39, 24. — <sup>2)</sup> Sap. 12, 18. — <sup>3)</sup> Deut. 32, 10. — <sup>4)</sup> Num. 11, 12. — <sup>5)</sup> Sap. 11, 21. — <sup>6)</sup> Sap. 12, 18. — <sup>7)</sup> Ger 50, 20. — <sup>8)</sup> 1. Cor. 10, 13.

## EXAMEN

## super impedimentis indifferentiae.

Cum S. P. Ignatius (ut paulo ante indicatum) nos nihil aliud praesenti hoc die praeter exercitiorum fundamentam et annexam ei indifferentiam animo volvere cupiat, sine ejus nutui morem gerendo primaria divini illius aequilibrii obstacula peculiari examine investiganda censui, et iis submotis mitigato labore, caelesti hac virtute eo facilius potiamur. Proin hodie commodo quodam et a praescriptis occupationibus aliis libero tempore, v. g. ultimo considerationis quadrante, vel etiam hora lectioni spirituali destinata indaga,

1. Quenam res creata, aut quanam vitiosa affectio te potissimum detineat? quae difficultas prae aliis deterreat? quod praecipue obstaculum te impediatur, quominus perfectionem in eas sanctimoniae callem, Deoque servias, quo ille expetit modo? id est, quominus amplectaris illum, ad quem te vocat, vitae statum, aut quominus in electo jam statu illum conscendas perfectionis gradum, ad quem, ut elucteris, identidem impelli te sentis?

2. Quid vehementius te retrahat ab aurea illa, quam S. P. Ignatius tam potenter inculcat, indifferentia? num *concupiscentia carnis*, an *concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitae*? id est, num honorum cupiditas, illecebrarum aviditas, an commodorum rerumque superfluarum appetentia, aut nimius laborum, miseriarum et contemptus te inde abstrahat horror? num debitam de hujus aequilibrii necessitate ac eminentia aestimationem conceperis? an saltem illius obtinendo desiderio flagres?

3. Vide, ad qualem te locum aut munus appetendum, aut ad qualem aversandum innata superbia, avaritia ac sensualitas, seu eminentiae, opum ac cuticulae amor impellat? An non praetenso conservandae aut recuperandae valetudinis obtentu hanc vel illam stationem, hoc vel illud offi-

cium declines ac deprecereis? An non metu abbreviandas fors vitae hos vel illos pro salute animarum subeundos labores, has vel illas promovendae Dei gloriae occasiones subdole subterfugias?

4. Num promptus sis ad omne illud vitandum vel amplectendum, tolerandum vel agendum, quodcumque Deus a te velle in his exercitiis cognoveris? an potius certos gratiae limites ponas, ultra quos illuminari, ac progredi contumax renuas? Uno verbo: num observes §. 2. Monit. 3. Introduct. ad sacram solitudinem?

In relatis hactenus punctis arduum si quid occurrat memento te creatum esse a Deo et pro Deo, adeoque eadem a te serviendum esse, quo ille voluerit modo. Qui autem es tu, ut ab unica recti norma devians, id agere tardes, quod facere te suprema Potestas cupit?

\* *Nota.* „Si monita ipso exercitiorum tempore observanda, quae in introductionis §. 4. habentur, heri non fuerint lecta, hodie peragenda erunt.“

---

### MEDITATIO III.

## REPETITIO UTRIUSQUE PRIORIS.

#### Praenotio.

I. Ratio, ob quam S. P. Ignatius in suo Exercitiorum libro<sup>1)</sup> hanc meditationum principalium repetitionem tantopere inculcat, est duplex: 1. Ut veritates fundamentales, repetita earum consideratione, altius intellectui imprimantur 2. Ut voluntas iterato nisu eandem in rem inflexa, in concepto proposito magis roboretur. Uno verbo: ut fructus ex prima rei commentatione necdum plene perceptus, ea ejusdem iteratione copiosius hauriatur.

---

<sup>1)</sup> In 3. exercit. hebdom. 1.



II. In his porro repetitionibus, quae sunt velut quaedam ruminatio eorum, quae in prioribus exercitiis meditati jam sumus <sup>1)</sup>, duo sunt observanda: 1. Recoli praecipue debent illa institutae jam semel meditationis loca, quae majus lumen aut fervorem attulerunt. Item illa, in quibus antea ampliolem consolationem, aut desolationem, aut aliam quamcunque spiritualem affectionem percepimus. Nec non ea etiam puncta, in quibus aridi languebamus; tentando, num quis inde sensus piusque motus saltem nunc elici queat; quia saepe contingit, ut deinde in ipsis redintegratis majori solatio ac lumine perfundamur <sup>2)</sup>. 2. Notabiliter plus temporis tribuendum est affectibus quam discursui, cum in ejusmodi piis affectionibus licitae repetitionis praecipuus consistat fructus. In his repetitionibus (Directorii verba sunt), vitato longiori discursu, tantum proponere sibi oportet, et quasi percurrere, quae prius meditati sumus, in iis immorando non tam intellectu, quam voluntate et affectu: et haec est etiam causa, cur plura a S. Auctore <sup>3)</sup> colloquia hic praescribantur, quam in prioribus exercitiis <sup>4)</sup>.

III. Porro discrimen, quod inter iteratam ejusdem mysterii seu veritatis considerationem et inter institutae jam semel de ea commentationis repetitionem intercedit, est hoc, quod in repetitione respectandum identidem sit ad priores de eodem argumento factas meditationes, notando ubique, et fixius tractando illas partes, in quarum priore transcurso aliquid illustrationis, consolationis, vel desolationis accepimus.

Contra vero in altero casu consideratur eadem veritas seu mysterium sine ulla reflexione ad alias commentationes antea circa eandem materiam institutas; perinde ac si de

<sup>1)</sup> S. Ignat. in lib. Exercit. in exercit. 4. hebd. 1. — <sup>2)</sup> Direct. c. 15. n. 3. Item in lib. Exercit. l. c. — <sup>3)</sup> In lib. Exercit. in exercit. 3. hebdom. 1. — <sup>4)</sup> Direct. c. 15. n. 2.

eo nulla prius exercitatio fuisset habita. Pro rei pignate sequens meditatio serviet, cui insertae spae stellulae \* denotant, ibidem subsistendum esse, siquidem in loco in priori exercitio luminis aliquid, consolationis, desolationis experti fuisset. Nec timendum, ne his flexionibus nimium temporis cum praeiudicio affectuum huatur; rarissime enim copia illustrationum aut desolationum numero stellarum respondebit.

Punctum I.

Cum creati, simus a Deo et pro Deo, ipsa ratio dicendum esse Deo et quidem eo, quo is voluerit, mecum aliud servitii genus, quod ipsius voluntati conformis non sit, gratum ei esse minime possit.

\* *O Domine Deus, omnium Creator omnipotens* fateor equidem triplici ex titulo a me tanquam ab homine servo et Christiano tibi Deo, Domino ac Redemptori famulandum esse, quin facile insuper annuens concedo, mortalium finem, hoc eorum negotium esse, et quidem unicum, essenziale, ultimum esse maximumque negotium.

At vero quod illud executioni mandandum sit ea, tu sigillatim id cupis ratione, quod indifferentes nos oporteat ad omnia media, per quae ad ultimum nos ferre ducere tu statues; hoc opus, hic labor est: (nam *confessor adversum me injustitiam meam*)<sup>2)</sup> hic oblectans cum amore proprio totaque natura rebellis refragat. Nihil quidem circa hoc punctum illuminatius intellectu; nil debilius voluntate. Agnosco quidem divinae illius omnia indifferentiae beatitatem; experior excitantis gratia fortes impulsus. \* At etiam ego *infelix homo sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae* quae suadet fugere quod cupio bonum.

Penetro equidem efficacissima, quae ad hanc virtutem

---

1) 2. Mach. 1, 24. — 2) Psalm. 31, 5. — 3) Rom. 7, 23.

me impellunt, incitamenta. Nam 1. summa id *aequitas* postulat; cum nec rusticus ferat conductum a se servum sibi alio laborare, quam quo jusserit modo; et nec nobis gratum sit, quod nostro nutui adversatur, obsequium. \* 2. Propria id *utilitas* exigit; etiam hoc luculenter agnosco, cum alias omnes mei labores sint passus extra viam et opera manca; quia vitio propriae voluntatis infecta. \* 3. Denique sole clarius prospicio, meam id *felicitatem* etiam terrestrem expetere; cum solus ille in terris beate vivat, qui idem semper, quod Deus, cupit. \*

Ah! insonant auribus meis illae damnatorum voces: *Quid profuit nobis superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis*<sup>1)</sup>? Illa veritas: *quid prodest*, omnibus abundasse, si sic damnor? et *quid nocet*, omnes miserias exantlasse, si sic salvor? haec, inquam, veritas infixus menti aculeus est. \* Et tamen, quae mea infirmitas! ab illo caelesti aequilibrio pervicax abhorreo. Enimvero *confusio operit faciem meam*<sup>2)</sup>! *Dolore configitur mens mea*. Verum o magne Deus! *fac potentiam in brachio tuo . . .*<sup>3)</sup> *et qui imperas ventis et mari*<sup>4)</sup>, meam quoque rebellem ad id potens inflecte voluntatem.

Sit igitur: *Audite coeli*, quae firmiter propono, *audiat terra verba oris mei*<sup>5)</sup>, quia tu *Dominus meus et Deus meus*<sup>6)</sup>, *cujus manus fecerunt me, et plasmaverunt me*<sup>7)</sup>; ideo tibi posthac serviam et quidem eo, quo tu decreveris, modo: in eo, quem tu determinaveris vitae statu: aut in electo jam statu, in eo, quem tu signaveris, perfectionis gradu: paratus ad omne id vitandum, vel amplectendum: tolerandum, vel agendum, quodcumque te velle in his exercitiis intellexero. *O. Creator omnipotens, se-*

1) Sap. 5, 8. — 2) Psalm. 68, 8. — 3) Luc. 1, 51. — 4) Luc. 8, 25. — 5) Deut. 32, 1. — 6) Joan. 20, 28. — 7) Psalm. 118, 73.

*dens super thronum* <sup>1)</sup>, *operi manuum tuarum porrigere dexteram* <sup>2)</sup>!

Dein eliciantur illi ipsi virtutum actus, majori tamen cum fervore, quos meditationi primae subjungendos esse superius designavi.

#### Punctum II.

Porro si hanc indifferentiam ab homine requirit finis *hominis*, multo magis eandem imo et perfectiorem a Religioso exiget finis *Religiosi*. Ita est, o vitae Apostolicae Auctor et exemplar Christe Jesu! nihil mihi proderit *praestantia, utilitas et felicitas* hujus finis, nisi eum (salutem nempe et perfectionem tum propriam tum alienam) procurem eo, quo tu statueris, modo; nempe per illa nominatim *media*, et in ea singillatim *mensura*, per quae et in qua tu me eam procurare volueris.\*

Insuper divina luce illustratus, perspicue agnosco, quemvis in sacro Ordine locum, munus, gradum ac valetudinem *medium* esse, et quidem *aptum* ad hunc finem consequendum.\* Imo cum tua Prudentia, hoc ipso quod infinite sapiens et provida sit, semper eligat *media* obtinendo finis aptiora, evidens mihi pariter est, illam stationem et officium, illam valetudinem et gradum, in quo per obedientiam vel Providentiam fuero collocatus, *medium* ad id *aptissimum* fore.\* Ergo ad ista indifferentem me esse oportere, ipso sole mihi clarius est.\*

Et tamen, o Domine! (ah *imperfectum meum viderunt oculi tui*) <sup>3)</sup> et tamen de caelesti hac virtute nec prima in me lineamenta reperio. Commoditatum, honorum, cuticulae amor: laborum, contemptus, dolorum fuga primas ubique tenent, geminique poli sunt, circa quos omnis vita perenni gyro circumvolvitur.

At quamdiu tandem, o anima! tam indignam tuo statu servitutem servies? Ergone ideo mundanas dignitates sprevisi, ut in demissionis schola eminentiae fumum

---

<sup>1)</sup> Eccli. 1, 8. — <sup>2)</sup> Job. 14, 15. — <sup>3)</sup> Psalm. 138, 16.

captares? Num ideo rebus et spebus domusque paternae deliciis renunciasti, ut in poenitentiae palaestra vili commodo inhiares? Ideone carnis vincula rupisti, ut mundo mortuus cuticulae viveres, et superstitiosum sanitati servitium servires?

O Domine! *illumina oculos meos*, ut videant vanitatem<sup>1)</sup>, quae illusam tristi fascino excoecat mentem. Da, ut firmiter credam, quod *tua, Pater, providentia gubernet omnia*<sup>2)</sup>; quod hic locus, hoc munus tuo mihi nutu assignetur; quod illa aegritudo a tua manu immissa veniat.\* Fac proin, ut haec omnia indifferenti animo a te acceptem tamquam media omnium aptissima ad consequendum hominis Religiosi finem.

Post haec magna animi contentione repetantur iidem affectus, quos supra ad finem meditationis secundae eliciendos praescripsi.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 3. cap. 17.

---

## ADMONITIO.

„Cum ii, qui hactenus non ita multum profecerunt in spiritu, diutius in prima hebdomade detinendi sint, ut amplius peccata sua defleant, utque peccati turpitudinem ac foeditatem melius agnoscant<sup>3)</sup>, hunc in finem sequentis diei exercitationes data opera prolixius excurrunt, ut geminas in partes divisae, in biduum materiam suppeditent iis, quibus fixum est, quadriduo huic hebdomadi immorari. Isti ergo praesenti hoc die mediam partem meditationum de peccatis et inferno contemplandam assument, residua earum parte in sequentem rejecta. Sic enim satisfiet illi monito Directorii, cujus haec sunt verba: *Tertio die proponenda erit eadem materia, quae secundo fuit expensa, sed cum aliquibus novis punctis. Sic enim materiae profundius*

---

<sup>1)</sup> Psalm. 12, 4. — <sup>2)</sup> Sap. 14, 3. — <sup>3)</sup> Direct. c. 17, 1.

*penetrantur* <sup>1)</sup>. Qui autem non nisi triduum ei impendere constituitur illi uni solum vel duobus punctis insistendum erit (siquidem meditatio integra justo longior fuerit visa), quod reliquum fuerit, dein oratio finita, aliove commodo tempore perlegatur. Sic v. g. meditationis sequentis punctum secundum hodie jam tempore, praeviae ad eam praeparationi destinato, vel post coenam attente legi poterit.“

---

<sup>1)</sup> C. 14, n. 1.

---

## DIES SECUNDA.

„Charissimi. mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.“ 2. Corinth. 7, 1.

### MEDITATIO I.

## DE POENA PECCATI AB ANGELIS ET ADAMO ADMISSI.

### Punctum I.

Considera poenam peccati *ab Angelis* admissi, qui ab ultimo fine suo ob laudatae indifferentiae defectum rebellanti superbia deviantes <sup>1)</sup>, debitum Creatori suo servitium eo, quo ille voluerat, modo, deferre recusarunt, ac propterea, amissa gratia sanctificante, mox e coelo fulguris instar in tartara praecipites sunt dati. Hic jam horrore attonitus expende sequentia rerum adjuncta.

1. *Quis* ille sit, qui hoc supplicium infixit? *quis?* nempe Deus, cujus *Justitia* non potest punire ultra meritum: cujus *Misericordia* semper plectit infra meritum: cujus *Sapientia* nihil potest statuere praecipitanter et inconsulte: cujus *Sanctitas* nihil potest agere ex passione (ut aiunt) vel minus recte. Et tamen hic tam justus, sapiens, sanctus et clemens Deus hos coelestes ab ultimo fine suo per noxam lethalem aberrantes Spiritus tam severe mulctavit.

<sup>1)</sup> Cfr. S. Th. p. I. q. 63. a. 3. et Perrone vol. III. cap. IV. §. 72.

2. Considera, *quosnam* ita puniverit? heu! aethereas Mentis, caeli Principes, divinae Omnipotentiae prodigia, omnibus naturae et gratiae dotibus eminentes, numero ah! numero incomprehensas; quae laesam Divinitatem, siquidem illis resipiscere fuisset datum<sup>1)</sup>, sempiterno ac intensissimo amore, unanimi nisu, quovis momento per totam aeternitatem dilexissent, et hanc proterviam suam perenni dolore expiaturae fuissent.

3. Perpende, *propter quid* tam sapiens et clemens Deus adeo excellentes ac innumeros Spiritus et quidem omnes, nullo excepto, sic castigavit? propter quid? nempe propter unicum, ah! expavescite coeli, et concussa tremant fundamenta terrae! propter unicum peccatum grave, *unicum* ... idque *primum* ... et quidem unico instanti ... sola cogitatione patratum.

4. Cogita, *quomodo* vindex Numen in hos coelestes Genios propter unicum hoc delictum animadverterit? Ah! mulcta quoad intensionem immani, quoad durationem aeterna; seu, ut scholae loquuntur, intensive finita, sed tamen extensive infinita; et qua diriorem, poenam damni spectando, ultrix Omnipotentia infligere non potuit.

5. Pondera, *quando* hoc supplicio eos affecerit? eo nimirum tempore, quo nullum adhuc praecesserat castigationis exemplum, monitio nulla, nullae minae. Non viderant orbem diluvio naufragantem, non Sodomam flammis conflagentem, non Christum in cruce expirantem, et tamen una omnes, non solum decimus quisque, sed una omnes deturbabantur in orcum; et quidem deturbabantur e vestigio, sine mora, eo ipso, quo deliquerant, temporis momento, nullo ad poenitendum intervallo nec brevi relicto.

---

<sup>1)</sup> Voluntatem daemonum obstinatam esse in malo, docet S. Thomas p. 1. q. 64. a. 2. ex conditione naturae status eorum; quia quod *in hominibus sit mors*, in angelis esse casum; ita ut postea peccata *gravia non amplius sint remissibilia, sed perpetuo manentia.*



Ah! Angeli tam nobiles iique innumeri, tertia eorum pars, non nisi momento et semel tantum peccantes, et quidem prima vice ac sola mente peccantes, nullo exemplo territi, nullo ad agendam poenitentiam concessio nec minimo temporis puncto; hi (contremisce o homo peccator!) hi ob unicum . . . primum . . . sola cogitatione . . . momento . . . commissum lethale piaculum detrudebantur ad *tartara*, id est, in locum tormentorum, quae sunt multitudine innumerabilia, magnitudine inexplicabilia, continuatione interminata. Et huc detrudebantur a Iudice infinite justo, sapiente, sancto et misericorde. O peccatum! quam horrendum igitur et execrandum es monstrum, quod tamen caeca hominum improbitas nihil esse, aut solum leve quid arbitratur. O quam tremendum, sanguineisque lacrimis deflendum es malum! utpote quod ab ultimo fine, summo scilicet Bono, ad omnis miseriae centrum praevaricatores abducis. Age jam, ex his quid concludis?

*Conclusio I.* Ergo omni illud possibili odio ac *horrore* aversandum est ac detestandum. Et quidni? *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*<sup>1)</sup>, quo tu clypeo tectus impunitatem speres? tu, inquam, vili ex luto compactum nihil? tu, qui non unius solum, sed tot scele- rum et quidem gravissimorum es reus; et quidem reus post concessam toties veniam, post tot visa, quae irata Nemesis ediderat, divini rigoris documenta? Igitur summo hujus portentis horrore concussus extimesce, et *quasi a facie colubri fuge peccatum*<sup>2)</sup>.

Nam stygius carcer, in quem rebelles hi Spiritus sunt detrusi, etiamnum succensus ardet, et etiam pro te . . . ita est: etiam pro te succensus ardet. Idem Deus, qui coeli Principibus non pepercit, etiamnum vivit, et vivit aequae justus ac olim, aequae potens ac sanctus. Vivit! heu

<sup>1)</sup> 2. Petr. 2, 4. — <sup>2)</sup> Eccli. 21, 2.

vivit! et vae tibi! si te gravi noxae immortuum deprehenderit. *Si enim angelis*, ah! nobilibus adeo mentibus iisque innumeris *non pepercit*; multo minus tibi, o abjecte et nauci homuncio! vindex ejus Justitia parcat. Ergo time, fuge, horre, ah! horre peccatum.

*Conclusio II.* Cum tanta tamque enormis sit mortiferi criminis malitia, utpote quae Numinis iram tantopere irritat; ergo admissa intensissimo *dolore* sunt deploranda. Peccasti o infelix! peccasti; id clamat conscientia: ergo meritus es inferos; id docet fides. Si tunc illo, quo deliquisti, momento, si illo die ac hora a vivis excessisses, heu! quo devenisses? ah! jam nunc *habitares cum igne devorante* <sup>1)</sup>, ibidem habitaturus aeternum.

Jam attende. En! Deus punivit angelos; pepercit tibi; illos *rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*; tibi spatium poenitendi clemens concessit. Peccasti prima, secunda, tertia vice; et pepercit Deus. Peccasti quarto; et quarto pepercit Deus. Peccasti decies, imo vigesies; et vigesies pepercit Deus. Tu continuasti peccando; et Deus continuavit parcendo. Angelos, heu! angelos post unicum, idque primum, sola cogitatione patratum grave piaculum, negato resipiscendi spatio et copia, sine mora, e vestigio avernalibus rogis mancipavit tota aeternitate cruciandos; et tibi misero, vili et ingrato homuncioni post centena eaque foedissima longanimis pepercit.

Nonne ergo tandem agnoscis divinae ejus Misericordiae infinitam erga te Bonitatem? Nonne attonitus stupes benevolum ejus erga te prae tot aliis affectum? Ah! homo non es, si ad ista tibi pectus non in gemitus erumpit, oculi non in lacrimas diffluunt, tota anima mutui amoris ignibus non colliquescit. Proin effervesce in ardentissimos *doloris et horroris* actus, dolendo *de praeteritis* et quidem intensissime, abhorrendo a *futuris* noxis idque efficacissime.

---

<sup>1)</sup> Isa. 33, 14.

*Dolor* de praeteritis, *horror* a futuris sit fructus meditationis.

## Punctum II.

Considera poenam *primis parentibus* inflictam, quam illi ideo incurrerunt, quia per peccatum a suo fine ultimo deflexerunt; quia ob indifferentiae defectum sua conditione haud contenti, ambiebant esse *sicut dii, scientes bonum et malum*<sup>1)</sup>; volebant quidem servire Deo, sed in sublimiori, quam ille ordinaverat, statu; utque votis potirentur, perverso rerum creatarum usu, media sibi vetita elegerunt. At vix mortiferum glutierant pomum; cum mox

1. Justitia originali, supernis habitibus, dominio in bestias suosque appetitus exuuntur; et lata in eos sententia e paradiso in hanc miseriarum vallem, interdicto reditu, miseri exules ejiciuntur. Nec hic stitit noxia mali vis, etiam in posteros suum virus effudit. Id ut clarius agnoscas,

2. Unum in cumulum coacerva omnes pestes ac, fames, omnia incendia, naufragia et bella, ruinas omnes ac vastationes tot urbium, provinciarum ac regnorum, omnes eluviones vastissimorum fluminum ac marium, omnes morbos, cruciatus ac tormenta tot aegrorum et martyrum, omnes denique universim calamitates et miserias, quae instar diluvii hunc mundum olim inundarunt, identidem inundant, et in posterum adhuc, praesertim tempore Anti-Christi inundabunt. His adde tot centenos milliones infantium, qui, antequam sacro latice tingantur, praecoci morte abrepti, superna beatitudine aeternum privantur. Haec, inquam, in eundem acervum una cum omnium, qui vixerunt, et adhuc morientur, mortalium ossibus et calvis accumula; et en! horum omnium teste Apostolo primigenium Adami peccatum, infelix fons est ac scaturigo<sup>2)</sup>). Inde jam, nempe ex diritate supplicii, culpa malitiam metire.

<sup>1)</sup> Gen. 3, 5. — <sup>2)</sup> Rom. 5, 12 et seq.

3. Nihilominus tamen haec ex nullo manifestior apparet, quam ex illa ferali tragoedia, quam olim Calvariae clivus tota fremente natura orbi spectandam dedit<sup>1)</sup>. Nam, ut iratae Nemesei pro unico hoc Adami peccato condigna placatione ex aequo satisfaceret, necesse fuit (trepidate piaae aures ad sententiam terrore plenam!) necesse, inquam, fuit, ut Verbum fieret caro: . . . in crucem ageretur Christus: . . . duos inter latrones medius moreretur Deus . . .

Ita est; omnes Beatorum labores, cruciatus et virtutes minime suffecissent delendae pro merito vel uniceae huic offensae. Imo licet centum milliones animarum, quarum quaelibet vitae sanctimonia ipsam caeli Reginam superasset, ter mille annorum spatio immania tormenta stygiis ignibus atrociora, insigni constantia eundem ob finem patientissime tolerassent, tamen unicum hoc piaculum condigna satisfactione haud poterant expiare. Licet universus orbis hostiarum cruori naufragus innatasset; divinus nisi sanguis fuisset libatus, secunda nisi Persona victimae vices subiisset, ex mente S. S. Patrum ac 'Theologorum<sup>2)</sup> in irritum cuncta recidissent: nec mundus fuisset expiatus, nec Deus placatus. Tanta fuit, tamque enormis et atrox virulenta illa, quae huic mortifero sceleri inerat, malignitas pravitasque. Ex his modo quid concludis?

*Conclusio I.* Si omnes corporis cruciatus, si omnia fortunarum et famae dispendia, si omnes denique hujus mundi calamitates, vel ipsa quoque mors sunt poena peccati ab Adamo admissi; ergo hoc majus est illis omnibus malum. Nam, ut docet S. Thomas, *plus habet de ratione*

---

<sup>1)</sup> Hoc incitamentum S. P. Ignatius proponit ad finem hujus ipsius meditationis de peccato Angelorum et Adami.

<sup>2)</sup> *Irenaeus* lib. 3. adversus haereses, cap. 20. *Athanasius* in Passionem Salvatoris. *Cyrillus Alexand.* in scripto ad Valerianum Episcop. *Fulgentius* in lib. de incarnatione et gratia Christi. *Doctor Angelicus* part. 3. q. 1. a. 2. ad 2dum.

*nali culpa quam poena* <sup>1)</sup>). Ergo quidvis potius tolerandum, quam peccandum.

*Conclusio II.* Deus in cruce ob peccatum Adami moritur (singulae voces minutatim ponderentur): Deus in cruce ob peccatum Adami moritur: nullo alio quam fuso Dei-hominis sanguine elui illud condigne potuit. Ergo id gravissimum prorsus et execrandum est malum; quia Deus pro re levi et nugatoria tam saeva inter tormenta mortuus haud est.

*Conclusio III.* Si Pater aeternus proprio Filio non pepercit, licet non nisi formam peccatoris assumpserit, et pro hac Adami noxa solum se vadem obtulerit, quid nobis fiet? nobis, inquam, tam vilibus mancipiis, rebellibus Deicidis, tot criminum reis?

### Affectus.

Ergo 1. doleamus de noxis *praeteritis*, et caveamus a *futuris*. 2. Delictorum pondere ad ima depressi, *humiliemus* nos sub potenti manu Dei, appetitum supra alios eminendi eorum consideratione compescendo. 3. Sanctum *carnis odium* concipiamus, ab illius illecebris tanquam a scelerum fomentis constanter abhorrendo. His tamen duobus ultimis affectibus brevior mora erit concedenda; cum intensus *dolor* de admissis et efficax *horror* a committendis princeps sit fructus hujus meditationis, qui ut solidior sit, tria erunt observanda.

1. Huic praecipue actui singulari cum fervore et potissime immorandum erit. 2. Patrata piacula sic erunt detestanda, ut semper coniecto in eorum radicem oculo, simul etiam eminentiae opumque cupiditatem et cuticulae amorem tanquam praecipuos malorum fontes execremur. 3. Ab erratis gravibus semper progrediendum erit ad leviora, id quod pro reliquis etiam commentationibus notandum venit.

Ceterum quid magis incutere homini possit horrorem peccati, quid vehementius incendere ejus dolorem queat, quam videre Filium Dei pro eo in patibulo crucis morientem? o caeli! Dei Filius jussu Patris in cruce ob peccatum moritur. O Spectaculum! ad quod ipsa etiam tartara cohorrescant, et soluta ruat compages mundi. Deus in cruce ob peccatum moritur ... Deus! ... Haec credo, et tamen nec doleo de admissis, nec abhorreo a futuris: ... quin et pecco, *rursum crucifigendo mihimetipsi Filium Dei, et ostentui habendo ...*<sup>1)</sup> o Fulmina! quae manus vos, quae nubes moratur?

O anima! en Jesus tuus in cruce moritur, ... et non solum ob Adami, sed ob tua etiam delicta moritur, ... et quidem te cruentas manus inferente moritur. ... Haec cernis, nec tamen in lacrimas diffiluis? ... Ad hanc traegediam sol obscuratur, petrae *scinduntur*, ipsi Gentiles redeunt percussi pectora sua; sola tu immota perstas. Aperiuntur sepulcra, velum templi scinditur, tota natura tremmit; solum tu o peccator! non moveris; solus tu chalybe durior siccis oculis Salvatorem tuum trabali e ligno tribus clavis suffixum, summos inter cruciatus exspirantem vides! ... imo funestam hanc scenam etiam iterare audes!

Ah! tandem fluite lacrimae, erumpite gemitus, totum pectus jam occupet moeror, ut digne defleam divinae offensae cognitam gravitatem, quae ex nullo manifestius quam ex Christi morte elucet. O Jesu cruci affixe! permitte, ut pedibus tuis advolutus, effuso fletu, meum tibi *dolorem* tester, et prae *horrore* tam gravis, quam peccatum continet, malitiae non prius *dolere* et *horrere*, quam vivere desinam.

*Vivit Deus, in cujus conspectu sto; quia donec superest halitus in me et Spiritus vitae in naribus meis, non loquentur labia mea, nec operabitur cor meum ini-*

---

<sup>1)</sup> Hebr. 6. 6.

*mitatem* <sup>1)</sup>). Potius omnia perdam bona, et feram mala, quam ut denuo etiam leviter *delinquam in animam meam* <sup>2)</sup>). Ita est: etiam leviter; cum etiam venialis noxa sit causa cruciatuum ac mortis Christi, ac Numinis Sanctitas illam quoque immenso odio ac omni sua infinitate aversetur, horreat et execretur. Potissimum autem ab his N. mihi, nec non ab illorum venenata radice, superbia praesertim ac sensualitate cavebo.

*O quam profunde submittere me debeo sub abyssalibus judiciis tuis, Domine! ubi nihil aliud me esse invenio, quam nihil et nihil. En! caeli non sunt mundi in conspectu tuo: vel in ipsis angelis reperisti pravitatem: ipsae stellae ceciderunt de caelo; et ego pulvis quid praesumo? O quam humiliter ergo et abjecte mihi de meipso sentiendum est* <sup>3)</sup>! O quantopere infelix illa tot malorum scaturigo, honorum scilicet ac illecebrarum appetentia est detestanda! Fixum proin et statutum est: etiam ego cum Paulo *castigabo corpus meum, et in servitutem redigam* <sup>4)</sup>; illud, inquam, corpus, quod tibi o Jesu crucifixe! tot dolorum causa et tam horrendae necis occasio fuit. Etiam ego cum Davide *viliior sum, plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* <sup>5)</sup>). Serviam ego servus tuus tibi Domino meo, et quidem eo, quo tu voveris, modo cum plena ad quidvis indifferentia. \*

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitatione Christi, lib. 3. cap. 14.

---

<sup>1)</sup> Job. 27, 3. — <sup>2)</sup> Eccli. 19, 4. — <sup>3)</sup> De imit. Chr. l. 3. c. 14. — <sup>4)</sup> 1. Cor. 9, 27. — <sup>5)</sup> 2. Reg. 6, 22.

---

## LECTIO

## DE DOLORE ET HORRORE PECCATI.

## §. I.

I. Jacto principali fundamento nostri, quod molimur, spiritualis aedificii, nempe serviendum esse Creatori eo, quo ille voluerit, modo, id est, in eo vitae statu, aut in electo jam statu, in eo munere, loco, valetudine et perfectionis gradu, in quo ille sibi id gratum fore significarit, adeoque ad haec omnia indifferentes nos esse oportere; jacto, inquam, hoc angulari exercitiorum lapide, tollenda e medio sunt praecipua *impedimenta*, quae nos ab aurea hac indifferentia, et quod consequitur, a nostro fine ultimo abstrahunt abducuntque.

Porro quod a generoso hoc aequilibrio nos potentius retrahit, et in oppositam partem male pronos impellit, est tum innata nobis *appetentia* honorum, deliciarum et opum; nec non sanitatis ac liberioris vitae, tum coeva nobis *nausea* contemptus, paupertatis et vexationum, item aegritudinis ac perfectioris vitae. Sive, ut compendio utar, est nimius *cuticulae*, *eminentiae* et opum amor, atque inordinata *contemptionum*, *molestiarum* et *paupertatis* fuga.

Nam, ut ab inductione constat, quotiescunque a commendata nobis aequilibritate discedimus, semper id ob unam ex praedictis rationibus fit. Cum enim caelestis haec virtus in medio consistat, solo Numinis nutu in hanc vel illam partem inclinanda; nihil illi adeo adversatur, quam nimia propensio ad unum, et aversio ab altero mediae rei extremo. Adeoque nil magis laudatae indifferentiae inter commoda et incommoda, honores et contemptus, divitias et paupertatem officit, quam nimius amor priorum et horror posteriorum. Cum igitur hic amor et horror motionum humanarum communes duo cardines sint, patet, quotiescunque ab aureo illo mentis aequilibrio deflectimus, id semper ob



unam ex praedictis rationibus fieri, et quidem per actus peccaminosos fieri.

Nam cum secundum Christi effatum *omnis arbor mala malos fructus faciat*, imo cum non possit *arbor mala bonos fructus facere*<sup>1)</sup>, sequitur, omnes illos actus, qui ex illo germine, nempe ex dicta *appetentia et nausea* seu *amore et fuga* tanquam ex venenata radice enascuntur, et per quos ab illo caelesti aequilibrio deflectimus, esse *peccata*<sup>2)</sup>, eaque, voluntaria si sint, vel graviter vel leviter vitiosa: adeoque haec illos esse passus, quibus a laudata indifferentia et ultimo fine nostro vel omnino aberramus, vel saltem deviamus. Nam vitia ex mente Patrum sunt proprie illi animae gressus, per quos ea a caelo in praecipuum abit, et a Creatore devia recedit.

II. Ut ergo S. P. Ignatius caecam voluntatem a noxio hoc honorum et commoditatum, deliciarum et opum *appetitu* revocet, illamque mitigato contemptus et incommodorum, paupertatis et dolorum *fastidio* ad praedictam indifferentiam et per eam ad ultimum finem suum reducat, peccatorum

<sup>1)</sup> Matth. 7, 17 et 18.

<sup>2)</sup> Nam etiam actus primo primi, ut Scholae loquuntur, possunt per ampliationem appellari peccata; quia sunt tum poena, tum causa peccati: i. e. „quia ex peccato sunt, et ad peccatum inclinant.“ — Cfr. Concil. Trident. Sess. V. in decreto de peccato orig. n. 5. Nemo ea autem peccata proprie dicta autemet. Nam juxta S. Augustin. lib. de duab. animab. cap. 10. „non nisi voluntate peccatur“; et lib. de vera Religion. cap. 14. „aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.“ Hanc catholicam doctrinam tradit S. Thom. 1, 2. q. 74. a. 2. ad 1.: „Non peccatur nisi voluntate sicut primo movente, aliis autem potentiis sicut ab ea motis.“ Motus ergo sensualitatis primo primi, nimirum qui omnem rationis advertentiam praeverunt, aut ii, quos *inviti* patimur, quantumvis versentur circa illicita, non sunt peccata, nequidem venialia, ex definitione Concil. Trid. l. c.; et oppositum damnavit S. Pius V. propositione 51. inter Bajanas: „Concupiscentia sive lex membrorum et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.“ Ergo huic contradictoria est vera. — Cfr. Billuart. tom. II. Compendii dis. IV. Art. II. — Hac etiam spectat propositio 55. Baji damnata: „Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.“

malitiam, turpitudinem et damna ob oculos ponit, ut scilicet inspecto rivulorum toxico, ipsum etiam fontem execrari discamus. Inde patet, quam arcte diei hodiernae meditationes cum hesternis cohaereant.

Dixi autem, inspecto rivulorum toxico ipsum etiam lapsuum fontem execrandum esse. Et hinc, quod cum primis notari cupio, quotiescunque in his de peccato exercitiis dolenti animo commissa piacula aversabimur, semper reflexo in eorum radicem obtutu, etiam ille perversus *excellantiae, cuticulae et opum amor*, nec non inordinata illa *despicatus, vexationum et inopiae fuga*, id est, *superbia, sensualitas* (ut vulgo dicitur), et *avaritia* tanquam lernaea malorum fere omnium causa erit detestanda.

Ceterum ut divus Ignatius praefixum sibi scopum eo certius assequeretur, id est, ut offensae junctus dolori horror cordis intima eo efficacius pervaderet, 1. malignitatem vel unius etiam naevi genuinis coloribus adumbrare satagit. Hanc vero ut bene depingat, considerandam nobis proponit castigationem Angelis primisque Parentibus ob unicum erratum inflictam, ut nempe ex atrocitate poenae, gravitatem culpae metiremur. Et certe priorum ruina ac posteriorum proscriptio iis rerum adjunctis vestiuntur, quae rite perpensa ferreas etiam mentes terrore ac tremore compleant necesse est; ita ut aptius huic suo fini obtinendo medium S. Auctor seligere haud potuerit.

2. Cum autem aliena nos minus moveant quam nostra, sequenti commentatione perpendendam subjungit propriarum noxarum multitudinem, foeditatem ac perversitatem, quae propius inspecta non possunt non summo dolore nos afficere ac poenitentia scelerumque odio inflammare.

3. Quia vero subinde aliquos reperire est, quos suppliciorum metus a peccando potentius absterreat; pro ultima ejusdem hujus diei<sup>1)</sup> meditatione, et quidem ante eas, quae

<sup>1)</sup> Nam hanc de inferno contemplationem illo ipso adhuc die, quo duas priores, nempe de poena Angelorum et propriis peccatis instituit.

de morte aut iudicio agunt<sup>1)</sup>), contemplandos exhibet in-  
rorum cruciatus, non obstante, quod hanc materiam in  
rimo jam hujus diei exercitio, puncto tertio attigerit<sup>2)</sup>).

Ex quo insignis S. P. Ignatii hac in arte peritia et  
rudentia elucet; cum ea incitamenta, quae acquirendo illi,  
nem praesenti hac luce intendit, fini aptius serviunt, junctim  
t unice, gradatim tamen expendenda proponat, nihil  
nim NB. adeo ad profectum conducit, quam si integro die  
ini solum veritati exputandae unice tantummodo primario  
ructui inde colligendo nos totos impendamus<sup>3)</sup>).

III. Porro fructus per dictas exercitationes a nobis  
hodie colligendus ex mente S. Patris est *dolor intensus  
le peccatis atque abundans fletus*<sup>4)</sup>). Hic enim, nempe  
n prima hebdomade, ut alibi ait, *quaerimus dolorem ac  
lacrimas de peccatis*<sup>5)</sup>); et quidem non qualemcunque, sed  
antum dolorem, vi cujus *internam criminum nostrorum  
letestationem sentiamus*: item vi cujus *perspecta ac dam-*

mus, pro ejusdem diei exercitio quinto seu ultimo ante coenam S. Igna-  
tius assumendam praescribit in lib. Exercit. ad finem exercit. V.

<sup>1)</sup> Nam loco paulo ante citato mox ad finem exercitii V. ait, his  
meditationibus, scilicet de peccatis et inferno adjici posse alias, ut de  
morte, de iudicio. Ubi notandum, eundem dicere, has posteriores illis  
prioribus *adjici*, id est, subjungi posse; non vero *interseri* aut *im-  
misceri*. Nempe ex ejus mente non tam ordo novissimorum servandus  
est, quam spectandus ille, qui solus hodie intenditur fructus, scilicet  
*dolor et horror peccatorum*, qui procul dubio inferorum consideratione  
plurimum promovetur et augetur.

<sup>2)</sup> Quam materiam tum ob argumenti similitudinem, tum ne prima  
exercitatio prolixior excurreret, tum denique ne mane ibidem dicta sub  
vesperum denuo repetenda forent, huic ultimae conjungendam censui.

<sup>3)</sup> Hinc a mente S. Auctoris recedere videntur illi, qui primo die,  
post consideratum ante meridiem hominis finem, a prandio meditatio-  
nem de peccato Angelorum: altero dein die pariter a prandio de morte  
vel iudicio (ante eam de inferno) peragenda praescribunt. Videri  
potest P. Diertins in sua explanat. Exercit. in notando post con-  
templ. III. hebd. 2., ubi docet, toto die eidem materiae inhaerendum  
esse, ne multiplex veritatum aeternarum varietas fructum retardet.

<sup>4)</sup> Lib. Exercit. hebd. 1. exercit. 2. praelud. 2.

<sup>5)</sup> Lib. Exercit. Adnotat. 4. ex viginti.

*nata mundi et appetitionum nostrarum pravitate, ab illis rebus mundanis ac vanis, quae vitiorum nostrorum scatarigo sunt, nos recipiamus*<sup>1)</sup>.

Scopus proin hodiernae diei est *dolor* de praeteritis offensis et quidem *vehemens*: item *horror* a futuris et quidem *efficax*, qui ipsum simul earum *fontem* aversetur, inordinatum scilicet opum, cuticulae et eminentiae amorem. Hunc ergo *dolorem et horrorem* ut abundantem hodie acquiramus, omni virium contentione allaborandum erit. Nam sicut *indifferens* animi aequilibrium ad amplectenda omnia media, per quae Deus ultimum finem nostrum nos consequi voluerit, fuit materia hesternae diei, et sicut *intima cognitio* sui ipsius, praesertim motionis animo dominantis cum demissione et odio sui, est finis crastinae lucis; ita *purgatio* animae per seriam errorum execrationem nec non eorundem radicum est meta praesentis diei<sup>2)</sup>. Jam autem anima nullo adjumento efficacius purgatur quam per poenitentiae lavacrum, quae, ut indicat Directorium<sup>3)</sup>, in *contritione* et *confessione*, tanquam geminis a poenitente ponendis actibus consistit<sup>4)</sup>.

## §. II.

I. Ad *contritionem* quod spectat, ea ex sacra Synodo Tridentina est *dolor ac detestatio de commisso peccato cum proposito non peccandi de cetero*; seu est odio mixtus *dolor de praeteritis*, horror a *futuris*. Hanc ergo ut aptis S. P. Ignatius industriis promoveat, non solum

<sup>1)</sup> Ibid. hebd. 1. exercit. 3. colloquio 1. item Directorium c. 39. n. 2, ubi haec: *Concipiatur de peccatis quam maximus dolor et contritio, ut animus abstrahatur ab amore omnis rei terrenaе.*

<sup>2)</sup> Direc. c. 11. n. 2.

<sup>3)</sup> Ibid. c. 11. n. 3, ubi sic: *In prima hac hebdomade proponuntur media, quae ad animam purgandam per contritionem et confessionem pertinent, et ad veram poenitentiam in nobis gignendam juvare possunt.*

<sup>4)</sup> In lib. Exercit. in additionibus ad exercitia ad finem hebdom. 1.

obis omni risu, verbisque risum provocantibus interdicat; ad ipsas etiam cogitationes pias de laetiori argumento currentes expelli jubet, sanctamque animi tristitiam, in lectis etiam cubiculo tenebris, et aucto corporis cruciatu veri cupit. Prius vetat, *quoniam talis quaelibet cogitatio impedit fletum et dolorem de peccatis, qui tunc uerendus est.* Posterius fieri optat, *ut impetremus stimam cordis contritionem de peccatis et abundantiam iudicialium.*

Imo cum adverterit, illum terrorem, quem tum spectatum in Angelis et Adamo supplicium, tum considerata priorum criminum gravitas ac promerita inferorum tormenta in mentibus incutiunt, impedire teneriores doloris motus; **I.** inquam, cum adverterit, propterea ad calcem dictarum meditationum provide subjunxit ejus generis incitamentum, quod movendo fletui summe idoneum est. Sic ad finem vitae proponit Christum in cruce ob peccatum morientem. In secundae vero et tertiae colloquio exhibet infinitam Dei Misericordiam nobis tandiu ac toties parcitem: licet alii interea innumeri fors minus nocentes in orbem sint deturbati. Quae certe, una cum immensa Numinis clemencia, eam movendi vim habent, ut necesse sit, lacrimarum flumina largo impetu prorumpere, si illis, loco virgae Moysis, proprii cordis petram repetito conatu percusserimus.

**II.** Aliae praeterea rationes hunc contritionis ardorem persuadentes sunt hae: nam **1.** quo intensior is fuerit, eo uberior erit gratia: **2.** eo amplius delebitur de reatu poenarum, quae nobis vel in hac vel in altera vita pro mensura culparum exsolvendae restant: **3.** eo firmior etiam erit in bono constantia ac proposita vitae correctio; ideo enim tam frequenter relabimur, quia nimis raro vehementer dolemus: **4.** eo solidior erit securissima animi pax, orta ex dulcissima spe et ex intensiori, nescio quo suavi tranquillae mentis vadimonio, quo securi reddimur, nos amicis nobis

Numen habere. Cum e contrario remisse dolentis dubia sit veniae spes, amicitia cum Deo frigida, relapsus facili, satisfactio tenuis et modicum gratiae incrementum.

Ad obtinendam autem utilissimam hanc contritionis intentionem adhibenda erunt sequentia media. Primum est *oratio*, qua ejusmodi favor ab eo, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, constanter et ferventer efflagitur. Hanc in rem plurimum conferet, facere, aut faciendum curare Sacrum, ut aiunt, *votivum* pro obtinenda remissione peccatorum, inserta collecta de petitione lacrimarum.

Alterum est corporis *castigatio*, utpote cui mira vis inest, Caelum nostra in vota inflectendi, cordisque duritiam emolliendi. Tertium in eo consistit, ut universam nobis vitam, omniaque per ejus decursum perpetrata piacula quasi in cumulo repraesentemus, cum Rege Ezechia *recogitando omnes annos in amaritudine animae*<sup>1)</sup>. Nostra enim accumulata quasi in montem errata ciendo fletui efficax remedium sunt. Praecipue vero subjuncta hodiernis meditationibus a S. Patre doloris incitamenta, nempe Jesus crucifixus et infinita divinae Misericordiae bonitas magno hunc in finem subsidio erunt.

III. Certe sanctus ille Seraphinorum aemulator Franciscus Christum in cruce pro peccato morientem contemplan- do, in tantos ejulatus erupit, ut fortuito praeteriens nobilis Eques eum a latronibus jugulari autumarit. Cumque nihilominus insons poenitens parum adhuc sibi dolere videretur, vicinas rupes et antra in luctus societatem vocavit. Et en! divino nutu siccissimae alias petrae tanta humoris copia perfundebantur, ut defluentes ex illis et sensim confluentes ubertim guttae plurimos tandem in rivulos excreverint. Franciscus vero exhaustus viribus in cellulam aliorum manibus referri debuerit.

---

<sup>1)</sup> Isa. 38, 15.

O Saxea mortalium corda! ad haec jam quis vobis sensus? Ergone possibile sit, ut Servatoris e cruce pensilis aspectus non eundem in religiosa mente, quem in his lapidibus, effectum creet? Ergone fieri possit, ut eadem oculorum siccitate Christianus, qua Turca, hanc amoris simul et moeroris scenam intueatur? *O angeli pacis amare flentes!*<sup>1)</sup> per Matrem dolorosam vos rogo, ah! serias tandem easque uberes mihi poenitentiae lacrimas exorate.

Quidam in Hispania peccator, cum clementem illam offensi Numinis erga sotes benignitatem a S. Vincentio Ferrerio pro concione extolli audivisset, tanto suorum scelerum angore correptus fuit, ut exanimis in terram corruerit; et nos haec eadem meditantes, et quidem in sacra hac solitudine meditantes, pumice sicciores sine altiori motu perstamus; nos, inquam, quos conscientia fors aequae gravium, si non plurium naevorum arguit reos. Enimvero vel haec vera esse non credimus, vel noxae malignitatem non ponderamus.

S. Catharina Senensis modicam, quae casu obrepserat, oculorum levitatem tam copioso lacrimarum imbre defleverat, ut multo tempore nullum solamen admiserit. Beatus Alphonsus Rodriguez unicum veniale piaculum pluribus annis quotidiano eoque largissimo fletu deploravit; et nos fors lethalia eaque plurima vix lacrimula expiamus. Quis durum adeo mentis silicem non excretur? Nec dicas, ut quis sic doleat, oportere eum esse sanctum; potius vice versa sic oportet dolere, ut quis fiat sanctus. Quid? quod ipsi etiam praevaricatores olim pudori ac probro nobis erunt.

Nam surgent in iudicio magni illi Poenitentes ac Thebaidis incolae, et nostram nobis duritiam exprobrabunt. Surget ille miles, qui ad pedem columnae, cui insistebat S. Simeon Stilites, prae contritionis vehementia exanguis concidit. Surget ille Nobilis, qui, cum S. Ulricum ex

---

<sup>1)</sup> Isa. 33, 7.

Ordine Praedicatorum in peccati malitiam detonantem audiret, prae illius horrore subito exspiravit. Surgent innumeri rustica de plebe viri, qui intellecta in Missionibus culpae lethalis gravitate in uberem ploratum, quin non raro ejulatum passim eruperunt. Surgent, inquam, hi, et condemnabunt nos; nos, qui, Religiosi licet simus, id est, statum poenitentiae professi, nullo tamen planctu vel in ipsis etiam exercitiis morienti in cruce Servatori, et quidem ob crimina nostra morienti parentamus: qui neque lacrimula tam protervum misericordiae abusum illatasque infinitae bonitati tam enormes injurias deploramus.

O Deus! qui tuam potentiam parcendo maxime et miserando manifestas, *dissimulans peccata hominum propter poenitentiam*<sup>1)</sup>; *gratiam Spiritus sancti cordibus nostris clementer infunde, quae nos gemitibus lacrimarum efficiat maculas nostrorum diluere peccatorum. Produca oculis nostris lacrimarum flumina, quibus debita flammularum incendia valeamus extinguere*<sup>2)</sup>.

### §. III.

I. Hunc de erroribus praeteritis dolorem, intensus si fuerit, suapte natura ac individuo nexu comitabitur *horror a futuris*. Repugnat enim, ut quis serio doleat de malo olim admissio, quin simul abhorreat a posthac committendo. Hunc ergo horrorem ut amplius intendas, simulque ejus firmitatis periculum facias, finge ex una parte, oculis te coram usurpare illam feralem tragoediam, quam Antiochus ille impius in ultimo illius Machabaeae Matris filio orbi spectandam dedit. Sublimi Rex insidens solio meram vultu saevitiem spirat. Promuntur truculenta tyrannidis instrumenta: succendentur sartagine, ollaeque aeneae: expediuntur acinaces immanesque cultri: quaquaversum dispersa

<sup>1)</sup> Sap. 11, 24.

<sup>2)</sup> Ecclesia in Orationibus de petitione lacrimarum.



acent abscissa fratrum capita, mutilatae manus, truncati odes et viduata cute cadavera. Hanc, inquam, scenam ivis coloribus menti praesentem depinge.

Ex parte altera finge item, proximum te adstare illi babilonicae fornaci, quam *Nabuchodonosor Rex repletus irore praecipit succendi septuplum, quam succendi conueverat*<sup>1)</sup>. Vah! spectaculum immane! licet fornax jam immensum ardeat, tamen *non cessant ministri regis eam nagis et magis succendere naphtha et stuppa et pice et nalleolis*, ita ut *effundatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem*<sup>2)</sup>. Hos igitur tam horrendos ignium tortices, haec tam terrificata fumi volumina imaginare tibi, non solum intueri te, sed etiam coram sentire.

Jam vero animum intende. En! ibi Machabaeo omnium minimo adeoque tenerimo vel caro suilla est gustanda, aut crudelissima mors subeunda. Hic Ananiae cum sociis vel statua est adoranda, aut aemula stygis incendia e vestigio perferenda. Finge modo, etiam tibi pari fato aut peccandum lethaliter esse, aut in hoc ipso aut simili clibano arendum, vel iisdem pariter aut aequalibus tormentis te excrucian dum esse. Age jam, quid eligis?.... quid facere statuis?

Ibi parvulus ille Heros generosa voce exclamat: *Non obedio praecepto regis, sed praecepto legis*<sup>3)</sup>. Hic vero Ananias cum sociis audacter respondet: *Notum sit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, et statuam auream non adoramus*<sup>4)</sup>. Ain modo, num simile tibi aes circa pectus riget? num idem vigor tuos animat artus? Nonne probrum foret, majorem peccati horrorem animo nutritivisse illum juvenem tenellum, hos aulae deliciis natos Optimates; quam christianum te aut religiosum vel omnino sacerdotem sub praecordiis alere?

<sup>1)</sup> Dan. 3, 19. — <sup>2)</sup> Ibid. 3, 46 et 47. — <sup>3)</sup> 2. Machab. 7, 30. — <sup>4)</sup> Dan. 3, 18.

Ita si res se haberet, o quanto tibi olim pudori exemplum Eleazari erit, qui ut horrendis cruciatibus se eximeret, vitamque redimeret, esum vetitae carnis ne simulare quidem sustinuit, sed heroa mente palam exclamavit, *prae-mitti se velle in infernum*<sup>1)</sup>.

II. O superi! ad tria haec spectacula quid reponent jam illi, qui nullo cogente tyranno, nemine mortem intente, ob leve lucrum, vilem gustum, foedam voluptatem supremam Majestatem terrente Justitia, dehortante conscientia et inspectante Numinis immensitate, rebeli protervitate offendere, laedere ac irritare non verentur: cum tamen ex Sanctorum effatis constet, *multo intolerabiliorem esse Dei offensam quamlibet exiguissimam ipso Luciferi inferno*<sup>2)</sup>; *et ab uno etiam minori delicto majus malum advenire, quam a toto simul tartaro*<sup>3)</sup>. Ad haec, inquam, quid reponent illi, qui animam gravi noxa contaminare non horrent? Quam jure timendum, ne etiam hi aliquando rubore suffusi incipiant dicere montibus: *Cadite super nos; et collibus: Operite nos*<sup>4)</sup>.

Per ejusmodi igitur *hypotyposes* tanquam ad lapidem Lydium illud, quo graviores naevos aversaris, odium periclitare. Licet enim id obvium cuivis suadere consultum minime sit, tamen in exercitiis, post consideratam errorum gravitatem, ejusmodi de se periculum facere adeo abs re non erit. Percontare igitur, num etiam tu malis cum parvulo Machabaeo seneque Eleazaro in enses, in plagas necemque agi, seu malis cum S. Edmundo Cantuariensis Episcopo *in rogam ardentem detrudi, quam grave delictum sciens admittere*<sup>5)</sup>. Quid frontem in rugas asperas? ... Haec animi comparatio reipsa ad salutem necessaria est; sine qua nulli ad polum aditus patet.

III. Dein a gravibus ad levia gradum faciendo, tuam

<sup>1)</sup> 2. Machab. 6, 23. — <sup>2)</sup> S. Catharina Genuens. in ejus vita c. 27. — <sup>3)</sup> S. Theresa. in vita a se scripta c. 25. — <sup>4)</sup> Luc. 23, 30. — <sup>5)</sup> In ejus vita.

quoque ab his alienationem Argus examina. Sciscitare proin ex temetipso: quid si levi mendacio lethalem morbum, gravem infamiam aut ferale supplicium a me amoliri, vel si honorificum quodpiam munus acquirere, aut erumpens subito incendium extinguere possem, an non mentirer?... Quid conscientia reponat, sedulo auscultat. Juverit etiam animo revolvere occasiones quasdam et illicia delinquendi leviter, v. g. illa loca, personas, negotia, quae uberiorem consuetis ejusmodi noxis hucusque ansam praebuerunt; seque praevia execratione ac praemisso dissensu aut fugae proposito contra quotidianas et familiares nobis labe obarmare, eas repetito ac nominatim execrando.

Hac industria commendatus supra *horror a futuris lapsibus tam mortiferis quam minutis plurimum augebitur, auctusque conservabitur.* Per hunc vero duplicem et altius radicatum partim lethalium partim venialium horrorem via sternitur, animusque praevio conamine jam nunc praeparatur ad primum et secundum humilitatis gradum a S. Patre ad finem secundae hebdomadis propositum. Unde iterum mira meditationum inter se connexio ac singularis ordo elucet. Verum haec de *contritione* dicta sufficiant.

#### §. IV.

I. Ad alterum purgandae animae subsidium nempe *confessionem* quod attinet, quamvis eam S. P. Ignatius primum *post hebdomadis primae exercitia esse opportunam iudicet*<sup>1)</sup>, nihilominus tamen *conscientiae examen generale, tanquam utilissimum ad purgationem animae et peccatorum confessionem* remedium, mox sub ejus initium *trahit*<sup>2)</sup> instituendum hora a praescriptis functionibus libera, (has enim salvas esse semper oportet), v. g. post corporis refectioem aut loco exercitii manualis.

---

<sup>1)</sup> In lib. exercit. de confessionis generalis usu. Direct. cap. 10. n. 9. — <sup>2)</sup> In lib. exercit. post exam. particulare.

Et licet in hac animi perscrutatione nobis cavendum sit a nimia anxietate utpote foecunda scrupulorum matre; ex altera tamen etiam parte cum ea accuratione peragenda erit, ut posthac nobis, praesertim moribundis, clypeus esse queat contra varios *timores nocturnos*<sup>1)</sup>, et firma basis, cui mentis quies secure innitatur<sup>2)</sup>. Aequa proin lance haec diligentia respondere debet 1. diuturnitati *temporis*, per quod quis hanc expiationem distulit: 2. *multitudini et gravitati* errorum, quae quis commisit: 3. *qualitati* negotiorum, quae quis tractavit: 4. *varietati* munerum, quae quis obivit.

II. Num autem totius vitae tela sit retexenda, an solum ab ultima, aut ab anni spatio ea sit repetenda, arbitrio confessarii determinandum relinquitur. Videri hac de re potest Directorium<sup>3)</sup>. Semper tamen ejusmodi generalis sui ipsius accusatio dissuadenda erit scrupulosis, uti et vitio carnis olim amplius addictis, aut etiamnum ejus stimulo gravius tentatis; hi enim plus nocuenti ex ejusmodi accurationi indagine quam commodi referrent.

Nihilominus quaecunque demum seu generalis sive annua aut semestris confessio deponatur, semper curandum erit, ut ea praecipue puncta conscientiae arbitro declarentur, quae adhuc nunquam rite clavibus subjecta fuerunt, quae nos prae aliis angunt et pungunt, aut sub mortem turbatura timentur; praesertim in peccata etiam *aliena et occulta*, in boni omissiones ac muneris neglectiones peculiari studio indagandum erit, conandumque, ut nostra haec errata iisdem omnino phrasibus sacro judici exponantur, quibus utetur daemon, quando nos de illis olim est accusaturus.

Uno verbo, haec exomologesis tali diligentia erit peragenda, ac si ea finita mox fato cessuri, ac tribunali divino sistendi essemus; ita ut interno quodam animi testimonio

1) Cant. 3, 8. — 2) Direct. cap. 16. n. 3. — 3) Cap. 10. n. 9.

secari reddamur, nos in his exercitiis animae rationes rite abduxisse, nilque amplius, quod ad calculos revocetur, reliquum esse. Sine quo vadimonio, qui ex sacra hac solitudine egreditur, praecipuo solamine et quodam ex insignioribus fructu privatus abit.

III. Porro duo potissimum obstacula sunt, quae huic tam sancto operi tristem non raro obicem ponunt, nempe *labor* in scrutandis ejusmodi naevis subeundus et *erubescencia* in iis postea aperiendis superanda. Ad laborem quod pertinet, eum leviolem reddent, et plurimum mitigabunt considerata attente emolumenta ex ejus generis confessione percipienda, quae sunt sequentia: 1. illius, quae peccatis inest, malitiae clarior cognitio: 2. intensior de iisdem dolor: 3. efficacius ea vitandi propositum et majus e caelo auxilium: 4. melior ad Eucharistiae sumptionem praeparatio: 5. firmiter salutis spes ac securae mentis in agone solatium<sup>1)</sup>. Et haec sunt beatum illud Centuplum, quo Deus in hac etiamnum vita pios ejusmodi conatus remunerari solet. *Quodsi nulla alia foret utilitas* (Directorii verba sunt), *hoc certe satis esse deberet, quod experiamur homines plerumque aut sine sufficiente examine, aut sine debito dolore, nullo aut valde infirmo melioris vitae proposito ad sacrum tribunal accedere*<sup>2)</sup>. Solidi ergo solaminis res erit, per accuratam ejusmodi exomologesin his diebus salutis praeteriti temporis defectus emendasse, et sic orituris alias sub mortem scrupulis omnem viam praecclusisse.

Motiva vero superbum illum in detegendis animae morbis noxiumque pudorem generoso pede calcandi, S. Augustinus nobis sequentia suppeditat. *Primum* ei subministrat ipsa persona peccatoris. *Cur erubescis, inquit, confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? Non te pudeat coram*

<sup>1)</sup> Lib. exercit. ad finem examinis generalis.

<sup>2)</sup> Cap. 16, 2.

*uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis et cum multis facere.*

*Secundum* petatum est a persona Confessarii: *O Homo! quid times confiteri? Illud, quod per confessionem scio, minus scio, quam illud, quod nescio. Cur erubescis confiteri peccata tua? peccator ego sum, sicut et tu. Confitere homo homini, peccator peccatori, qui ea ipsa crimina, vel etiam graviora patrare potest; nullum enim peccatum est, quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo.*

Tertius aries, quem prosternendo pudori noxio admovet Hipponensis Praesul, est universale iudicium; sic enim pronuntiat: *Utique melius est coram uno aliquantum ruboris tolerare, quam in die iudicii coram tot milibus hominum gravi repulsa denotatum tabescere. Cogita ergo, confessarium fore unum ex illis, qui iudicio illi intererunt; nec erubescas nunc ei magno tuo commodo manifestare, quod tunc aperte cognoscet cum insigni pudore et contemptu tuo. Haec Augustinus<sup>1)</sup>; accedit, quod aut arduum est, aut poenitendum.*

Itaque pro Deo, pro caelo, pro anima, ne confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam<sup>2)</sup>. Hanc enim devictam a se verecundiam per sinceram confessionem in triumphum ducere, generosum omnino ac heroicum facinus est, plenumque gloriae teste S. Gregorio, dicente: *Ego non minus admiror confessionem humilem peccatorum, quam sublimia gesta virtutum; cum major interdum fortitudo requiratur ad culpam fatendam, quam ad eam vitandam<sup>3)</sup>.*

IV. His duobus remediis, nempe intensa contritione ac sincera confessione, obtinebitur purgatio animae, qui secundus est primae hebdomadis fructus: nam primus incul-

<sup>1)</sup> Lib. de visit. infir. c. 5. — <sup>2)</sup> Eccl. 4. 24. — <sup>3)</sup> Greg. 1. 22. moral. c. 10.

a heri indifferentia est. Quia vero anima sufficienter purgatur, nisi etiam *vitiorum radix* inde evellatur; et autem plerumque in *avaritia, superbia, et sensualitate* consistat, hinc consulto superius monui, ut quotiescunque hodiernis exercitationibus peccati gravitatem detestamur, super reflexo in eorum fontem obtutu, etiam opum, horum et illecebrarum appetentiam execremur. Id quod ut caciùs fiat, plura hunc in finem consideratio vespertina geret incitamenta.

Prius tamen per sequens exercitium adhuc magis intendus erit *dolor* de noxis praeteritis et *horror* a futuris, primarius hodiernae diei est scopus et simul princeps gaendae animae adjumentum. Quapropter cum summo ne exhorruerimus malitiam culpae ab Angelis et Adamo missae; nunc perpendemus malignitatem scelerum a nobis ratorum; quam qui rite apprehenderit, *dolebit, ut doleri et in morte primogeniti*<sup>1)</sup>, *et horror magnus invadet*<sup>2)</sup>, simulque disponetur ad acquirendam sui ipsius mitigationem, quae odii ac demissionis sui fertilis mater est.

Ubi tamen notandum, lapsus nostros non singillatim ac incte, sed solum generatim ac confuse et quidem breviter taxat ac obiter in memoriam revocandos esse; cum hic fiat examen pro confessione, sed tantum meditatio de eorum perversitate, quae ex triplici potissimum capite rimis est: 1. ob *offensae* foeditatem ac multitudinem, 2. ob *offendentis* vilitatem et ingratitude, 3. ob *offensae* clementiam ac clementiam, quae omnia punctorum membra hac ipsa de peccatis meditatione S. Ignatius expendenda ponit, ut 1. *peccatorum malitiam*, 2. *eorum foeditatem*, 3. *nostramque abjectionem ac vilitatem agnoscamus, et ex animo sentiamus, vereque detestemur cum dolore et satisfactione convenienti*<sup>3)</sup>; ita ut merito dicat

1) Zach. 12, 10.

2) Gen. 15, 12.

3) Direct. c. 11. n. 2 et 3.

P. Gaudier hanc exercitationem *continere omnia prorsus et motiva, quae excogitari possunt ad detestanda peccata*<sup>1)</sup>.

### Notandum.

„Qui meditationibus de peccatis et inferno non biduum, sed unum solummodo diem impendere statuunt, ii omisso sequentis meditationis puncto primo, (quod alio tempore v. g. illo, qui praeparationi ad eam destinatur, quadrante legi poterit), non nisi secundum et tertium expendant; siquidem exercitatio tota justo longior fuerit visa.“

---

## MEDITATIO II.

### DE PECCATIS PROPRIIS.

#### Punctum I.

Immanis est divinae offensae malitia et gravitas ob ejus foeditatem ac multitudinem. 1. Inprimis *foeditas* vel unius gravis piaculi est tanta, ut illam Pulchritudo divina omni sua infinitate, perenni odio nunquam non idque necessario aversetur, abhorreat et excretur tanquam malum sibi suoque omni bono contrarium ac indelebili repugnantia oppositum. 2. Est tanta, ut ea nullo Noemi diluvio, nullo totius orbis sub finem mundi incendio, nullo hostiarum fusoque martyrum cruore, sed divino solum sanguine pro merito seu condigne ablui queat ac deleri. 3. Est tanta, ut si per hypothesin impossibilem unica lethalis culpa Augustissimam Dei Matrem casu inficeret, illico ea amisso omni gloriae splendore in deterrimam visuque horribilem formam mutaretur. 4. Auctore S. Thoma<sup>2)</sup> lethaliter peccando omnimode avertimur a Deo; sicut ergo omnimoda

---

<sup>1)</sup> Introd. ad perfect. p. 183. ad secundum exercitium de peccatis.

<sup>2)</sup> 2. 2. q. 162. a. 6. in corp., ubi ait: *Aversio a bono incommutabili, nempe Deo, est ratio formalis et completiva peccati.*



aversio a summo bono, a summa sapientia, a summa dignitate summa malignitas, summa insipientia et abjectio est, ita quoque aversio a summa pulchritudine summa deformitas est. Talis aversio cum crimen lethiferum sit, illud quoque turpissimum esse et quidem cum immenso excessu, evidens est. Imo sicut malitia ejus, ita et turpitudine ejus secundum quid infinita est<sup>1)</sup>; ut proin illa nullo intellectu humano comprehendi, nulla lingua aut calamo sat exprimi queat.

Et tamen, o miser! foeda adeo labe hacque avernali fuligine impressam animae tuae Conditoris imaginem inquinare, polluere et maculare non dubitasti; idque toties, *numerum* earundem praesertim venialium (nam et ista ex mente Patrum maculae, sordes, pustulae et scabies sunt)<sup>2)</sup> *super arenam maris multiplicando*<sup>3)</sup>. O Superi! si unica rebellis cogitatio Luciferum ejusque asseclas, illa pulchritudinis portenta, deformes adeo et abominandos reddidit, qualis ego divinis oculis apparebo post centena sine remorsu, per risum, ex pura puta improbitate ipso etiam opere *perpetrata flagitia*?

2. Enimvero turpiorem me daemone esse multiplex scelerum *cumulus* probat. O Scrutans corda et renes Deus, in cujus oculis non est quicquam absconditum! ah! etiam ego cum Antiocho tristi gemitu *reminiscor malorum, quae feci per vitae cursum*<sup>4)</sup>. Heu! tres animae facultates, quae debuissent esse vivum divinae praesentiae speculum, jure Trinitatis templum, aureum Divinitatis sacrarium, fuerunt Lerna malorum, sentina foeditatum, *abominatio desolationis, stans in loco sancto*<sup>5)</sup>.

---

<sup>1)</sup> „Peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate divinae majestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.“ S. Thom. p. 3. q. 1. a. 2. ad 2.

<sup>2)</sup> Basil. in cap. 4. Isa. Caesar. Arelat. hom. 8. Bern. serm. de triplici custodia.

<sup>3)</sup> Psalm. 138, 18. — <sup>4)</sup> 1. Mach. 6, 12. — <sup>5)</sup> Matth. 24, 15.

Phantasia erat receptaculum vanissimarum imaginum, intellectus stabulum pepimarum cogitationum, voluntas officina omnis nequitiae. Quinque corporis sensus erant, quinque omnis uliginis fontes, omnis malitiae instrumenta, patentes vitiis portae. Omnis annorum series non est nisi contexta ex erroribus et piaculis catena. Actiones quotidianae non sunt nisi verminans acervus variorum defectuum et nozarum. Ah! tantillus adhuc puer jam eram tantus peccator; adolescenti malignitas cum membris crevit; juvenus (vah! meminisse pudet!) frequens erat veneris mancipatus; aetas virilis indomitarum motionum est pila; senectus fors erit inveteratus corruptae naturae dominatus, uno verbo: mea omnis vita non est nisi peccans peccatum. O ergo *quis dabit oculis meis fontem lacrimarum*<sup>1)</sup>, *queis defleam erratorum multitudinem!* quis menti horrorem, quo execrer eorum *foeditatem!*

*O Deus meus! confundor, et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meae multiplicatae sunt super caput meum, et delicta mea creverunt usque ad coelum*<sup>2)</sup>. *Non sum dignus intueri et aspicere altitudinem coeli prae multitudine et turpitudine iniquitatum mearum; quoniam peccavi super numerum arenae maris*<sup>3)</sup>; quoniam factus sum in oculis tuis *ut abortivum, quod penitus devoratum est a lepra peccati*<sup>4)</sup>. *Mundus totus in maligno positus est*<sup>5)</sup>.

#### Punctum II.

Horrendum praeterea crescit offensae gravitas ex vilitate et ingratitude *offendentis*. 1. Summa est hominis *vilitas* ob ejus nihilum in essendo, ob impotentiam in operando, ob ejus putredinem et corruptionem in desinendo, ob miserias corporis et malitiam animae, ob ignorantiam

---

<sup>1)</sup> Jerem. 9, 1. — <sup>2)</sup> 1. Esdrae 9, 6. — <sup>3)</sup> In orat. Manass. — <sup>4)</sup> Num. 12, 12. — <sup>5)</sup> 1. Joh. 5, 19.

intellectus et perversitatem voluntatis. Nihil est peccator aequiparatus cunctis simul hominibus, nihil sunt omnes simul homines collati uni angelo, nihil omnes simul angeli compositi Deo; quid ergo tu jam eris comparatus divinae Majestati?

Et tamen, contremiscant columnae caeli! et tamen hic pugillus cineris, sordium hoc coagulum, hic saccus stercoreum, qui ipso luto, pulvere et nihilo quid minus et foedius est, *hic tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Hic cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est*<sup>1)</sup>, dicendo cum Pharaone: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus? nescio Dominum*<sup>2)</sup>. Hic tam vilis, sordens et turpis vermiculus *ausus est projicere Deum post corpus suum*<sup>3)</sup>; (o sidera! refugo cursu occultite radios!) Deum... et quidem post corpus,... hujus infrunitam libidinem illius sanctissimae voluntati praeponendo. O Angeli! quid hic magis admiramini? num proterviam hominis suo Creatori tam petulanter insultantis? an vero patientiam Numinis tale monstrum tam benigne tolerantis?

2. Huic vilitati socia *ingratitude* immane pondus addit. Deus tibi, o peccator! contulit *beneficia* numero plurima, utilitate maxima, pretio infinita, quae ob majestatem donantis, ob magnitudinem doni, ob vilitatem donatarii, inaestimabilia sunt. Et haec beneficia Deus tibi contulit *modo* singulari, nempe amore *aeterno*, non citius *semet* quam te amando, eoque *infinito*, videlicet eo ipso, quo seipsum diligit, mereque *gratuito*, sine ulla indigentia proprio commodo.

Et haec tanta beneficia tanto cum amore contulit Deus... (o magnum nomen! ille sibi soli sufficiens, se solo immensum beatus ac neminis indigens Deus;... et quidem *tibi*, rebeli mancipio, tibi contulit, qui non es *nisi gutta roris*

<sup>1)</sup> Job. 15, 25 et 26. — <sup>2)</sup> Exod. 5, 2. — <sup>3)</sup> Ezech. 23, 35.

*antelucani*<sup>1)</sup>): *folium, quod vento rapitur*<sup>2)</sup>): *vapor ad modicum parens*<sup>3)</sup>), et ex meris vitis ac miseriis concretum nihil; tibi, inquam, sine ullo tuo merito, etiam praevisis tot tuis delictis, et quidem prae tot aliis te melioribus, eique ferventius servituris.

Et tamen, *obstupescite caeli super hoc, et portas ejus desolamini vehementer*<sup>4)</sup>! et tamen ausus es, o ingrate! hunc ipsum Dominum summumque Benefactorem tuum bruta ingratitude lacessere, *confringere jugum ejus, rumpere vincula ejus et dicere: Non serviam*<sup>5)</sup>), ipsis ejus donis (proh! petulantiam immanem!) collatisque muneribus abutendo ad peccandum; corporis sensus, animi talenta, naturae dotes, praesertim valetudinem ad eum impudentius irritandum adhibendo. Heu! prae facti horrore attoniti stupent artus, ac elinguis haeret vox.

O Domine! ingrator sum omnibus bestiis, a quibus saltem non offenderis; ingrator omnibus Turcis et Indis, quibus tot, quot mihi beneficia non contulisti: ingrator ipsis daemonibus, pro quibus Filium tuum in lytrum non dedisti. Fateor, *ingratitude* haec mea, juncta *vilitati* meae, immensum auget peccati gravitatem. Sed serio dolentis miserere!... parce meliora spondenti.

### Punctum III.

Summa denique offensae gravitas est ob *offensi* majestatem et clementiam. I. Ad ejus *majestatem* quod attinet, ei comprehendendae nec intellectus Cherubinorum par est; hanc solum velata alis facie eandem prostrati adorant. Nec mirum; est enim *Rex potens et metuendus nimis*<sup>6)</sup>): *sedens in solio Dominus, cui omnis exercitus coeli a dextris et a sinistris assistit*<sup>7)</sup>): *sub quo curvantur, qui portant orbem*<sup>8)</sup>); *qui appendit tribus digitis molem*

<sup>1)</sup> Sap. 11, 23. — <sup>2)</sup> Job. 13, 25. — <sup>3)</sup> Jacob. 4, 15. — <sup>4)</sup> Jerem. 2, 12. — <sup>5)</sup> Jerem. 2, 20. — <sup>6)</sup> Eccli. 1, 8. — <sup>7)</sup> 2. Paral. 18, 18. — <sup>8)</sup> Job. 9, 13.

terrae, et in cujus manu anima omnis viventis est<sup>1)</sup>. Et hanc tremendam adeo Majestatem ausus es irritare vilis pulvisculus, levi flatu dispergens<sup>2)</sup>.

O factum immane! perpende, quaeso, quem puter lumbricus laccessiveris? En! *fortis robore est*<sup>3)</sup>: poterat quo peccasti momento te *perdere in gehennam*<sup>4)</sup>. *Sapiens corde est*<sup>5)</sup>; omnituenti oculo illud te facinus patrantem coram praesens conspexit. *Sanctus est*<sup>6)</sup> imo *magnificus in sanctitate*<sup>7)</sup>: *mundi sunt oculi ejus, et respicere ad iniquitatem non possunt*<sup>8)</sup>. Nausea, quam de illo scelere tuo concepit, major est omni gaudio, quod ex omnium Beatorum heroicis actibus haurit. Et tamen purissimos obtatus pone adstantis, omnipotentis sanctissimique Judicis stygia noxarum mephiti contaminare es ausus, haecque credens es ausus.

2. Et quidem illo ipso tempore es ausus, quo infinita ejus *Clementia* cohibuit fulmina, ne vindici tonitru te ferirent: continuit bestias, ne ultrici te rictu deglutirent: constrinxit daemones, ne in frustra discerptum tartaro te manciparent. Jam stabat armata *omnis creatura ad ultionem*<sup>9)</sup> de te sumendam, et inhibuit: vox criminum tuorum clamans de terra vindictam de caelo jugi rugitu posebat, et pepercit, *dissimulans peccata tua propter poenitentiam*<sup>10)</sup>. Insuper *custodivit te quasi pupillam oculi sui, atque portavit in humeris suis*<sup>11)</sup>, et in sinu suo, sicut *portare solet nutrix infantulum suum*<sup>12)</sup>. Quin imo etiam te dilexit, non quidem amore amicitiae, quo solum justos complectitur, sed tamen beneficentiae, *qua solem suum oriri facit super bonos et malos*<sup>13)</sup>, *semper memor tui*<sup>14)</sup>, *ut beneficeret tibi*<sup>15)</sup>. Edic jam, an non horrenda ma-

1) Isa. 40, 12. — 2) Bern. serm. 16. in Cant. — 3) Job. 9, 4. —

4) Matth. 10, 28. — 5) Job. 9, 4. — 6) Josue 24, 19. — 7) Exod. 15, 11. — 8) Habac. 1, 13. — 9) Sap. 5, 18. — 10) Sap. 11, 24. —

11) Deut. 32, 10 et 11. — 12) Num. 11, 12. — 13) Matth. 5, 45. —

14) Psalm. 113, 12. — 15) Zach. 8, 15.

lita offensae sit ob hanc ipsam *offensi* Numinis *Majestatem et Clementiam*?

### **Affectus.**

1. *Actus doloris.* O Domine! ego te offendi! ego... te... foedissimum nihil pulcherrimum Esse, vilis vermiculus supremum Monarcham, servus Dominum, creatura Creatorem, homo Deum; et quidem talem tantumque Deum ... post tot beneficia ... per tam immanem contemptum brutamque ingratitude;... idque propter nihil, ob leve lucrum, turpem gustum spurcamque voluptatem, cujus vel meminisse pudet: ... ex mera petulantia et malitia: nullo tyranno cogente, nemine minis impellente, ... et quidem te, o Sanctissimum Numen! te praesentem, te videntem, et hinc orcum minantem, inde caelum promittentem, ... eo ipso tempore, quo paterna tua mihi continuo benefaciendi propensio summas in me gratias contulit, quo tanquam filium infinito cum amore sinui tuo insertum me fovisti; ... idque toties, ... accumulatis in montes peccatis, ... post concessam toties veniam ... Ah; pudet me mei! poenitet... doleo ... o utinam prae doloris vehementia pectus mihi medium diffinderetur!

2. *Actus propositi.* Sed nullum, Domine! nullum amplius peccatum. In conspectu totius Curiae caelestis coram divina tua Majestate firmissime statuo, ac tota virtute liberi mei arbitrii plenissimo deliberatissimoque consensu propono, et palam declaro, me millies malle omnium bonorum et honorum jacturam facere, ac inter acerbissimos cruciatus atque tormenta mori, quam te deinceps etiam veniali peccato praesertim hoc N. aut illo N. offendere. Adhaereat lingua mea faucibus meis, excaecentur oculi, exarescant manus, obsurdescant aures, totum denique corpus contabescat potius, quam me permittas illis rursus in tui offensam abuti.

3. *Actus humilitatis.* Heu! *confusio faciei meae*

cooperit me<sup>1)</sup>). Mea omnis anima non est nisi *vulnus et livor et plaga tumens: a planta pedis usque ad verticem non est in eu sanitas*<sup>2)</sup>). Vere *abominabilis et inutilis sum homo, quoniam bibi quasi aquam iniquitatem*<sup>3)</sup>; *quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum*<sup>4)</sup>, *et multiplicatae sunt super capillos capitis mei*<sup>5)</sup>). **O Maledicta superbia! a qua initium sumpsit omnis perditio mea**<sup>6)</sup>, toto animi conatu abominor, horreo et execror te tanquam stygium tot malorum fontem. Nihil amplius cogitabo, agam aut loquar, quod mentis elationem sapiat. Vos o contemptus, injuriae et opprobria facto agmine in me quasi in metam irruite, in me convertite tela, illatum Deo despectum ultura.

4. *Actus odii sui ipsius.* O detestandum cuticulae amorem! tu arma mihi, queis Numen lacesserem, suppeditasti, tu causa tot scelerum extitisti; at nunc vindictam de te ipse ego, nunc ultor, sumam. Lata est sententia: *Destruatur corpus peccati*<sup>7)</sup>). Age proin o anima! generosos in ausus, pias in iras etiam tu cum Bernardo exardesce, et cum eodem sancte tibi ipsi succensens exclama: *Exurgat Deus, pereat caro, conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui: reus est mortis: crucifigatur.* Posthac nec cuticulae amor, nec opum et eminentiae cupiditas a proposito heri mentis aequilibrio tuoque servitio, tanquam meo fine ultimo me abstrahet abducetque.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi. Lib. I. Cap. 22 et Cap. 6.

---

1) Psalm. 43, 16. — 2) Isa. 1, 6. — 3) Job. 15, 16. — 4) Psalm. 37, 5. — 5) Psalm. 39, 13. — 6) Tob. 4, 14. — 7) Rom. 6, 6.

---

## CONSIDERATIO

## DE TRIPLICI PECCATORUM RADICE.

Non sufficit, intenso dolore ac horrore peccatum exhorruisse, haec execratio ad ipsam quoque eorum radicem est extendenda; secus anima non rite purgabitur, vitiorum fons non obstruetur, aureum, quod intenditur, aequilibrium non obtinebitur, nec ad ultimum finem recto tramite tendetur. Et hinc superius in lectione spirituali §. 1. n. 3. cogitate dixi, dolorem et horrorem de admissis criminibus hodie vehementius concipiendum eliciendumque, talem esse oportere, qui ipsam simul noxarum scaturiginem detestetur; hujus enim execratio alter est colligendus hoc die fructus.

Infelix autem hoc germen potissimum triplex est juxta illud Apostoli: *Omne quod est in mundo, concupiscentiae carnis est, et concupiscentiae oculorum et superbia vitae*<sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> 1. Joan. 2, 16. Hic obiter admoneo ex La Croix lib. V. Theol. moral. dub. II. cap. 16. Nr. 67 et seqq. Concupiscentiam plures significationes habere. Significat enim animae facultatem appetendi naturalem, tum ejus facultatis actum; ita v. g. Sap. 6, 12. actualem boni appetitum: dein potentiam bonorum sensibilibus appetitivam, de qua S. Thom. 1. 2. q. 30. a. 1. c.; et quatenus ea ferimur contra rectam rationem, ea solummodo est mala, sed nondum vere et proprie dictum peccatum, nisi voluntatis assensionem adjunctam habet. De hac concupiscentia seu potius concupiscentiae rebellione solum hic est sermo, quam in hoc naturae lapsae statu cum cl. P. J. Perrone S. J. Praelect. Vol. III. Part. III. Cap. IV. §. 465. et 473. *poenam et effectum peccati originalis* vocamus. Sic autem sumpta significat, ut Scholae loquuntur, potentiam seu actum primum, diciturque *fomes peccati*. Cfr. Concil. Trident. Sess. V. in decret. de peccat. orig. n. 5. et est inclinatio radicalis ad bonum delectabile contra rationem. Peccatum ea ab Apostolo aliquando v. g. Rom. 6. 7. et 8. dicitur non vere et proprie, sed quia ex peccato est, et in peccatum inclinatur; repugnantibus divina cum gratia et non consentientibus est meriti occasio: *sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*. Genes. 4, 7. Invitare enim concupiscentia nos potest ad peccatum, ast cogere non potest. In actu secundo autem, ut Scholae loquuntur, adjunctam habens voluntatis assensionem, in vitiiis semper est numeranda. Cfr. Catechism. Rom. Cap. X. q. V — X. Part. III.



Nempe 1. excellendi cupiditas seu *superbia*: 2. blandimentorum aviditas seu *sensualitas* inordinata. 3. Divitiarum cupiditas seu *avaritia*. Inde enim omnia plerumque errata tum lethalia tum venialia, quibus conscientiam foedamus, focundo semine protuberant. Testante enim sacro Codice, *a superbia initium sumpsit omnis perditio*<sup>1)</sup>; et suffragante S. Thoma, *ab ea incipit ratio omnis mali*<sup>2)</sup>. Idem de voluptatum appetentia dicendum esse, de qua Apostolus: *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*<sup>3)</sup>, tum S. Ambrosius, tum ipsa rei natura sociaque experientia docet. Cum enim ea, ut declarat S. Aquinas, sit appetitus rei delectabilis secundum sensum, id est, talis delectationis, quam anima mediante organo corporeo percipit v. g. per visum, gustum, tactum etc. sequitur, eam omnium, quae a sensibus committuntur, errorum spurcam originem esse<sup>4)</sup>. Avaritia quam Apostolus *idolorum et simulacrorum servitutem* nominat<sup>5)</sup>, et quae est *radix omnium malorum*<sup>6)</sup>, interprete Doctore Angelico<sup>7)</sup>, inordinate bonis terrestribus inhiat, praesertim opibus, *irritamentis malorum*<sup>8)</sup>; *et crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*<sup>9)</sup>. — Terrestria haec bona tum ambitioni inserviunt, tum commodant carni; *et pecuniae obediunt omnia*<sup>10)</sup>. Porro contra triplicem hunc morbum consideratio effectuum, quos parit peccatum, multiplex suppeditat pharmacum.

I. Primum cujusque mali antidotum est serio expensa ac intime inspecta *foeditas animae* ejusmodi naevis infectae. Hujus enim accurata inspectio non potest non animum sui odio ac contemptu complere. Quanta autem illa quamque enormis sit, in meditationis secundae puncto primo rudi

---

1) Tob. 4, 14. — 2) 1. 2. q. 84. a. 2. c. — 3) Jacob. 1, 14. — 4) 1. 2. q. 30. a. 1. c. Cfr. Apost. Gal. 5, 17; et ibid. 19—21 opera Carnis enumerat. — 5) Coloss. 3, 5. Ephes. 5, 5. — 6) 1. Tim. 6, 10. — 7) 1. 2. q. 84. a. 1. — 8) Ovid. Metam. lib. I, 140. — 9) Juvenal. Sat. 14. — 10) Eccl. 10, 19.

calamo obiter perstrinxi. At frustra hanc operam sumpsi; genuinus enim ejusmodi conceptus humanas vires excedit.

Conjice in cumulum omnes omnium morborum abominations, latrinarum foetores, carcerum sordes, cadaverum putredines; collige in acervum omnes putidas totius universi labes, ulcera, sanies et gangraenas; accumula, quidquid virulentum, terribile et horrificum bufones, colubri et dracones nutriunt et eructant. His adde, quidquid purulentum, horrens et tabificum a condito orbe abortiens natura unquam protulit, quidquid foedum, pestiferum et atrox orci spectra possident. Uno verbo: in unum aggestum congere, quidquid detestabile, abominandum et execrabile per omnem, qua late patet, mundum in reconditis terrae cryptis, rupium antris atque oceani abyssis reperire est; et en! omnia ista nec umbra sunt, imo nihil sunt collata illi horriffcae turpitudini, qua anima, vel unico tali piculo vitiata, livescit, sordet, squalet.

Unicum, licet momentaneum ac sola cogitatione patratum, crimen Luciferum, summae pulchritudinis angelum, in adeo turpem e vestigio deformavit diabolum, ut solus ejusdem aspectus sit unum ex maximis damnatorum tormentis; ita ut merito Sanctarum quaequam maluerit nudis pedibus ignitis carbonibus ad extremum usque judicii diem inambulare, quam iterato daemonem etiam furtivo tantum obtutu obiter contueri.

Jam vero si tantam tamque abominandam deformationem affert unicum non nisi momento, solo cogitatu commissum scelus, illamque affert Angelorum pulcherrimo, heu! quantum conscientiae tuae, o peccator, quamque execrandam foeditatem inducent tot tamque varia delicta, tot cogitationes, verba et opera tum graviter tum leviter mala, tot omissiones flagitiosae, tot errata occulta et aliena, quibus mentem conspurcasti. O quam foedum erit monstrum in oculis Dei anima tua tot millibus noxarum, quasi totidem pestiferis sanie et tabo liventibus maculis ac ulceribus deturpata!

Hic jam subsiste, et quod verbis exprimere nequeo, cogitatione saltem tu assequi stude . . . Proh sordium horrendam abyssum! cujus profunditas omnem non solum oculi, sed etiam intellectus humani aciem fugit, utpote quae tanta est, ut si nulli in inferis diaboli degerent, si nulli ibidem rogi arderent, omnesque alii cruciatus inde exularent, solus tui aspectus (vah, cohorresce!) immanem tartarum constitueret; adeo deformis ac horribilis es. Ac proin etiam, quod exinde nexu legitimo sequitur, *contemptibilis tu es valde*. Et tamen *superbia cordis tui extulit te*<sup>1)</sup>? tu orci lutum honorari, laudari, aliisque praeferrari ambis? tu daemonis ectypum spectrum vituperari, negligi sociisque postponi horres? Enimvero *superbus es valde*<sup>2)</sup>, nisi haec tibi demissionem instillent persuadeantque.

Ex his patet, quam potens arrogantiam suique amorem et divitiarum cupiditatem execrandi incitamentum sit vel unicum olim admissum praesertim lethale flagitium<sup>3)</sup>; quamque efficax superbiae, sensualitatis et avaritiae antidotum sit penitus inspecta peccatricis animae foeditas. Sicut enim centoculo syrmate superbiens pavo, dum demisso lumine nigros eosque deformes sibi pedes conspicit, mox elatas in altum cristas demittit; pari fato etiam arrogans, dum mentis suae deformitatem contemplabitur, mox turgidos spiritus humili flexu ponet. Quin insuper sancta indignatione suam carnem aversabitur, utpote funestam tantae turpitudinis causam.

Neque dicas, contractas a te labes sacra exomologesi jam esse deletas; nam imprimis de hoc ex parte tua non omnimode *certus es, cum nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*<sup>4)</sup>. Scis te peccasse; num rite poenitentiam egeris, forte ignoras; imo de hoc prudenter dubitandi

---

<sup>1)</sup> Abdias 2 et 3. — <sup>2)</sup> Isa. 16, 6. — <sup>3)</sup> „Ad humilitatem pertinet, ut homo defectus proprios considerans, seipsum non extollat.“ S. Thom. 2. 2. q. 35. a. 1. ad 3. — <sup>4)</sup> Eccl. 9. 1.

fors non una conscientiam cruciat ratio. *Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*<sup>1)</sup>. Apposite S. Gregorius: *Sciendum vero est, inquit, quod viri Sancti ita incerti sunt, ut confidant, atque ita confidunt, ut tamen ex securitate non torpeant*<sup>2)</sup>. Sed demus, cordis contriti lacrimis omnia plene expuncta fuisse; demus te de hoc *conjecturalem* habere certitudinem, tamen (quod speciatim notandum) saltem pro illo temporis puncto, quo deliquisti, saltem ut compositus cum illo horae momento, quo illas graviore culpas admisisti, semper eris contemptibilis valde. Licet nunc virtutibus emineres, sanctitate super ceteros excelleres, charitate Dei Seraphinos superares; tamen ut conjunctus cum illo vitae spatio, quo legem Conditoris violasti, semper oppido es contemnendus<sup>3)</sup>.

Et hoc est magnum illud motivum, quod maximos etiam Sanctos perpetuo sui odio et jugi demissione complevit, ac in nihili sui abyssum dejectos, ultricibus iris in semetipsos

---

1) Concil. Trident. Sess. VI. cap. 9.; eadem ferme cap. 16. ibidem repetuntur. — 2) Lib. IX. moral. cap. 18. — 3) „Absque falsitate, inquit S. Thomas. 2. 2. q. 161. a. 6. ad 1., potest aliquis se credere et pronuntiare omnibus villiorem secundum defectus occultos, quos in se recognoscit, et dona Dei, quae in aliis latent. Unde S. August. dicit lib. de Virgin. cap. 52: Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Similiter etiam absque falsitate potest aliquis confiteri et credere ad omnia se inutilem esse et indignum per proprias vires, ut sufficientiam suam totum in Deum referat, secundum illud 2. Corinth. 3, 5. Non, quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.“ — „Quantalibet justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum.“ S. August. lib. de perfect. justit. cap. XV. n. 33. — Unde regius vates: „*Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.*“ Psalm. 118, 120.

armavit. Et hoc illud adeo magnum electionis Vas impulit, se *peccatorum primum* appellare<sup>1)</sup>, et de se profiteri: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum*<sup>2)</sup>. Hoc vati regio lacrimas expressit continuas, *quibus rigaret stratum suum*<sup>3)</sup> et erumperet in flebiles preces: *Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris*<sup>4)</sup>. Nec immerito; nam quod vile est, vilipendimus: quod turpe est, aversamur, ac odimus. Utrumque ergo cum ob peccatum simus, et quidem in gradu tam eminenti simus, abunde liquet, *animae peccatricis foeditatem* potentissimum esse deprimendi se corpusque castigandi incitamentum.

II. Alterum pellendo mentis tumori ac frenandae illecebrarum divitiarumque cupiditati grande remedium est frequentans *memoria tartari* a nobis promeriti. Nam peccasti, o infelix! peccasti, id rea tibi exprobrat conscientia; ac forte saepius . . . et quidem graviter peccasti. Proin oreum es meritus, aeterna tibi debentur supplicia, infernus domus tua est; id docet fides. Plures jam ardent in illis avernibus rogis, et ardebunt aeternum, fors minus rei ac tu. Ergo et te utpote magis reum in illo flammanti ergastulo pari fato cruciari oporteret.

Jam sic: ille, qui meretur tartareos ignes, etiam meretur omnem possibilem in hoc mundo *contemptum et dolorem*. Qui enim promeretur illud tormenti genus, quod atrocius est; multo magis commeretur etiam illud, quod minus ac lenius est. Ergo cum poena inferorum eminenter superet omnem etiam supremum maximi in hac vita despiciatus ac cruciamenti gradum; evidens est, tibi quoque eundem hunc gradum fortiori ex titulo deberi.

Proin delinquendo contemptibilior et castigabilior factus es, quam per omnem in *hoc orbe* possibilem despectum et cruciatum contemni ac castigari possis; adeoque nullus

---

<sup>1)</sup> 1. Timoth. 1, 15. — <sup>2)</sup> 1. Corinth. 4, 4. — <sup>3)</sup> Psalm. 6, 7. — <sup>4)</sup> Psalm. 24, 7 et 18.

irrogatus tibi in hoc mundo contemptus, nulla tibi inflicta hic castigatio delicti tui meritum unquam adaequabit; cum semper verum sit dicere, ob legis divinae transgressionem semper plures adhuc et majores te mereri contempiones et multas, nempe avernales. Ergo quantumcunque te abjicias et vilipendas, quantumcunque voluntaria afflictatione in tuum corpus saevias illudque excrucies; semper tamen minus adhuc despicias te ac punies, quam unicam tale piaculum mereatur.

Haec audis, et tamen superbis? haec credis, et tamen adhuc carnem foves? carnem, inquam, *illud libidinum volutabrum diversoriumque vitiorum*<sup>1)</sup>? Haec tibi persuasa sunt, et tamen opibus inhias, *quae mergunt homines in interitum et perditionem*<sup>2)</sup>? *Quid prodest tibi, si mundum universum lucreis, animae vero tuae detrimentum patiaris*<sup>3)</sup>? *O terra et cinis, qui animam habes venalem*<sup>4)</sup>, *qui thesaurizas et ignoras, cui congreges ea*<sup>5)</sup>. O Sordide peccator! licet meta fores omnium injuriarum et opprobriorum, omnium calamitatum et morborum, licet in te non aliter ac suum in centrum confluerent omnes abjectiones et cruciatus, tamen adhuc infra meritum habereris. Haec scis, et tamen ob exigui despectus aut molestiae umbram mox tristaris, quereris atque indignaris? Abominandum stygis mancipium cum sis, jam jam deberes esse aeternum orci ludibrium, sempiterna pati supplicia te oporteret. Horum loco Numinis bonitas non nisi levem contemptum tibi, ac modicum duntaxat immittit dolorem; et tu rei impatiens lamentaris, expostulas atque excandescis. Quin imo etiam altum sapis, et cuticulam blandiendi conniventia mulces, quae haec protervia! Enimvero sola hujus impudentiae adumbratio cuiuslibet sanae mentis indignationem moveat atque horrorem, necesse est. O in-

---

<sup>1)</sup> Ambros. l. 7. in cap. 12. Luc. — <sup>2)</sup> 1. Tim. 6, 9. — <sup>3)</sup> Matth. 16, 26. — <sup>4)</sup> Eccli. 10, 9 et 10. — <sup>5)</sup> Psalm. 38, 7.

ferne! o quam potens es infra etiam ipsas abyssos sese abjiciendi, et voluntaria castigatione acriter plectendi motivum! *Si gehennam semper cogitemus*, inquit S. Joan. Chrysost., *non cito in eam incidemus . . . Nullus ex iis, qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam; nullus ex iis, qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam<sup>1)</sup>*. O regio dura et gravis, ingemiscit S. Bern., regio extimescenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Locus letifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, foetor intolerabilis, mallei percutientes, tenebrae palpabiles, confusio peccatorum. Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, et concussa sunt omnia ossa mea<sup>2)</sup>.

III. Tertium incitamentum est summa nostra ad peccandum pronitas. Nam, quisquis haec legis, etiamnum graviter labi, et lethali te noxa obstringere potes. Ita est, o miser, quamdiu hac aura frueris, etiamnum delinquere, et quidem lethaliter delinquere potes. Etiamsi stupenda patrares miracula, etiamsi virtutum perfectione Augustissimam caeli Reginam aequares, etiamsi cum Paulo tertium in caelum raptus, sublimissima contemplatione maxime arcana audires verba, et abdita Divinitatis introspiceres mysteria; hoc tamen non obstante, potes quovis momento, subtrahente ampliolem gratiam Numine, potes (ah contremisce!) potes mortifera labe foedari. Et sane, cum metu et tremore salutem vestram operamini<sup>3)</sup>. Si non in timore Domini tenueris te instanter, periculum fugiendo, occasionem evitando, malas cogitationes statim a te abjiciendo teque adversus teutationem praemuniendo, cito subvertetur Domus tua<sup>4)</sup>.

Vidimus, ait S. Augustin., multos et audivimus a Pa-

---

<sup>1)</sup> S. J. Chrysost. Hom. 2. in 1. Thessal. — <sup>2)</sup> S. Bern. Serm. de quinque Regionibus. — <sup>3)</sup> Philipp. 2, 12. — <sup>4)</sup> Eccli. 27, 4.

*tribus nostris (quod sine magno timore non recolo), ascendisse primitus usque ad oaelos, et inter sidera nidum suum collocasse; postmodum autem recidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse: vidimus stellas de coelo cecidisse ab impetu ferientis cauda draconis, et eos, qui jacebant in pulvere terrae, a facie sublevantis manus tuae, Domine, mirabiliter ascendisse<sup>1)</sup>. Ille miles ex numero quadraginta Martyrum, quorum Ecclesia festum decima Martii celebrare consuevit, diu cum sociis in obducto glacie lacu martyrium sustinuit, et tamen postea moribundus sacra ejuravit et periit. Illi duo in Japponia Sacerdotes, postquam triennem illum et orci vix non aemulum carcerem cum Carolo Spinola constantes exantlarunt, et per plures jam horas lento igne pro fide assati fuerunt, tamen ab ea paulo post defecerunt, denuoque in ignem coniecti, ut Religionis proditores perierunt, qui ejusdem poenae impendio ut martyres mori poterant. Proin ulula abies, quia ceciderunt cedri<sup>2)</sup>, et vitro te fragiliorem fatere; nam potes etiam tu, heu! potes gravi piaculo contaminari. Nec sanctior Davide es, nec Samsonne fortior, nec Salomone sapientior<sup>3)</sup>.*

Insuper potes, mortalis homo cum sis, illo ipso, quo animam laedis, momento gravi delicto conspurcatus vita excedere, iudicio sisti, et quod consequens est, recta ad inferos praecipitari; id est: potes pro omni aeternitate privari beata visione Dei, excidere ultimo fine tuo et stygiis addici cruciatibus absque termino duraturis. O veritas horrenda! o potens demissionis motivum! peccavi, tartarum meritis sum, etiamnum peccare possum adeoque et aernalibus rogis mancipari<sup>4)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Soliloq. cap. 29. — <sup>2)</sup> Zachar. 11, 2. — <sup>3)</sup> S. Hieronym. ad Nepot. — <sup>4)</sup> Justificationem esse amissibilem et amitti per subsequens peccatum lethale, dogma est Catholicum, sancitum Concil. Trid. Sess. VI. Can. 23. — „Novi, inquit S. August. in Psalm. 44., quia justitia Dei mei manet. Utrum mea maneat, nescio.“



Age jam superbe! age pulvis et cinis, age titio infernalis, et in altum te erige. Post consideratam hanc veritatem aliis te praefer, et orci fumo afflatus de tuis tibi lotibus complacere. O Vane! en! *dilatata infernus animam*<sup>1)</sup>: ejus margini tu pendulus insides, fallente vestigium pede quavis hora praecipiti lapsu illuc ruere vales; et elato tamen supercilio caput nubibus inseris, et, nescio, quem te heroem esse tibi ipsi mendaci palpo fingis. *O peccandi pronitas!* enimvero quem tui meditatio humilem non reddit, is stygios contemptus meretur.

Praeterea si damnatorum aliquis ex tartareo carcere liber emitteretur, illique poenitentiae agenda spatium et copia concederetur, o quibus, quantisque cruciatibus spontaneisque asperitatibus suum corpus is esset castigaturus? tum ne denuo illius blanditiis seductus in illud barathrum leturbaretur, tum ut pro tam immenso favore gratus ac nutuo in Deum amore succensus, Justitiae vindicativae anticipato censu satisfaciendo, laesum tantae Misericordiae honorem aliquo saltem modo repararet.

Quidni ergo etiam tu idem modo facias? Ergone minus beneficium sit, te infernum toties meritum eo non praecipitari, quam illuc aliquando detrusum, inde denuo emitti? Age proin, et *humilia valde spiritum tuum*<sup>2)</sup>; corpus vero castiga eadem omnino ratione, qua id damnatus ex inferis redux esset facturus.

Firmum itaque propositum concipe, deinceps vitandi illa *peccata* etiam venialia, saltem potiora et crassiora, quae hactenus excellentiae, cuticulae et divitiarum amore obnoxium reddidit; et 1. quidem nihil cogitandi, agendi, loquendi, quo vel propria laus et gloria quaeratur, vel alienus honor ex invidentia imminuatur. Ad singularia hic descende. 2. Nil *vitiosum* sensibus permittendi praesertim visui, gustui et tactui. Peculiariora designentur, nec prius

1) Isa. 5, 14. — 2) Eccli. 7, 19.

a tabula manus removeatur, quam concepta animi decreta fuerint scripto annotata; quod pariter de sequenti puncto est intelligendum. Cum ex mente S. P. Ignatii fructus *considerationis peccatorum sit, ut eorum foeditatem detestemur non solum cum dolore, sed etiam cum satisfactione convenienti*<sup>1)</sup>; cumque hunc in finem jubeat, *aliquam addi satisfactionem seu poenitentiam etiam exteriorem, videlicet castigationem aliquam 1. circa victum, 2. circa somni et strati modum, 3. circa ipsam carnem, ut inflictum sentiat dolorem, admotis gestatisque ciliciis, funibus, aut vectibus ferreis, vel incussis verberibus ac plagis, vel aliis austeritatis generibus assumptis*<sup>2)</sup>; haec, inquam, cum is praescribat, singillatim determina, quomodo horum usus non solum durantibus exercitiis, sed iis etiam finitis in praxin deducendus sit.

Triplicem enim valdeque nobilem teste eodem Auctore ejusmodi exterior poenitentia effectum parit. Nam per eam *1. pro delictis praeteritis nonnihil satisfit. 2. Vincit seipsum homo, inferiorem sui partem, quae sensualitas appellatur, superiori, hoc est, rationi subjiciendo. 3. Facilius impetratur illud gratiae divinae donum, quod quaerimus et optamus, puta, intimam cordis contritionem de peccatis et abundantiam lacrimarum, aut dubii alicujus, quod nos angit, resolutionem*<sup>3)</sup>.

Triplicis haec utilitas efficax procul dubio incitamentum est, ejusmodi operum exercitationem sibi familiarem reddendi ac constanti lege frequentandi. Praesertim cum insuper plurimum conducant ad extirpandam triplicem illam vitiorum radicem, cujus execratio considerationis hujus scopus fuit, *superbiae scilicet, sensualitatis et avaritiae, quae praecipua sunt impedimenta, quibus ab aurea illa indifferentia, et quod consequitur, ab ultimo fine nostro abducimur abstrahimurque.*

1) Direct. c. 11. n. 2. — 2) In lib. Exercitat. in additionibus ad finem hebdom. 1. positus, addit. 10. — 3) Ibidem ad finem.

## Notandum.

„Sequens examen status assumendum est tempore lectioni spirituali ad vespereum destinato, vel alias libero et nulli sacrae functioni destinato. Id quod etiam in posterum cum ejusmodi examinibus status observandum erit.“

## EXAMEN

circa defectus ex superbia, sensualitate et avaritia oriundos.

Hodie in geminis meditationibus antemeridianis *peccatorum malitiam* summo animi nisu detestati sumus. In consideratione pomeridiana ulterius progressi, ipsas quoque eorundem *radices* saltem praecipuas, superbiam scilicet, sensualitatem et avaritiam execrati fuimus. Verum cum haec monstra ejus generis hydrae sint, quae denuo varia in capita avernali foecunditate exsurgunt: hinc ut nosmet ipsos melius nosse discamus, praesenti examine haec quoque detectum ibimus, ut eorum virus edocti, illorum scaturiginem eo amplius aversemur.

I. Inprimis igitur Doctore S. Thoma, *superbia*, quae est inordinatus propriae excellentiae appetitus, non solum est peccatum ex genere suo lethale, speciale, omniumque gravissimum; sed insuper est aliorum fons et initium, mater et regina; *cum habeat universalem quandam influentiam in omnia scelera*<sup>1)</sup>, atque reliqua inter vitia principatum quandam, velut draco inter viperas, dominantis fastu obtineat.

Ejus vero filiae potissimum sunt sequentes, nempe vana gloria, ambitio, hypocrisis, ira, invidia, obtrectatio, odium,

<sup>1)</sup> 2. 2. q. 162. a. 2. c. et sequentibus articulis. Item 1. 2. q. 84. a. 2. c.

aliorum contemptio, jactantia, arrogantia, praesumptio, pertinacia, ingratitude, inobedientia, rebellio<sup>1)</sup>. Nam superbia tumentis nihil turgida vane gloriatur, honores ambit, sanctam se simulat, depressa irascitur, sibi praelatis detrahit et invidet, odit suos contemptores, sibi sola sapit, alios spernit, sua superbe jactat, omnia sibi arrogat, cuncta de se audax praesumit. Denique pertinax est, ingrata, inobediens, rebellis. Et haec foecundi hujus vitii orta tartaro progenies est.

Proin temetipsum modo ad conscientiae tribunal evoca, et inquire, 1. num singulas actiones praemissa et continuata intentione bona ad supernum ordinem elevas? an potius inanem per eas gloriam aucuperis? Num te ipsum tuaque opera plus aequo aestimes, in iis tibi stulte complaceas, eadem verbis proprius praeco vane extollas, atque ea etiam ab aliis sciri, suspici ac palam laudari desideres?

2. Examina, num etiam tu *ames primos recubitus, et primas cathedras*<sup>2)</sup>? ac tacito ambitu ac simulata sanctitate presens viri docti aut sancti famam? vel secteris *honorificum* aliquod officium, dignitatem aut eminentiam, talibusque te prae aliis dignum autumes, vel saltem aegre feras, si munia non nisi vilia, loca non nisi incommoda obscuraque tibi obtingant? Num nullis invidiae stimulis animum cruciari sentias, si aemuli ad altiora, te neglecto, efferantur? Irascarisne, si honorem tuum minui, vel laedi eveniat, hujusque rei auctores odio prosequaris, injuriis afficias, vel denigrando deprimere satagas?

3. Indaga, numne etiam tu iis annumerari merearis, qui sibi solis sapiunt, alios contemnunt, sua solummodo jactant? qui summa sibi omnia deberi arroganter putant, solos se magnis rebus gerendis pares judicant, suoque ju-

---

1) Cfr. S. Gregor. lib. 31. moral. cap. 17. n. 31., ubi superbiam *vitiorum reginam et radicem omnium malorum* nominat.

2) Matth. 23, 6.

dicio pertinacius adhaerent? qui beneficiorum ingrante obliti, excusso obedientiae jugo, si non verbis et factis, saltem mente et sensu rebellant? qui cupiunt a communibus oneribus eximi, et tanquam emeriti singularibus privilegiis frui? quique nequiter se humiliant, dum se submittunt, ut eo altius extollantur?

Ex rudi hac tabula colligere poteris, quam altas hoc vitium tua in anima radices egerit, eisque ope examinis particularis stirpitis eradicandis sedulam deinceps operam curamque impende. Ut districtius dicam: *Superbiam nunquam in sensu tuo dominari permittas; ab ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*<sup>1)</sup>.

II. Alterum monstrum, quod nobis in via purgativa versantibus debellandum occurrit, est inordinata sensualitatum ac commodorum appetentia, quae pariter pestis protenso late imperio cordi humano dominari consuevit, et altera nobis pari tyrannide imperans motio est, qua obstructa innumeri pariter vitiorum rivuli sua sponte arescent.

Porro haec *sensualitatum appetentia* alio nomine etiam concupiscentia dicitur, quae secundum Aquinatem<sup>2)</sup> est appetitus rei delectabilis secundum sensum, hoc est, talis delectationis, quam anima mediante organo corporeo percipit, v. g. mediante visu, gustu, tactu etc. Ejus filiae sunt hebetatio, ebrietas, acedia, luxuria, otium, etc.

Igitur te examina, an non etiam tu in cibo et potu gulae nimium indulgeas, remque ingluvie stringas, molliori lecto aut veste vel diuturniori somno cuticulam foveas, carnis illecebras secteris? recreationibus inhies, labores horreas, otio vaces, oculis frena laxes, aliorum commodis ac placidae quieti inideas, tibi eam turbantibus indigneris, amicitias singulares colas, inordinato affectu parentes et propinquos prosequaris? et quae his similia sunt.

<sup>1)</sup> Tob. 4, 14. — <sup>2)</sup> 1. 2. q. 30. a. 1. c.

Itaque indaga, quæ potissimum ex his vitiorum loliis te obnoxium sentias, eisque extirpandis quotidianum pariter examinis particularis sarculum adhibe, memor illius Thomæ a Kempis effati: *Vere nos ipsos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus. Nam quanto amplius tibi ipsi nunc parcis, et carnem sequeris, tanto durius postea lues, et majorem materiam comburendi reservas*<sup>1)</sup>. Proin errata corrige.

III. Superest tertium abominandum portentum in sacra hac spirituali expeditione devincendum, videlicet idolorum servitus seu divitiarum cupiditas. Ea est immoderatus appetitus habendi pecunias aliasve temporales possessiones. Vitium maxime iniquum et sordidum, si eo malitiæ crescit, ut in caducis quis rebus suum ultimum collocet finem, eas Deo anteponat, et ad peritura bona conservanda fere nihil unquam in Dei honorem et proximi sublevamen impendat. Hoc vitium, admonente Apostolo, *ne nominetur quidem in nobis*<sup>2)</sup>. *Avari enim regnum Dei non possidebunt*<sup>3)</sup>. *Vae vobis divitibus, inquit avaris Christus*<sup>4)</sup>, *dives difficile intrabit in regnum caelorum*<sup>5)</sup>: *facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum*<sup>6)</sup>. *Vae, qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis*<sup>7)</sup>. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva*<sup>8)</sup>. *Avaro nihil est scelestius, nihil iniquius*<sup>9)</sup>. Surculi ex hoc vitio teste S. Gregorio<sup>10)</sup> pullulant: *proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, cordis obduratio*; et teste Apostolo: *Avari a fide erraverunt et inseruerunt se doloribus multis*<sup>11)</sup>.

Vitam ergo tuam aequa lance pensites, minutatimque

---

<sup>1)</sup> Thom. a Kemp. de imit. Chr. l. 1. c. 24. n. 3. — <sup>2)</sup> Ephes. 5, 3. — <sup>3)</sup> 1. Corinth. 6, 10. — <sup>4)</sup> Matth. 19, 23. — <sup>5)</sup> Matth. 19, 23. — <sup>6)</sup> Ibid. 24. — <sup>7)</sup> Isai. 5, 8. — <sup>8)</sup> 1. Tim. 6, 9. — <sup>9)</sup> Eccli. 10, 9. — <sup>10)</sup> Lib. 31. moral. cap. 17. n. 31. — <sup>11)</sup> Ibid. 10.

interrogas, num et tu, quod Deus averruncet, *pacem habes in substantiis tuis*<sup>1)</sup>, et sis ille *stultus*<sup>2)</sup>, qui aliis sudat, sibi ipsi pauper. — *Eue! pro modico quaestu laboratur et curritur, et spirituale in oblivionem transit. Quod parum vel nihil prodest, attenditur, et quod summe necessarium est, negligenter praeteritur*<sup>3)</sup>: In posterum meliora!

### Monitum.

„Sequentis meditationis de inferno punctum primum erit percurrendum, antequam eam auspicemur, v. g. sub ipsa ad eandem praeparatione. Quartum vero punctum, si eidem expendendo sub ipsa meditatione tempus non suppetat, eadem finita erit perlegendum. Quibus vero biduum exputandis hodiernae diei materiis consecrare libet, illi prima duo puncta hodie, reliqua cras considerata assumant.“

---

## MEDITATIO III.

### DE INFERNO<sup>4)</sup>.

„Descendant in infernum viventes, ne videlicet descendant morientes.“

S. Bernard.

#### Punctum I.

*Poena corporis.* Damnatus in suis sensibus et membris patietur dolores et poenas, I. *omnes possibiles*, qua-

---

<sup>1)</sup> Eccli. 41, 1. — <sup>2)</sup> Luc. 12, 20. — <sup>3)</sup> De imitatione Christi lib. III. cap. 44. — <sup>4)</sup> Probe scimus equidem, hoc unum de fide esse, dari infernum, seu destinata esse supplicia impiis, et haec fore aeterna seu sine fine duratura; cetera omnia quae spectant sive ad locum, sive ad horum suppliciorum vel poenarum naturam, non ita esse de fide. Nihilominus, cum Cl. P. J. Perrone S. J. Praelectionum vol. III. Part. 3. cap. 6. §. 730 „hic profitemur, nos adhaerere sententiae in Ecclesia communiter receptae circa harum poenarum, quae positivae dicuntur, naturam et qualitatem, quae nempe est de igne materiali

rum capax est, et quidem *unctim*; non solum unam vel alteram, neque praecise eas, quarum notitiam noster intellectus habet: sed omnes omnino *actu* possibiles, atque a nobis excogitandos dolores, et quidem *unctim* simul ac *collectim*. *Omnis dolor irruet super eum*<sup>1)</sup>: omnis! Ad haec quis non cohorrescat? Plura millia diversorum cruciatuum teste Galeno solum caput humanum perpeti potest. Et en! hos omnes eosque *unctim* patietur damnatus. Innumera sunt cruciamenta, quibus oculi et aures, viscera et renes, praecordia, lien, manus et pedes per chiragram, calculum, podagram, volvulum, tormina, equuleos, sartiagines et clibanos aliaque tormentorum genera excruciariqueunt. Et en! haec omnia eaque *unctim* simul et *collectim* patietur damnatus. Concipe animo cuncta omnino supplicia, quae tyrannorum ferocia, tortorum saevities, haereticorum furor, Turcarum crudelitas per omnes mundi plagas ab orbe condito excogitavit, atque in usum deduxit. Et en! haec omnia eaque *unctim* simul et *collectim* patietur damnatus. *Pluet super peccatores laqueos; ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum*<sup>2)</sup>.

2. Et quidem patietur in gradu *intensissimo*, finito tamen ac peccatis congruente, teste S. Thoma<sup>3)</sup>; et mini-

---

et corporeo. Haec enim doctrina certa est, ita ut in dubium *absque temeritate* vocari nequeat.“ Cfr. Patuzzi diss. de sede inferni; et Antoine, tom. III. Part. III. reflex. 3. a pag. 615. edit. Mogunt. 1765. „De utraque, inquit, damni et sensus poena hoc loco paucis disserendi occasionem dederunt *impia* illa dicitia, quae bodie in ore plurimum versantur“; qui scilicet ideo poenas illas credere nolunt, quia non amant eas timere. — Audiatur S. Augustinus lib. 21. de Civitate Dei, cap. 10. „At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulfuris dictum est, *corporeus ignis* erit, et cruciabit corpora damnatorum“ ... et S. Th. suppl. q. 70. a. 3. et q. 97. a. 5 et 6. Accedit, inquit Antoine l. c., fere unanimis sanctorum Patrum consensus.

1) Job. 20, 22. — 2) Psalm. 10, 7. — 3) In supplemento q. 97. a. 1. Consentit Augustinus serm. 109 de tempore, dicens: *Quae quisque gravia patitur, in comparatione aeterni ignis non tantum parva, sed nulla sunt.* Suffragatur Chrysostomus hom. 49. ad pop. Antioch. *Pone ignem, ferrum ac bestias, et si quid his difficius,*



mus doloris stygii gradus major est omnibus martyrum tormentis, morborum cruciatibus, latronum suppliciis simul et collectim sumptis. *Omnia mala, quae veteribus historiis continentur, aut inundatione maris, aut eluvione fluminum, aut pestilentia, morbis, fame, bestiis, hostium vastitate hominibus acciderunt, his suppliciis non poterunt comparari*<sup>1)</sup>).

*Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: tunc infinita patens inferni barathrum decorat, quos nunc inanis elatio exaltat*<sup>2)</sup>). Quam vehemens ergo quamque magnus sit oportet summus inferni cruciamenti gradus? Ah! modicus non raro dentium dolor vix non in rabiem nos agit. Quid ergo erit, omnem illam tormentorum molem instar globi toto sui pondere prementem, modoque acerrimo ac intensissime torquentem sustinere?

3. Idque continuo. Heu! continuo, sine ulla unquam intercapedine aut intervallo, sine ullo unquam lenimine aut solatio; sed semper, continuo, indesinenter, sine ullius miseratione aut socio levamine. Quamdiu in terris degimus, omnis miseria suas habet ferias, cessat aliquando, vel aliqua ex parte levatur; at vero in illa crudelitatis arce, in sulphureo illo aeternitatis vaporario non solum refrigerationis aut interspirationis nihil est, sed nec fore sperandum est. Ah! intolerabile nobis supplicium foret, sanos unica nocte mollissimis plumis immobiles incubare; quid ergo erit, stygio illi cippo eodem semper situ atroces

---

*attamen non umbra sunt ad illa tormenta.* Minutius Felix tormenta ea describens, in Octav. cap. 35: „*Nec tormentis, inquit, aut modus ullus aut terminus.* Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec assumunt; sicut ignis Etnae montis et Vesuvii et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur; ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.“

<sup>1)</sup> S. Hieron. in cap. II. Joelis. — <sup>2)</sup> S. Gregor. lib. IX. Moral. cap. 49. n. 50.

inter rogos continenter affixum haerere, cruciari, ardere; et eadem ipsa semper doloris acrimonia elapsis etiam mille saeculis torqueri, quam quis sub primum illius ergastuli ingressum sensit, quin vel temporis lapsu, vel patiendi assuetudine cruciatus vis vel minimum remissa mitescat? O mortales! *quis poterit habitare de vobis cum igne hoc devorante? quis cum his ardoribus sempiternis*<sup>1)</sup>.

#### Punctum II.

*Poenā animae.* Orci incolae sola haec cognitio immane tormentum erit: Deus mortuus est in cruce, ut me salvaret, et tamen sum damnatus. Christus omnem suum sanguinem fudit, ut tartaro me eriperet, et tamen sum damnatus. Spiritus sanctus nihil non egit, ut astris me insereret, et tamen *ego* (ah! *cadite, montes, super me!*)<sup>2)</sup> ego sum damnatus. Ego Christianus ... Religiosus ... Sacerdos ... in Ecclesiae sinu educatus, *verbis fidei enutritus*<sup>3)</sup>, in religionis portum ex mundi scylla subductus, pane vitae toties saginatus ... ah! ego, qui pro caelo creatus sum, qui inferorum supplicia toties meditatus sum, qui tot alios viam salutis edocui, ego, heu! *ego ipse perii!*

2. *Et mea culpa perii!* ... Ah! potuissem, et quidem tam facile potuissem salvari. Abundabam mediis, affluebam gratiis, impellebar exemplis. En! eadem ipsa caelestis corona, qua nunc ille meus olim collega redimitus gaudet: illa ipsa gloriae stola, qua meus iste socius modo amictus fulget<sup>4)</sup>, mihi fuerant destinata. Si in bono, quod coeperam, perseverassem, jam, et ego ... Sed, pro dolor! inconstans nolui. Perii, quia ipsus id petulanter volui.

---

<sup>1)</sup> Isa. 33, 14. — <sup>2)</sup> Luc. 23, 30. — <sup>3)</sup> Tim. 4, 6. — <sup>4)</sup> Vident damnati, non oculis, sed intellectu, beatorum gloriam: „ut in supplicio amplius puniantur et eorum vident gloriam quos contempserunt, et de illorum etiam poena torquentur, quos inutiliter amaverunt; ut non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono cruciantur.“ S. Gregor. Hom. 40, in Evang.

3. Idque volui, o colles, operite me! <sup>1)</sup> propter pugillum hordei et fragmen panis <sup>2)</sup>, pro lentis edulio <sup>3)</sup> et paululum melis <sup>4)</sup>, cujus vel meminisse pudet. Ah! propter momentaneum et leve voluptatis nunc aeternum tartari pondus sustineo! *Momentaneum, quod delectat: aeternum, quod cruciat!* <sup>5)</sup> In summa: *ego* tot gratiis praeventus, *mea culpa* et ex pura puta malitia, propter *nikil* in hoc stygis barathrum deveni.

4. Et quidem *ambulando vias difficiles* <sup>6)</sup> deveni, plus miseriarum, laboris et taedii *in via iniquitatis et perditionis* <sup>7)</sup> exautlando, quam perferendum fuisset per semitam virtutis gradiendo. Ah! infelicem me! carius mihi orcus quam electis caelum veniit; et plus molestiarum ac aerumnarum mihi tolerandum fuit, ut perpetuo arderem, quam Beatis, ut sempiternum gauderent. Ita gemunt *in inferno hi, qui peccaverunt, ac in malignitate sua consumpti sunt* <sup>8)</sup>.

Et haec illa lamenta, haec illa feralis cogitatio, quae menti continenter obversans *intellectum* damnati immaniter cruciabit. *Memoriam* vero ejus torquebunt praeteritorum inanitas, praesentium atrocitas, futurorum diuturnitas. *Voluntas* autem in desperationis ac tristitiae abyssum demersa, affectuum rabie huc illuc jactata, sibi ipsi irascens, seque ipsam discerpens, horrendas inter blasphemias *semper volet, quod nunquam erit: et semper nolet, quod usque erit. Nunquam obtinebit, quod volet: semper sustinebit, quod nolet* <sup>9)</sup>. Quae explicando huic supplicio par lingua reperietur?

Enimvero *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparasti Deus offen-*

---

<sup>1)</sup> Luc. 23, 30. — <sup>2)</sup> Ezech. 13, 16. — <sup>3)</sup> Gen. 25, 33. —  
<sup>4)</sup> 1. Reg. 14, 43. — <sup>5)</sup> S. Gregorius M. — <sup>6)</sup> Sap. 5, 7. —  
<sup>7)</sup> Ibid. — <sup>8)</sup> Sap. 5, 13 et 14. — <sup>9)</sup> Bern. 1, 5. de consider.  
ad Eugenium c. 11.

*dentibus te*<sup>1)</sup>. *O quam intolerabilis res gehenna!*<sup>2)</sup> *Vae ergo illis, quorum pars erit in hoc stagno ardenti igne et sulphure*<sup>3)</sup>.

## Punctum III.

*Poenae damni.* Nihilominus haec omnis suppliciorum multitudo ac diritas nihil est collata poenae damni, consistenti in amissione visionis divinae. *Si mille quis ponat gehennas* (Chrysostomi effatum est), *nihil tale dicturus est, quale est a beatae illius gloriae honore repelli*<sup>4)</sup>. O sententiam horrore plenam! Nam si unica gehenna locus est, in quo cunctorum malorum ac tormentorum, omniumque miseriarum genera omnia coacervantur, quid erunt centum? quid mille? Et tamen, testante Chrysostomo nec millies multiplicatae gehennae vel unicam adaequant damni poenam. Ratio in promptu est; haec enim non tantum *extensive* seu ratione *temporis, quo durat*, sed etiam *intensive* seu ratione *Boni, quo privat*, infinita est immensaque. Sicut ergo beatitudinis summa est, videre amabilissimum Numen, ita calamitatum apex est, ab ejusdem conspectu repelli. Imo *separari a Deo tanta est poena, quantus est ipse Deus*<sup>5)</sup>.

Nunc quidem, quamdiu hunc orbem incolimus, modico illius intuendi desiderio tenemur; et *quia non novimus magnitudinem caelestis boni, etiam non intelligimus, quantum sit mali, illo privari*<sup>6)</sup>. At vero positus aliquando his mortalibus exuviis, animus tanta hujus Boni aestimatione replebitur, tanto illius obtinendi ardore flagrabit, tantaque vi ad illud possidendum rapietur, ut inter omnia inferorum cruciamenta hoc ei futurum sit summum maximumque, a Creatoris aspectu vel brevi morula arceri. Uno verbo: *plus torquebitur caeli jactura quam orci gehenna*<sup>7)</sup>.

---

1) Chrys. lib. de reparat. — 2) Idem hom. 24. in Matth. c. 2. Item hom. 49. ad pop. proprius finem. — 3) Apoc. 21, 8. — 4) Hom. 24. in cap. 7. Matth. — 5) August. l. 19. de civit. Dei c. 28. — 6) Chrys. hom. 47. ad pop. Antioch. — 7) Joan. Chrysol.

Nec immerito. Nam tanta est ejus pulchritudinis infinitudo, ut si illius vel momento conspiciendae damnatis copia fieret, non solum ii nihil amplius de tartari flammis sensuri essent, sed in paradysum se subito translatos arbitrarentur. Et hinc miseri illi lubenti animo multiplicatas millies gehennas passuri essent, si vel momento illam formositatem incomprehensam intueri daretur. At frustra; nam *iniquitates eorum dividerunt inter ipsos et Deum, et peccata eorum absconderunt faciem ejus ab illis*<sup>1)</sup>; idque (heu! stygio ululatu concussa tremant inferorum antra) aeternum . . . aeternum.

## Punctum IV.

*Poenarum aeternitas.* Et hoc est terribilium omnium terribilissimum, nempe hujus jacturae horumque cruciatuum aeternitas. Adveniet extremi judicii dies: interitione interibit universa haec orbis machina: post mundi interitum effluent centum millia annorum, ac post hos denuo elabentur plures centenae myriades annorum; et tamen nec unicum adhuc momentum ab aeternitate decerptum erit. Denuo praeteribunt tot millia saeculorum, quot in litoribus arenulae, in arboribus folia, in caelo sidera numerantur; et damnatorum tormenta tunc quasi primum incipient, et quodammodo renascentur. Necdum satis: immensa hac annorum serie elapsa, iterum tot saecula effluent, quot atomi in aëre, quot pulvisculi in terra, quot guttulae in mari computantur. Et en! damnati semper erunt damnati, semper miseri atque infelices; *ut sciat omnis caro, quia Dominus eduxit gladium suum de vagina sua irrevocabilem*<sup>2)</sup>.

Nam *ibi erit mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia et mors vivit, et finis semper incipit,*

---

<sup>1)</sup> Jsa. 59, 2. — <sup>2)</sup> Ezech. 21, 5.

*et deficere defectus nescit*<sup>1)</sup>. *Ubi putas, quod finem inveniat aeternitas, ibi incipit*<sup>2)</sup>. Nec dicas, haec quandam in Deo saevitiem arguere; nam *semper puniri potest, quod nunquam potest expiari*<sup>3)</sup>. Cumque culpae malitia secundum quid infinita sit, oportet etiam poenam secundum quid infinitam, et saltem duratione interminatam esse; secus haec illi aequa proportione non responderet, et gubernatrix Dei Sapientia non providisset nobis de motivo sufficienter absterrente a peccando, utpote qui per finita carceris lustrici supplicia adeo parum deterremur ab accumulandis levibus noxis. Et certe si ex inferno speranda foret redemptio, vermibus damnatorum aliquando moreretur, adeoque eorum supplicium non foret aeternum. Jam autem teste summe veridico Numine ex inferno nulla est redemptio; *vermis eorum non moritur*<sup>4)</sup>; *ibunt in supplicium aeternum*<sup>5)</sup>. En! non tantum *gehennae ignis* pronuntiatur *inextinguibilis*<sup>6)</sup>; sed etiam supplicium, quod is creat, dicitur fore aeternum. Tale autem non foret, nisi etiam damnati, illo affiendi, perpetuo ibi existerent. Haec considerans S. Gregor. Nyss. exclamat: *Quis exstinguet flammam; quis avertet vermem nunquam morientem*<sup>7)</sup>.

O aeternitas! o vocem mole tenuem, et sensu gravem! Ah! vel muscae aut culicis punctiuncula; aeterna si sit, inexplicabile tormentum reputatur. Quid ergo erit in illo cruciamentorum barathro pati omnes possibiles cruciatus, eosque intensissimos, idque continenter, et quidem (vah! horrore attonita stupet mens) aeternum, aeternum, aeternum. . . . *Vae! quibus haec prius experienda sunt, quam credenda*<sup>8)</sup>.

### Affectus.

I. *Actus fidei.* O sapientissimum aequae ac veracissimum Numen! credo esse infernum, . . . vel unicum lethale

1) Greg. I. 9. moral. c. 49. — 2) S. Hilarius. — 3) S. Bernard. — 4) Marc. 9, 45. — 5) Matth. 25, 46. — 6) Marc. 9, 44. — 7) Orat. V. de Beatit. — 8) Euseb. Emissenus.

delictum mereri infernum, . . . propter illud innumeras identidem animas, pro caelo creatas, praecipitari in infernum, et quidem a Te praecipitari, cujus Justitia nequit punire ultra meritum, cujus Clementia semper plectit infra meritum; proinde culpam gravem esse majus hac poena malum<sup>1)</sup>, adeoque illam omni virium contentione abominandam esse, ac prae orco detestandam. Ita est: haec credo, ac firmissimo assensu teneo; quia Tu infinite veridicus id affirmasti. Et hinc cane pejus et angue fugiam (utut gratum id sit), quidquid *adducit* ad peccatum, praesertim hoc veniale N. istam occasionem N. hunc defectum aut N. passionem. Contra vero prompto affectu amplectar (utut molestum id accidat), quidquid *abducit* a peccato, illa nominatim N. adminicula, quae efficacius tuentur ab offensa Dei. Nam *bonum est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum*<sup>2)</sup>.

2. *Actus execrationis peccati.* Itaque *testis* sit mihi *Dominus et testis Christus ejus*<sup>3)</sup>; quia *malo* cum Eleazaro *praemitti in infernum, quam gravi noxa foedari*<sup>4)</sup>. Quin, *si hinc peccati pudorem et illinc cernerem inferni horrorem, ac necessario uni illorum haberem immergi, prius me cum S. Anselmo in infernum immergerem, quam peccatum committerem.* Imo cum eodem Sancto Praesule *malem potius, purus ac innocens gehennam intrare, quam peccati hujus sorte pollutum, caelorum regna tenere*<sup>5)</sup>. O peccatum! o quam execrandum es monstrum! heu! quomodo potui te in animum meum admittere?

„Porro haec eadem execratio etiam extendenda est ad veniales naevos, praecipue illos, qui proximius ad lethifera deducunt, ea sin-

<sup>1)</sup> Id quoque docet S. Thomas 1. p. q. 48. a. 6. dicens: *Plus habet de ratione mali culpa quam poena.* — <sup>2)</sup> Matth. 18, 8. — <sup>3)</sup> 1. Reg. 12, 5. — <sup>4)</sup> 2. Mach. 6, 23. — <sup>5)</sup> Lib. 1. cur Deus homo c. 21.

gillatim detestando. Execranda insuper est, et quidem serio conatu, indita menti vitiorum radix, praesertim *superbia, avaritia et philautia*. Nam tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: tunc infinitum inferni barathrum devorat, quos nunc inanis elatio exaltat <sup>1)</sup>. Hunc in finem eliciantur sequentes duo affectus.<sup>2</sup>

3. *Actus demissionis*. O potens ultionum Deus! <sup>3)</sup> peccavi: infernum meritis sum. Ex jure tuo si egisses, jam forem titio tartareus, monstrum avernale, stygis sentina, in quam pleno alveo confluere deberent omnes posibles despicientiae, opprobria et contemptus. Et superbiam? ... Possum adhuc lethaliter peccare, possum peccato impenitens immori, adeoque possum, heu! possum damnari. Et superbiam? ... Forte peccabo, forte peccato immoriar, forte damnabor. Et superbiam? ... *In veritate confiteor, quoniam dignus sum omni ludibrio et contemptu; quia merui pro peccatis meis infernum et ignem aeternum* <sup>4)</sup>).

4. *Actus odii sui ipsius*. O alme membrorum plasmator Deus! heu! abjeci te post corpus meum, illius amore Te laesi summum Benefactorem meum. Ut illi momento bene esset, me periculo aeterni cruciatus exposui. En! confiteor tibi insipientiam meam *in amaritudine animae meae* <sup>5)</sup>. At modo stygis incendia illius me odio inflammant. Proin pereat caro, ne pereat anima; brevi mora affligantur sensus, ne tota aeternitate torqueatur spiritus. O si damnatus ex tartaro in hunc mundum remearet, quomodo suum is corpus esset habiturus? Non minus ut agam, gratitudo suadet; cum majus beneficium sit in orcum nunquam detrudi, quam aliquando illuc deturbatum inde rursus emitti. Proin has sensibus illecebras N. negabo; his nominatim industriis N. aegre carni facere studebo, memor istius effati: *Momentaneum, quod delectat; aeternum, quod cruciat* <sup>6)</sup>).

<sup>1)</sup> Greg. M. lib. 9. moral. — <sup>2)</sup> Psalm. 93, 1. — <sup>3)</sup> Thom. a Kemp. l. 3. c. 52. n. 2. — <sup>4)</sup> Job. 10, 1. — <sup>5)</sup> S. Gregorius.



5. *Actus indifferentiae.* O primum Principium et ultimus Finitis meus, qui me creasti, ut tibi servirem, quo tu volueris modo; en *sicut lutum in manu figuli, sic ego in manu tua*<sup>1)</sup>. *Gyra et reversa me per circuitum: paratus ad omnia sum*<sup>2)</sup>. Ah! ille vitae status, ad quem me vocas, aut in electo jam statu ille perfectionis gradus, ad quem me invitas, nondum est infernus: illud officium, ille locus, illa aegritudo nondum est infernus. Igitur me tibi indifferentem ad omnia offero. *Quid enim prodest, cunctis honoribus et commodis abundasse, si sic damnor; et quid nocet, contemptum et miserum tabuisse, si sic salvor?* Enimvero veritas haec nunquam clarius oculos ferit, quam flammis avernalibus illustrata.

6. *Actus gratitudinis ac doloris.* O vitae ac mortis arbiter Deus! gratias tibi ago, quod me non statim post primum lethale crimen admissum, e vivis sublatum, tuo stiteris tribunali, sed tempus et gratiam poenitendi tam benigne concesseris. Heu! si in illo statu (ah! horreo meminisse) subito mortuus fuisset, jam nunc habitarem cum ardoribus sempiternis. Alios damnasti, mihi pepercisti; quia plus aliis me indignissimum amasti. Quomodo igitur potui offendere tam misericors erga me Numen? . . . Sed doleo, et toto corde summoque affectu vehementissime doleo. . . . *O quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, quis praeveniam fletibus fletum, et pondus aeternarum urentium, nec consumentium flammaram?*<sup>3)</sup> *o Domine multum misericors! ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in aeternum dannes me in infima terrae loca*<sup>4)</sup>.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 1. cap. 24. et lib. 3. cap. 3.

<sup>1)</sup> Jerem. 18, 6. — <sup>2)</sup> Thom. a Kemp. de imit. Chr. l. 3. c. 15. n. 2. — <sup>3)</sup> Bernard. serm. 16. in Cantica. — <sup>4)</sup> In oratione Manassis.

## DIES TERTIA.

„O mors, quam amara est memoria tua  
homini pacem habenti in substantiis  
suis.“ Eccli. 41, 1.

### MEDITATIO I.

## DE MORTE.

### Punctum I.

**Mors docet nos spernere terrae bona**, quae primum sunt plenae ad omnia indifferentiae ac finis ultimi obstaculum. Lata est sententia: *Morte morieris...<sup>1)</sup>*, idque certo; nam *nemo est, qui semper vivat...<sup>2)</sup>* et quidem *morieris tu<sup>3)</sup>*, non alius pro te, sed tu; nec nisi semel; aeterno enim divini Senatus decreto *statutum est hominibus semel mori...<sup>4)</sup>* Ad haec *morieris in die, qua non speras, et hora, qua nescis<sup>5)</sup>*: non solum de tempore, sed etiam de obitus modo et loco incertus... praecisa omni spe, admissum semel errorem postumis lacrimis reparandi.

Paucis: serius aut citius, certe tamen aliquando omnibus bonis exutus, ab amicis et sociis derelictus, *ibis in domum aeternitatis<sup>6)</sup>*, inde haud amplius ad tuos vel tua reversurus: et quidem illuc ibis solus; nam *unusquisque no-*

---

<sup>1)</sup> Gen. 2, 17. — <sup>2)</sup> Ecclae. 9, 4. — <sup>3)</sup> Isa. 38, 1. — <sup>4)</sup> Hebr. 9, 27. — <sup>5)</sup> Luc. 12, 40. — <sup>6)</sup> Ecclae. 12, 5.

*strum, pro se rationem reddet Deo*<sup>1)</sup>: ac insuper nudus; nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus<sup>2)</sup>. Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc<sup>3)</sup>, et nihil auferam mecum de labore meo<sup>4)</sup>.

Superi! haec credimus, et tamen ita rebus terrenis cor nostrum affigimus, ut illarum causa ab ultimo fine nostro miseri deviemus et fucata earum dulcedine capti, a commendata hactenus indifferentia abstrahi nos sinamus, perfectionemque vivendi rationem, qua Creator sibi servire nos cupit, temerarii negligamus.

O abjectum terrae mancipium! en! *subter te sternetur tineae, et operimentum tuum erunt vermes*<sup>5)</sup>. Haec tua omnis tunc haereditas erit. Quidquid detritum, vile et rejectaneum alicubi in domo latet, mortuo tibi tegendo ex angulo protrahetur. Praeter centones quosdam ex omnibus, quae possides, nil tibi reliquum manebit. Nam teste Spiritu sancto non solum *homo, cum interierit, non sumet omnia*<sup>6)</sup> secum, sed nihil. *Sicut egressus est nudus de utero matris suae, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo*<sup>7)</sup>.

Audis? nihil; nihil de illis tuis pecuniis, nihil de lauta illa tua supellectile, nihil de illis tuis munusculis aliisque utensilibus, quae modo tam sollicite asservas, tanto cum incommodo tecum circumfers, et sociis vel mutuo dare refugis: horum, inquam, *nihil auferes tecum*, sed post mortem tuam auferent alii; et fors iis ipsis obvenerit, quibus ut obtingerent, minime voluisses.

Interim ardebit anima tua in lustrico carcere, et ardebit ob has ipsas a te male comparatas, inordinato affectu dæctas, servatasque reculas. Ardebit, inquam, in illis immanibus flammis anima tua omnium ope destituta, ac dere-

<sup>1)</sup> Rom. 14, 12. — <sup>2)</sup> 1. Tim. 6, 7, — <sup>3)</sup> Job. 1, 21. — <sup>4)</sup> Ecclae. 5, 14. — <sup>5)</sup> Isa. 14, 11. — <sup>6)</sup> Psalm. 48, 18. — <sup>7)</sup> Ecclae. 5, 14.

lieta ab iis ipsis, qui interim illis rebus tuis genia utentur; quin ullam de te inde liberando, vel mitiga saltem cruciatibus tuis cogitationem admittant.

Nonne ergo insania est, id nunc sponte Deo in cum merito sacrificare nolle; quod absque merito forte horam mors ab invito tollet? nonne impietas est, malle graduum gratiae ac respondentis illi gloriae jacturam fac quam inanes quisquiliis abjicere? Nonne vecordia vocationem ad perfectius vitae genus majoremque salutem in postremis habere propter inordinatam ad ejus nugas affectionem?

O caeli! quis non ingemiscat illorum sacerdotum cuncti, qui, postquam paternas opes, domos et facultates generoso pede calcarunt, dein majori non raro affectu crepundia, quam mundani sua praedia prosequuntur: suorum commodorum nimis studiosi unice solliciti vivere fors unquam defectum aliquem experiantur. O quae topere illi post mortem suae huic avidae nimium tenacitatem illacrimabuntur, dum pauperem e cruce Deum sandapilam impositum cernent, cui nudo se spirituali egestate committere debuissent; quique ipsorum divitem nimis ac condempnam paupertatem sua nuditate condemnabit. Age et generosa in ausa mentem attolle, quaeque aliquando tibi certo rapiet, ea nunc vivus Numini in ara chari liberali sacrificio immola. Et profecto *nimum avarus cui Deus non sufficit*<sup>1)</sup>.

#### Punctum II.

*Mors docet nos contemnere mundi honores, qui sunt dictae indifferentiae ac perfectioris vitae obiculus. Adesto, o vane inanis nihili idololatra! qui fallaciae gloriae fumo te excaecari, et ab ultimo fine abstrahi sibi. Age, ad sandapilam accede, foetidum hoc cadaver inspicere.*

<sup>1)</sup> Aug. l. 13. Confess. c. 8.

horrida haec pallore membra intuere. En! *usque huc venies*, velis, nolis, *usque huc venies, et non procedes amplius; hic confringes tumentes fluctus tuos*<sup>1)</sup>. Omnis haec, qua modo excellis, nominis magnificencia, munerumque splendor sub mortem *velut nebula dissolvetur*<sup>2)</sup>. Tunc illa omnis commentitia amplitudo dignitasque *transibit tanquam vestigium hominis*<sup>3)</sup>. Cum extintorum funalium fumo tua omnis fama in auras abibit. Cum campanae sonitu tua omnis recordatio evanescet secundum illud: *Periit memoria eorum cum sonitu*<sup>4)</sup>. Uno verbo: *post hoc eris, tanquam non fueris*<sup>5)</sup>. Cujus nominatum est nomen gloriae *usque ad extremum terrae*<sup>6)</sup>, is, ait regius Psaltes, *cum interierit, non descendet cum eo gloria ejus*<sup>7)</sup>; sed disparebit sicut *visio nocturna*<sup>8)</sup>; *et fugiet velut umbra*<sup>9)</sup>, admota luce mortualis candelae. Haec scis, et tamen huic nebulae, nihilo, umbrae toto appetitu tam avide inhias.

O superbe! mors te opinione citius, fortasse hoc adhuc mense cunctis decorum nominibus, munerum praerogativis naturaeque ornamentis exutum, in loculum abjiciet, ubi non jam magnus, excellens, magnificus, sed esca vermium, cineris pugillus, foetidum pus, imo jam nihil eris. Tunc autem quid proderit, doctum audiisse, pluribus annis ad clavum sedisse, per omnes honorum gradus ad summas dignitates eluctatum fuisse, si propterea animae in purgatorio igne arendum sit? Nempe, *omnia fui*, etiam talis cum illo Imperatore exclamabit, *et nihil mihi prodest, nisi quod sub mortem cruciat fuisse*. Et profecto ita est: nihil prodest, candelabro impositum fuisse, nisi quod sub mortem cruciat fuisse.

Elapsis aliquot ab obitu diebus apparuit socio Religiosus quispiam, et tristi gemitu in haec verba prorupit:

<sup>1)</sup> Job. 38, 11. — <sup>2)</sup> Sap. 2, 3. — <sup>3)</sup> Ibid. — <sup>4)</sup> Psalm. 9, 7. — <sup>5)</sup> Sap. 2, 2. — <sup>6)</sup> 1. Mach. 14, 10. — <sup>7)</sup> Psalm. 48, 18. — <sup>8)</sup> Job. 20, 8. — <sup>9)</sup> Job. 14, 2.

Theologus fui, et nihil est: Concionator fui, et nihil est Superior fui, et nihil est: Religiosus fui, et hoc aliqui est. Quo dicto in auras abiens, videri desiit. En! quae in hoc mundo tantopere aestimantur, in altero ne attenduntur quidem.

*Ergo vanitas est, honores ambire, et in altum statum se extollere*<sup>1)</sup>. Ergo stultitia est, inani supra alios excellendi appetentia a laudata indifferentia, et quod consequens est, a virtutis aut omnino salutis semita devium aberrare. O mors! quam potens es humilitatis magistra. Certe qui in hac schola superbiam non dedocetur, hujus desperanda est cura.

#### Punctum III.

*Mors docet nos fugere carnis illecebras*,<sup>2)</sup> quae tertium sunt beati illius aequilibrii ac sanctoris vitae impedimentum. O anima! *veni et vide*<sup>2)</sup>; *veni ad sepulchrum, vide cadaver tuum*. Contemplare, quid tandem sit illa caro, cujus amore damnationis periculo te exponis, aut a perfectionis via abhorres.

En! illa duo calvariae foramina erant tui oculi fors innocentiae scopuli. Tabida haec et arrosa carniū frustula erant os tuum et lingua, funesta heu! gulae instrumenta. Excavatus hic vermium nidus erat venter tuus, quem instar Dei habuisti. Tabificum hoc horridae putredinis coagulū corpus tuum erat, illud amoris proprii idolum, cui conscientiam toties victimam immolasti.

Age jam, manibus prehende hanc calvariam, palpa haec ossa, revolve hos cineres, inspicie purulentam hanc massam. Edic jam, nonne amentia est, propter hoc pus ab ultimo fine suo deviare, ab illa caelesti indifferentia deflectere, et perfectiori Numinis servitio nuncium remittere? Nonne vesania est, omnes totius vitae labores, curas et vigiliās

---

<sup>1)</sup> De imit. Chr. l. 1. c. 1. n. 4. — <sup>2)</sup> Joan. 1, 46.

in id unum impendere, et quidem Christianum impendere, ut huic foetido sordium sacco ad breve tempus bene sit? ut commodius dormiat, delicatius vivat, melius nutriatur; et interim animae curam in postremis habere? *O terra, terra, terra! audi sermonem Domini*<sup>1)</sup>: *Nemo potest duobus Dominis servire*<sup>2)</sup>; nisi carnis jugum excusseris, nunquam servies Deo, quo voluerit modo.

Fructus ex hac meditatione colligendus est constans execratio illorum trium impedimentorum, quae nos potissimum ab aureo illo mentis aequilibrio avocant, atque ab ultimo fine abducunt; et quae a S. Ioanne vocantur *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae*<sup>3)</sup>.

### Affectus.

O supreme vitae ac mortis arbiter Deus! credo, me moriturum; nam tuo jussu *omnes morimur, et velut aqua in terram dilabimur*<sup>4)</sup>: et quidem inopinato; cum Christus dicat: *Qua hora non putatis, filius hominis veniet*<sup>5)</sup>. Credo, errorem in morte bene obeunda vel semel admissum nec aeternis lacrimis expiari posse; nam, ut divino admonitu cognovimus, *lignum, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*<sup>6)</sup>. Credo, me cunctis rebus spoliatum et omni honore exutum, ex hoc mundo migraturum in alium, hocque corpus meum in putridos cineres redigendum, et foeda putredine consumendum esse secundum illud Spiritus sancti effatum: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*<sup>7)</sup>. Haec, inquam, credo, quia tu, o aeterna Veritas, id affirmasti.

O Superi! haec me credere palam profiteor, et tamen, heu pudor! et tamen vivo, quasi nunquam moriturus, aut secunda morte primae vitium emendaturus. Vivò, quasi *haberem hic manentem civitatem*<sup>8)</sup>, totus terrenis immer-

<sup>1)</sup> Jerem. 22, 29. — <sup>2)</sup> Matth. 6, 24. — <sup>3)</sup> 1. Joan. 2, 16. —  
<sup>4)</sup> 2. Reg. 14, 14. — <sup>5)</sup> Luc. 12, 40. — <sup>6)</sup> Ecclae. 11, 3. —  
<sup>7)</sup> Gen. 3, 19. — <sup>8)</sup> Hebr. 13, 14.

sus ac vani honoris stolide avidus. Vivo! heu! vivo vile carnis mancipium; et hoc coagulum sordium, putrem hanc escam vermium caeco amore ita depereo, ut illius commodis innumeros virtutum et gloriae gradus sacrificare non horream; vivo, vah probrum! animae ita prodigus, et illius futurae sortis adeo incuriosus, quasi *unus interitus esset hominis ac jumentorum et aequa utriusque conditio;... et nihil haberet homo jumento amplius*<sup>1)</sup>.

O Domine! *mensurabiles posuisti dies meos et substantia mea tanquam nihilum ante Te. Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens*<sup>2)</sup>. Cibus tinearum, saccus stercorum, pus, tabum, et pestifera sanies sum: imo ipso pulvere, cinere et nihilo quid foedius sum; et tamen ego ausus fui erecto collo consurgere contra te Omnipotentem? Ego te abjicere ausus sum post hoc corpus meum, illius infrunitam libidinem, superbiam et habendi cupiditatem tuae sanctissimae voluntati praeponendo. O caeli! ergone in eam miser dementiam prolabi potui, ut amore putridi hujus trunci Deum irritarem, conscientiam laederem, gratiam perderem? Heu! totis artibus oohorresco, dum, quae feci, perpendo.

Sed poenitet, o magne membrorum plasmator Deus! poenitet me impudentiae meae, meae me insaniae pudet. Utinam prae doloris vehementia cor mihi medium disrumperetur. At fixum est; posthac triplici illi concupiscentiae carnis, oculorum et vitae perpetuum inferam bellum. Prius missa e caelo fulmina corpus hoc in cineres redigant, quam ut vitiosum quid sensibus permittam. Mortualis candelae radiis illustratus agnosco, et detestor mundani honoris inanitatem. Pereant nugae, crepundia vanaeque res omnes, quibus hactenus mens tenacius affixa haesit, ne mors inveniatur, quod invito rapiat. Et quae mortis hora perfecisse optabis, ea, o anima mea! nunc perface et quidem mature;

<sup>1)</sup> Ecclae. 3, 19. — <sup>2)</sup> Psalm. 38, 6.



ne tandem testis desolata et tu existas hujus veritatis: *Semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit*<sup>1)</sup>.

Tu autem o Domine! triplici hoc vinculo solutum, libertati filiorum Dei restitue; et da aemulari indifferentiam cadaveris, cui idem prorsus est, loculo ligneo aut stanneo includi, vestibis pretiosis aut vilibus indui, honoribus aut vituperiis affici, duro aut molli tumulto inferri.\*

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi. Lib. 1. cap. 23.

## LECTIO

## DE COGNITIONE SUI IPSIUS.

## §. I.

I. Via purgativa, cui prima haec exercitiorum hebdomas respondet<sup>2)</sup>, et quam heri cum meditatione de lapsu angelorum auspicati sumus, ex mente Ascetarum triplicem sibi praefixum habet scopum 1. *peccatorum execrationem*, 2. *eorundem radicum extirpationem*, 3. *sui ipsius cognitionem*. Nam ulceri, quod ignoratur, aptum malagma applicari nequit; ergo necessaria est *sui cognitio*. Dein morbo, qui amatur, medicina non quaeritur; ergo necessaria est *peccatorum execratio*. Denique nisi aegrotationis causae e medio tollantur, id est, nisi vitiorum stirpes, rebelles scilicet appetitus, eradicentur, sanitas nunquam plene recuperabitur; ergo necessaria est vitiosarum *radicum extirpatio*; alioquin non obtinebitur desiderata mentis purgatio. His enim praecipue adjumentis a defectuum loliis mundatur anima, et ad proferendos postea virtutum flores praevie aptatur.

<sup>1)</sup> S. Chrysolog. Serm. 125. — <sup>2)</sup> Direct. c. 39. n. 3.

Porro quam accurate tria haec puncta in prima haec exercitiorum hebdomade executioni mandentur, ac proin quam stricte in ea *illa omnia proponantur media, qua ad animam purgandam pertinent*<sup>1)</sup>, partim ex Directorio<sup>2)</sup>, partim ex hactenus dictis et adhuc dicendis abunde patet. Nam heri per considerationem tum malitiae peccati propriae, tum poenae eidem debitae ad dolorem de praeteritis et horrorem a futuris ejusmodi noxis, adeoque ad illarum *execrationem* potenter animati sumus. Praeterea nimium amorem opum, cuticulae et excellentiae, tanquam primariam piaculorum *radicem*, pro viribus *extirpare satagemus*, labore ob rei arduitatem hodie quoque in meditatione prima continuato atque etiam posthac continuando. *Cognitioni* vero *sui ipsius* obtinendae, ad quam comparandam hesternam meditatio secunda, uti et consideratio, huicque subjunctum examen plurimum adjumenti attulerunt, hodierna insuper dies maximam partem consecrabitur: ut proin prima haec hebdomas viae purgativae vel maxime congruat.

Quod autem tantum temporis ac laboris acquirendae sui ipsius cognitioni tribuamus, ratio est, quia plena sui nihili notitia ad demissionem et odium sui lucidissimam praefert facem, ac e medio tollit illud princeps obstaculum, sensualitatem, avaritiam et superbiam, quo plerumque abstrahimur ab illa fundamentali indifferentia Deo servienti, quo voluerit modo. Quippe repugnat, ut quis sui *corporis miseriam* et *animae malitiam* penitus agnoscat, quin simul seipsum odisse et despiciere discat. Unde iterum mirabilis exercitiorum praestantia et nexus elucet; *nexus* quidem, quia omnia miro ordine cohaerent, praefixoque fini presse respondent: *praestantia* vero, quia Theologiae Asceticae principia practice docentur, et anima leni ductu per viam purgativam ad illuminativam deducitur.

II. Quod autem intima haec sui cognitio tertius sit

---

<sup>1)</sup> Direct. c. 11. n. 3. — <sup>2)</sup> Ibid. cap. 39. n. 2.

fructus, ex mente S. P. Ignatii prima hac hebdomade colligendus, docet Directorium his verbis: *Quare hoc primum curari debet in eo, qui facit exercitia, ut quam maximam sui ipsius acquirat cognitionem, considerando causas, origines et radices vitiorum*<sup>1)</sup>. Item: *Quare huc omnia dirigere debet, qui facit exercitia, ut suam abjectionem et vilitatem agnoscat, eamque ex animo sentiat*<sup>2)</sup>.

Ad hanc autem eo facilius acquirendam tria valde insignia S. Pater assignat subsidia, nempe 1. primum orandi modum, 2. conscientiae examen, 3. confessionem generalem<sup>3)</sup>. Ad primum orandi modum quod attinet, is in eo consistit, ut quis discurrendo *circa praecepta Dei aut Ecclesiae et circa septem peccata capitalia et tres potentius animae ac quinque sensus*<sup>4)</sup>, singula ordine discat, attendendo, *quo pacto illa servaverit*<sup>5)</sup>, istis se polluerit, his vero usus vel abusus sit? Quid autem hoc est aliud, quam penetrare *in profundum abyssi, et cor hominis intueri in absconditas partes*<sup>6)</sup>, illius intimos recessus lynceo obtutu rimando?

Quam efficax vero remedium duplex conscientiae examen<sup>7)</sup> tum particulare quotidianum tum generale, quod etiam exomolgesi praemittitur, sit, *ut homo incipiat aperire oculos suos ad cognoscenda peccata vitae praeteritae*<sup>8)</sup>, ac praesentem statum animae, ipsa res per se loquitur. Illud enim est *sicut lucerna in loco obscuro*<sup>9)</sup>, illuminans

1) C. 10. n. 8. — 2) Direct. c. 11. n. 3. — 3) Libellus exercit. post fundamentum. — 4) Direct. c. 37. n. 2. — 5) In lib. exercit. post contemplat. de amore spirituali. — 6) Eccli. 23, 28.

7) Duo examina in Societate Jesu in usu sunt, et si quis de hisce ampliore desiderat instructionem, consulat R. P. Alph. Rodericii S. J. Exercitium Perfectionis. Tom. I. Tract. VII. Cap. II. et seqq. Ut autem Examinis tum particularis tum generalis praxin faciliorem reddamus, uberiorem hujus examinis materiam in Cleri usum, schemae seu paradigmatis instar, ad finem hujus octidui subnectemus post diei 8vi Meditationem tertiam, ad quod examen sedulo semel, atque iterum ac melius inter exercitia recurratur atque extra.

8) Direct. c. 13. n. 6. — 9) 4. Esdr. 12, 42. —

*abscondita tenebrarum*<sup>1)</sup>. Et hinc S. P. Ignatius n initio exercitiorum de utroque agit, ut ostendat, quo sibi loco sint; eorumque praxin *primo statim die ꝑ datum fundamentum*<sup>2)</sup> explicari, priorisque usum et deinceps *singulis diebus per quartam horae partem c tinuari cupit*<sup>3)</sup>, ut eorundem subsidio nos ipsos intin nosse discamus.

Denique quam potens acquirendae sui ipsius noti adjumentum sit *confessio generalis* vel a tota retro v vel saltem a longiori tempore retexenda, patet ex Direc rii verbis, quae sic habent: *Hoc enim usu compert est, eam magnopere multis profuisse ad cognitionem et emendationem*<sup>4)</sup>. Nec mirum; revocatis enim in i moriam commissis hactenus peccatis, facile est, et ipsorum fontem detegere; praecipue si insuper diligi examine scrutemur, cujusnam rei amor vel odium, desi rium vel fuga, spes aut timor nos pelliciat ad perpetra illa piacula, quae ordinaria confessionum materia si Inde constat, quam utile medium confessio generalis perveniendi ad cognitionem sui, et quam merito eam S. hunc ipsum ob finem per decursum primae hebdomadis c scribi, sub ejus vero finem deponi cupiat.

III. Cum vero S. Auctor hanc sui notionem non so speculativam sed practicam esse optet, ac talem, quae super ad sui *emendationem* tendat<sup>5)</sup>, vitia execre eorumque radicem extirpet; hanc ob rem tanquam ap simum haec omnia efficiendi remedium assignat *exar particulare*, quod pariter mox *in primo congressu ꝑ datum fundamentum* proponi jubet, utpote statim i ipsis exercitiis inchoandum, ac dein etiam iis finitis i *vitae tempore singulis diebus* continuandum<sup>6)</sup>.

---

<sup>1)</sup> 1. Cor. 4, 5. — <sup>2)</sup> Direct. c. 13. n. 2 et 6. — <sup>3)</sup> Ibid 40. n. 3. — <sup>4)</sup> C. 10. n. 9. — <sup>5)</sup> Ibid. — <sup>6)</sup> Direct. c. 13. n 4 et 6.

Quaenam autem puncta examen tum particulare tum generale complectatur, juverit hodie ex ipso exercitiorum bello perlegere, nisi id primo jam die factum sit, ut si ars naevi aliquid in eorundem praxin irrepsisset, mox corrigatur. Ex his denuo patet, quam superfluum nihil, quam nihil temere et sine consilio positum in aureo hoc Ignatii libro contineatur, quod ad praefixum sibi scopum non recta collineet, aut adjumenti plurimum afferat; et quantopere errent illi, qui hanc de examine particulari et generali materiam parum apte pro operis dignitate mox fundamento subjungi, aliisque omnibus praemitti censent.

## §. II.

I. Enarratis hactenus remediis sui ipsius cognitionem acquirendi, jure accenseri merentur geminae meditationes de morte et judicio, quam materiam tractari posse S. Pater ipse declarat<sup>1)</sup>. Directorium vero vix non praescribit, dum ait, *exercitia de morte et judicio rarissime omittenda esse*<sup>2)</sup>. Nec immerito; nihil enim adeo luculenter ostendit *miseriam corporis* quam mors: nil adeo manifeste patefacit *malitiam animae* quam judicium. Ex utroque luce meridiana clarius elucet, nos ex parte nostra nil aliud esse quam *nihilum et peccatum*<sup>3)</sup>: *nihilum* quoad corpus, *peccatum* quoad animam, seu ex toto nihil; cum etiam peccatum sit dignum styge nihilum. Unde patet, geminas has de morte et judicio exercitationes insigne adjumentum esse cognoscendi se ipsum, adeoque et acquirendi despicientiam et odium sui, utpote quae intimam sui notitiam individuo nexu consequuntur.

Et profecto nunquam *corporis miseria et nihilum* evidentius apparet, quam aliquot a sepultura diebus. Heu! quam triste illud tunc, quam foedum ac terribile spectacu-

<sup>1)</sup> Ad finem exercitii quinti hebdomadis primae. — <sup>2)</sup> C. 15. n. 4. — <sup>3)</sup> Concil. Arausicanum.

lum praebet. Sine, horrificam totius rei tragoediam accuratiori oculo inspiciamus. Initio cadaver versicoloribus hinc et illinc maculis, mox totum rancida nigredine horridum squalet. Ex facie, brachiis, pectore, pedibus exsudat mucescens spuma et foetidus quidam mucor, grassantis intus putredinis prodromus, quae paulo post in extimam quoque cutem facto impetu undique erumpit. Ubique mucida, turpis et squalida sanies ex omnibus membris vi tanta emanat, ut corpus ei aliquanto tempore quasi innatet.

Ex hoc stagnanti tabo, ex fluida hac putrique materia, quae partim extrinsecus defluit, partim intrinsecus confluit, enascitur incredibilis copia vermiculorum, parvulorum serpentum, tinearum aliorumque animalculorum, quae illam ipsam carnem et viscera ingrato quidem, avido tamen dente corrodunt et devorant, ex qua paulo ante prognata fuerunt. Horrendum est videre, qua rabie vermium aliqui ex perforatis oculis emergant: hi per corrosum os in fauces denuo irrepant: isti pectus, ventrem, latera certatim depascantur, et irrequieta ingluvie non secus ac si formicarum acervus foret, inde turmatim emergant, ac denuo se immergant; nec prius desistant, donec consumptis carnibus merum hominis skeleton relinquunt, et ipsum paulo post in foedos cineres redigendum. Heu! horror est, haec vel meminisse.

II. Jam vero huc adesto, o anima! ac propiori obtutu hanc scenam perlustra. Intuere modo hunc *lacum miseriae et lutum faecis*<sup>1)</sup>, contemplare putrida haec cadaveris frustra, hic jam *nosce teipsum*, ex his modo sordibus ac favillis, qui sis, disce. En! tabificum hoc foetidae putredinis lutique coagulum corpus tuum erat, illud scilicet amoris proprii idolum, quod tam studiose fovisti, tam tenere amasti. Ubi nunc foedissima illa animalcula nidulantur, ibi nares tuae, ibi aures, ibi cerebrum erat tot malarum cogitationum

---

<sup>1)</sup> Psalm. 39, 3.

te desideriorum officina. Arida illa ac tetrum pallentia  
ossa, digiti tui ac delicatae manus erant tot scelerum  
ministrae.

Nempe huc tandem recidit tota quanta est tui corporis  
moles: huc redigitur omnis illa ossium compages et artuum  
structura. In his ergo nunc cineribus, qui sis, lege. Nimirum  
pulvis es, saccus stercorum es, sepulchrum dealbatum, fime-  
tum nive obsitum, ambulans nihilum es, *putredinis pater,*  
*mater et soror vermium es*<sup>1)</sup>, haec gentilitia tibi nobilitas  
est. En! quam potens adjumentum consideratio mortis sit  
sui corporis miseriam et nihilum aruspice oculo exenterandi.  
En! quam minime fallax sui ipsius speculum mortualis cal-  
varia sit.

III. Non minori efficacia intimam sui notitiam acqui-  
rendi pollet contemplatio terribilis illius, quod nos post  
obitum manet, *judicii*; uti patebit ex meditatione hujus  
sui secunda, ubi *malitia et nihilum animae* distincte ac  
pellucide oculis subjicietur. Hoc ipso enim, quod subdole  
latens mentis perversitas nunquam et nullibi manifestius  
quam illa irarum die sub conspectum ponetur, sequitur,  
eam quoque nunquam et nullibi clarius cognosci, quam  
hujus scenae praevia spectatione; adeoque hanc de iudicio  
exercitationem optimum esse sui notionem comparandi reme-  
dium. Ex ea enim ad oculum patet, summam esse 1. animae  
perversitatem, 2. ejus ad omne malum pronitatem, 3. uti  
et impotentiam ad quodvis bonum supernaturale<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Job. 17, 14.

<sup>2)</sup> Pro ampliori hujus rei perspicuitate hic adnotamus: 1. Potest  
quidem homo lapsus absque speciali gratiae auxilio nonnulla ordinis  
naturalis opera moraliter bona perficere, ac leves tentationes superare;  
vires enim naturae liberumque arbitrium per peccatum originale qui-  
dem labefactatum, minime autem prorsus extinctum est. Ast ad omnes  
ordinis naturalis veritates cognoscendas, tum ad universam legem natu-  
ralem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas  
necessaria est homini lapsu Dei gratia. 2. Ad omnes et singulos actus  
alutares, etiam ad *fidei initium* necessaria est interior Spiritus sancti  
*gratia illustrationis et inspirationis*; et haec omnino gratuita est, seu

1. Ad animae *perversitatem* quod attinet, deberet equidem ea esse imago S. S. Trinitatis, templum Divinitatis, speculum sanctitatis, ex quo omnigenae virtutes reflexo lumine relucere. At vero, quod dolendum, in *memoria* turpium vanissimarumque rerum species atque imagines insident quasi proprio in loco, quam praeterea passiones et daemones pro lubitu turbant. In *intellectu* inest error, caecitas, tenebrae, in eoque falsa dictamina, judiciaque temeraria atque ignorantiae crassae turmatim stabulantur. In *voluntate* ipsa malignitas dominatum exercet, utpote quae pravis motionibus miseram servitutem servit, et sub jugum missa non, quod cupit bonum, sed quod fugit malum, hoc agit<sup>1)</sup>.

2. Praeterea in anima regnat incredibilis quaedam ad omne malum *propensio*, quae eam ad vitiorum sentinam totam quantam inflectit; ita quidem ut, nisi benigna Dei manu misericorditer contineretur, in omnia scelera suoapte impetu praiceps rueret. Fingamus, conspiceret nos manum ex altissima turri protensam, quae hominem brachiis pedibusque ligatum, supra horrendam pice ac sulfure succensam abyssum solis crinibus suspensum teneat; et en! nostrae voluntatis summam in vitia pronitatem crudis coloribus adumbratam vidimus.

3. Verum non solum inest in anima incredibilis ad omne malum propensio, sed insuper plena et absoluta ad omne supernaturale bonum *impotentia*. Nam ea sine gratia praeviente et supero Numinis concursu nullum opus supernum, imo nec naturale sine auxilio Dei naturali se sola exercere potest; ut proin anima nihil sit I. in

---

nulla opera ordinis naturalis eam sive de condigno sive de congruo mereri possunt. 3. Non potest homo justificatus nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare; neque potest sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare. — Cfr. Concil. Trident. Sess. VI. Can. 22 et 23; item cl. P. J. Perrone S. J. Praelect. Vol. V. Part. I.

<sup>1)</sup> Rom. 7, 19.



*essendo*, cum omne suum esse a Creatore suo unice habeat, et quidem ita habeat, ut si orbis Moderator vel momento continuata, ut aiunt, actione creativa eandem conservare desineret, illico ea in suum denuo nihilum proprio nisu recideret. 2. Nihil est in *operando*, cum sine concursu physico Dei nec pedem movere, nec digitum attollere queat. 3. Nihil est in *merendo*; nam ut quis reipsa ponat actum gloriae caelestis meritorium, opus est tum statu gratiae tum gratia excitante supernaturali, non qualicunque, sed efficaci, id est, tali, quam Deus ab aeterno praeviderit jungendam esse cum consensu. Jam autem haec nulli mortali, nec justo debetur; imo eam nec mereri de condigno quis potest, quin nec merito congruo, habente infallibiliter effectum, prout Theologi docent<sup>1)</sup>.

Inde patet, quam potens et salubre in sui notitiam veniendi subsidium sint geminae hae de morte ac iudicio meditationes; et propterea quam apto nexu huic loco inserantur, utpote in quibus et *corporis* miseria et *animae* malitia, nec non utriusque *nihilum* pleno lumine oculos feriunt.

### §. III.

I. Praeterea ambae hae commentationes, ut ait Directorium, *multum habent momenti, ut avocetur animus ab*

---

<sup>1)</sup> Antoine tract. de gratia cap. 7. de merito art. 6. conclus. 4. cum aliis. Merito de *congruo* deest vel moralis aequalitas cum mercede, vel promissio mercedis, vel utraque; et solum habet vim movendi Deum ex quadam decentia ad aliquid retribuendum. Inde jam duplex distinguitur meritum de congruo: alterum carens morali aequalitate cum mercede, sed habens promissionem illius, ideoque habens *infallibiliter* effectum; talis est contritio perfecta in peccatore respectu justificationis: alterum habens moralem cum mercede aequalitatem, sed carens promissione illius, ideoque non habens nisi *fallibiliter* effectum; tale est omne meritum de congruo in homine justo. Ad meritum de congruo requiritur in actu meritorio vis idonea ad inducendum Deum ex decentia seu convenientia, ut actui aliquid retribuatur; hinc si abest aequalitas cum praemio, oportet tamen adesse certa quaedam proportio et congruitas cum praemio, quam opus ex propria excellentia habeat.

*inordinato amore rerum humanarum visibilium*<sup>1)</sup>, quae non afferunt satietatem sed inflammant cupiditatem<sup>2)</sup>; et hic alter est fructus exinde sollicito conatu eruendus. Hujus effectus experimentum cepimus in prima meditatione hodierna, cujus ope a triplici appetitu divitiarum, honorum et deliciarum longissime, ut spero, abstracti sumus.

Et certe quid efficacius a superbia ac sensualitate et opum ac commoditatum appetentia avellere nos possit, haud dispicio. Age enim, o stulte inanis nihili idololatra! si ea, quam paulo ante depinxi, tui corporis post mortem conditio est, quid ergo *superbis pulvis et cinis*<sup>3)</sup>? si putredo es, et esca vermium, quid ergo *te elevat cor tuum*?... quid *tumet contra Deum spiritus tuus*<sup>4)</sup>? Pulvis cum sis et nihil, quid ergo indignaris hunc pulverem contemni, hoc nihilum nihili fieri? Lutum cum sis ex defectibus et vitiis conflatum, cur ergo laudari cupis? cur vilipendi, et calcari renuis? Foedissimum pus, sanies et tabum cum sis, ut quid igitur adeo te aestimas, et supra alios extollis? Cum omnis fama cum funalium fumo evanescat, ut quid honores vanus ambis?

Ad haec cum in anima identidem perstrepat seditiosa quaedam appetitionum rebellio, qua illa factioso schismate diversas in partes foede scinditur; cum ea instar energuminae modo tristitia in terram elidatur, modo tumore in auras extollatur, nunc frendeat ira, nunc ardeat luxuria, modo torpeat pigritia, nunc ringatur invidia, et instar pilae a suis cupiditatibus susque deque atque in omnem gyrum jactetur; haec, inquam, cum ita se habeant, prout ea se habere in illo tribunali sole clarius cernes, ipse conclude, num aequum sit, *ut elevetur cor tuum in superbiam super fratres tuos*<sup>5)</sup>? Ipsi fateri, numne geminae hae de morte et judicio exercitationes una cum perspicaci, quae inde

---

<sup>1)</sup> C. 15. n. 4. — <sup>2)</sup> S. Augustin. — <sup>3)</sup> Eccli. 10, 9. — <sup>4)</sup> Job. 15, 12 et 13. — <sup>5)</sup> Deut. 17, 20.

hauritur, cognitione proprii nihili potentia omnino incitamenta sint, animum ab omni inordinato, appetitu honoris avocandi, seque ipsum despiciendi, quin et odio habendi.

Dixi: *odio habendi*. Quid enim? ergone corpus odisse non possis, vas illud sordium, illud morborum seminarium, illam omnium miseriarum lacunam? Ergone corpus illud odisse non possis, quod est animae proditor, peccatorum nidus, luxuriae fomes, gulae nutrix, tentationum sedes, sensualitatis emporium, virtutum hostis? Et hoc tu monstrum odisse non possis, quod palpatum *totum hominem agit in libidinis triumphum?*<sup>1)</sup>

Ob parem rationem tunc animam tuam odisse et exhorrescere non possis, quae Deo rebellis, odiosa caelo, exitiosa mundo, appetituum serva, errorum matrix, vitiorum lerna abjectum carni mancipatum servit; hanc tu, inquam, odisse non possis? Apage tam molles sensus! Potius pias in iras exardesce, et memor divini illius effati: *qui delicate nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem*<sup>2)</sup>, item: *sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*<sup>3)</sup>; horum, inquam, memor cum Paulo *castiga corpus tuum, et in servitutem redige*<sup>4)</sup>: cum Petro *milita adversus animam tuam*<sup>5)</sup>, ac *post concupiscentias tuas non eas*<sup>6)</sup>. Mentem tuam ab illis crepundiis et inanibus reculis avoca, quas tibi mors quovis momento eripere invito potest; et quas tantopere te amasse et appetiisse in illo tribunali tu ipsus damnabis. Singularia propone, ac simul adverte ad miram virtutem, qua mors et iudicium pollent, animum a bonis terrestribus avellendi.

II. Verum non solum abstrahitur anima ab amore omnis rei terrenae, sed insuper etiam *in his meditationibus concipit timorem sanctum Domini, ut pariat spiritum salutis*<sup>7)</sup>, magisque radicetur, ac fundetur in odio et deetsta-

1) S. Cyprian. — 2) Prov. 29, 21. — 3) Gen. 4, 7. — 4) 1. Cor. 9, 27. — 5) 1. Petr. 2, 11. — 6) Eccli. 18, 30. — 7) Direct. c. 15. n. 4.

opere deliquisti. Nam *cuncta, quae sunt, adducet Deus in iudicium*<sup>1)</sup>. Ita est, *cuncta, pro omni errato, sive bonum illud sit sive malum*<sup>2)</sup>, de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die iudicii<sup>3)</sup>. Uno verbo: omnia strictissimo examini subicientur, *omnia, et quidem*

1. *Omnia mala commissa* contra praecepta Decalogi et Ecclesiae, per septem peccata capitalia et votorum violationes: contra Deum, proximum et te ipsum: etiam occulta, de quibus nec suspicionem habuisti: etiam aliena, de quibus te culpabili omissione nunquam in sacro tribunali accusasti: etiam oblivioni jam tradita, de quibus nil anxius vixisti. Quod Ezechiel *vidit secundum visionem in campo*, id ipsum et tu in tua conscientia cernes, nempe *abominatio- nes magnas*<sup>4)</sup>, id est, noxas specie diversissimas, multitudine innumeras, gravitate enormes, foeditate horrendas, quae *tanquam onus grave gravabunt super te*<sup>5)</sup>.

2. Praeterea etiam discutientur *bona omissa*. O quanto terrore percelleris, dum aures tuas illud tonitru attonabit: *Numera, pondera, divide*. Numera gratias tibi per vitae cursum concessas... heu! quam ingens illarum est cumulus. Pondera Sanctuarii bilance earundem pretium... ah! inestimabile est et infinitum. Divide jam illorum usum ab earundem abusu... proh! quantum hic illum excedit. O quot obligationes tui status ac muneris neglectae, quot media salutis abjecta, quot occasiones boni exercendi contempta!

3. O miser! quae tunc tibi mens erit, dum divinus Iudex fulminanti voce tibi inclamabit: Redde rationem de *tempore* ad agenda poenitentiam, agenda gratiam, promerendam gloriam tibi tam liberaliter concesso, et a te tam prodige perditio aut nihil, aut aliud, aut male agendo. Redde ratio-

---

<sup>1)</sup> Ecclae. 12, 14. — <sup>2)</sup> Ibid. — <sup>3)</sup> Matth. 12, 36. — <sup>4)</sup> Ezech. 8, 6. — <sup>5)</sup> Psalm. 37, 5.

am de concreditibus tibi *talentis*, quae vel sudario involuta gro non usu defodisti, vel impio abusu profanasti. Redde rationem de tot confessionibus, communionibus, meditationibus, animi collectionibus et exercitiis, quae vel omisisti, et obiter tantum ac sine fructu obivisti. Redde rationem de tot peccatis, quae impedire, de tot animabus, quas salvare, de tot religionibus, quas inducere vel propagare contuisses. O Domine! *operit confusio faciem meam*<sup>1)</sup>; *via repleta est malis anima mea*<sup>2)</sup>.

4. Denique ipsa etiam *bona male peracta* in illo tribunali rigide examinabuntur. Nam *scrutabitur Deus etiam Ierusalem in lucernis*<sup>3)</sup>: *ipsas quoque justitias iudicabit*<sup>4)</sup>. Sed autem cum fiet, *quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae apparebunt*<sup>5)</sup>. *Iustitia nostra ad examen livinae Iustitiae deducta, iniustitia erit, et sordebit in districtione Iudicis, quae in aestimatione fulgebat operantis*<sup>6)</sup>.

Tunc ipsae etiam actiones bonae in malas degenerasse reprehenduntur vel ob *modum*, quo sunt peractae, vel ob *motivum*, ex quo sunt positae, vel ob *finem*, ob quem sunt contrahatae. Et hinc, qui modo cum illo Laodiciae Episcopo loquitur, *quod dives sit et locupletatus*, tunc stupore detentus videbit, *quia est miser et miserabilis et pauper et nudus*<sup>7)</sup>. Hic ergo jam *nosce te ipsum*... ) quam aptum meditatio iudicii adjumentum est detegendaeerversitatis animae! O quam solidum haec sui cognitio est infra nihilum abjiciendi, tot peccata execrandi sequendo habendi incitamentum est! *Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. Sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper videtur illa verba terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium*<sup>8)</sup>.

1) Psalm. 68, 8. — 2) Psalm. 87, 4. — 3) Soph. 1, 12. — 4) Psalm. 74, 3. — 5) Isa. 64, 6. — 6) Gregor M. lib. 5. moral. 6. — 7) Apoc. 3, 17. — 8) S. Hieronym. Reg. mon. Cap. 30.

## Punctum II.

Insuper haec omnia *distincte* et summa cum claritate ob oculos ponentur. Nam *scrutans corda et renes Deus*<sup>1)</sup>, immisso caelesti radio, *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*<sup>2)</sup>. Divinus ille *intentionum ac cogitationum discretor oculus*<sup>3)</sup> perfectam animae anatomen instituet ejusque ad malum pronitatem et ad bonum impotentiam in apricum proferet.

Ibi delictorum *numerus* singillatim inibitur, eorum *species* clarissime distinguentur, *gravitas* minutatim ponderabitur, foeditas dilucide conspicietur. Omnituens Numen omnes animi motiones, motionum radices ac vitiorum fontes *distincte* et *articulatim* discriminabit. Dictaminum *falsitatem*, obtentuum *inanitatem*, idearum *vanitatem* seorsum *internoscenda* objiciet.

Ut paucis absolvam: universos vitae tuae annales, omnes perfectionis obtinendae et pietatis exercendae occasiones, impulsus et remedia, omnem gratiarum, quibus abusus es, seriem velut in tabula depictam sub uno aspectu ponet, uno intuitu minute ac clare pervidendam. Tunc enimvero qui sis, quamque ad malum pronus atque ad bonum tardus sis, sole clarius agnosces.

Jam autem in hoc rerum articulo 1. quid senties de peccati malitia, de honorum et illecebrarum appetentia, de illo tuo ad quasdam reculas affectu? 2. In quo vitae statu, quoque modo in electo jam statu Deo servivisse tunc cupies? 3. Quo tunc tibi loco inculcata hactenus ad omnem locum et munus, ad sanitatem et gradum indifferentia erit?

O quam alia tunc quamque diversa mentem sensa subibunt! Nam *tunc magnam fiduciam habebit pauper et humilis*; contra vero *pavebit undique superbus*. *Tunc plus exultabit caro afflicta, quam si in deliciis fuisset semper nutrita*. *Tunc plus ponderabit contemptus dici-*

1) Apoc. 2, 23. — 2) 1. Cor. 4, 5. — 3) Hebr. 4, 12.

tiarum, quam totus thesaurus terrigenarum. Proin esto modo sollicitus et dolens de peccatis, ut in die iudicii securus sis cum Beatis<sup>1)</sup>). Nunc te humilia, carnem doma, eaque nunc fac, quae tunc fecisse optabis, neglexisse deflebis.

## Punctum III.

Non solum illo furoris die strictissimo examine discentur *omnia*, et quidem *distincte*, sed insuper sine *effugio* et *refugio*, omni dempto excusationi loco, ac praeceluso misericordiae asylo. Tunc enim ipse cernes, quia omni ex parte *inexcusabilis es*<sup>2)</sup>). Si enim allegaveris *ignorantiam*, mendacii te arguent fidei dogmata, quae credidisti: si *impotentiam*, de opposito te convincent tot auxilia, quae neglexisti: si virtutis *arduitatem*, allucinari te ostendent illa Christi verba: *Jugum meum suave est, et onus leve*<sup>3)</sup>). Si aetatem, temperamentum vitaeque conditionem, surgent contra te ab oriente et occidente innumeri ejusdem aetatis, temperamenti et conditionis Sancti, suoque exemplo condemnabunt te.

Ipse Angelus Custos ex adverso stans tibi inclamabit: potuisses fieri sanctus, *potuisses*. Ipsa conscientia tua tibi dicet: imo et *debuisses: perditio tua ex te*<sup>4)</sup>). Ipse diabolus tibi insultando ob oculos ponet geminas tum fidei tum vitae tabulas, vociferando: *en! haec credidisti, et haec fecisti: haec tua fides, et haec tua vita: hae tuae leges, et hi tui mores*.

Nil tunc proficient lacrimae et preces; quia ibi *non erit tempus miserendi*<sup>5)</sup>). Nil tunc proderit dolor de praeteritis et horror a futuris; quia *tunc correctionis tempus non erit amplius*<sup>6)</sup>). Nec dabitur tunc perfugium ad Mariam; quia illa tenebrarum nocte *luna non dabit lumen suum*<sup>7)</sup>); sed feretur sententia irrevocabilis, inevitabilis,

<sup>1)</sup> Thom. a Kemp. l. 1. c. 24. — <sup>2)</sup> Rom. 2, 1. — <sup>3)</sup> Matth. 11, 30. — <sup>4)</sup> Ose. 13, 9. — <sup>5)</sup> Psalm. 101, 14. — <sup>6)</sup> Apoc. 10, 6. — <sup>7)</sup> August. med. cap. 39.

mox et quidem certo executioni mandanda, quae tuam sortem pro tota aeternitate decidet. O iudicium! o sententiam!

### Affectus.

1. *Confusionis.* *Vae mihi misero, cum venerit dies iudicii, et aperti fuerint libri conscientiarum; cum dicatur de me: Ecce homo, et opera ejus. Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cum caeli revelabunt iniquitatem meam, et adversum me terra consurget? Ecce nihil respondere potero; sed demisso capite prae confusione coram te stabo trepidus et confusus<sup>1)</sup>.*

2. *Timoris.* *O hora metuenda! nec tamen declinanda, et fors brevi subeunda! O angustia! hinc erunt accusantia peccata, inde terrens Justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus Judex, intus urens conscientia. Heu! ubi latebo? ubi apparebo? latere erit impossibile, apparere intolerabile. Enimvero qui non tremit, et expergiscitur ad hanc vocem: Surgite mortui, venite ad iudicium, is non dormit, sed mortuus est<sup>2)</sup>. Ah! timeo Domine, et expavescit anima mea valde. Ita est; timore ac tremore concutis omnia ossa mea, dum intonas iudicia tua super me<sup>3)</sup>.*

3. *Doloris.* *Heu! quid egi dum peccavi? Ah! illum ipsum lacessere fui ausus, a quo me de hoc ipso scelere iudicandum credidi. Sed displicet, quod feci. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam<sup>4)</sup>, et esto propitius peccatis meis<sup>5)</sup>, quae tactus dolore cordis intrinsecus<sup>6)</sup> summe execror, et aversor propter te offensum infinitum Bonum meum cum firmissimo animi decreto, ea deinceps vitandi, atque eorum quoque radicem exstirpandi, praecipue N. N.*

4. *Agnitionis sui, demissionis et odii etc.* *Agnosco*

<sup>1)</sup> August. loc. cit. — <sup>2)</sup> S. Anselmus apud S. Bonavent. Phar. l. 3. c. 49. — <sup>3)</sup> Thom. a Kemp. l. 3. c. 14. — <sup>4)</sup> Psalm. 50, 1. — <sup>5)</sup> Psalm. 78, 9. — <sup>6)</sup> Gen. 6, 6.



Domine, quia homo peccator sum<sup>1)</sup>, venundatus sub peccato<sup>2)</sup>, et cunctis vitiorum sordibus inquinatus<sup>3)</sup>, opprobrium hominum et abjectio plebis<sup>4)</sup>, ipsum nihilum et peccatum, ipsa impotentia ad bonum, ipsa pronitas ad malum. Cujus iniquitates supergressae sunt capillos capitis<sup>5)</sup>, et cujus virtutes vitia sunt. Hinc me despicio, et abjicio in profundum vilitatis meae<sup>6)</sup>. O quis mihi dabit, apud homines de vitiis digne humiliari!<sup>7)</sup> O maledicta caro, cujus amore Judicem tam tremendum toties irritavi! At deinceps juratus tui hostis vivam. O aureum mentis ad omnem fortunae casum, ad omnem valetudinem, locum et munus aequilibrium! Te duce serviam posthac Deo, quo voluerit modo, ut aliquando a Judice Christo audire merear beatum illud: *Venite benedicti*<sup>8)</sup>. O supreme Judex, in tempore miserationum tuarum judica causam meam. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*<sup>9)</sup>. *Hic ure, hic secu, modo in aeternum parcas*<sup>10)</sup>: et illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in mala morte; ne quando dicat inimicus meus: *Praevalui adversus eum*<sup>11)</sup>.

\* Legatur Thom. a Kempis de imitat. Christi lib. 3. cap. 14 et 25.

---

CONSIDERATIO.

**METHODUS SE PARANDI AD MORTEM.**

Inter praecipuos, qui in sacra hac solitudine quaeri debent, fructus etiam numeratur felix illa mentis comparatio, qua quis semper paratus sit mori; ita quidem, ut nil amplius sit, quod animum angat, turbet aut remordeat,

---

1) Luc. 5, 8. — 2) Rom. 7, 14. — 3) S. Bern. ep. ad Flori. — 4) Psalm. 21, 7. — 5) Psalm. 39, 13. — 6) Thom. a Kemp. l. 4. c. 2. — 7) S. Bern. — 8) Matth. 25, 34. — 9) Psalm. 6, 1. — 10) S. August. — 11) Psalm. 12, 5.

quodve illam migrationem reddere inquietam possit. Et certe qui in ipsis exercitiis ad obitum se non praeparat, quando tandem id faciet? Cui in hac eremo tempus non suppetit se ad illum fatalem transitum comparandi, quando tandem suppetet? Vere inexcusabilis est, qui post hos dies salutis e vivis excedere promptus non est. Id ergo ut simus, brevem synopsis subjungam illius methodi, quam in libro *Christianus pie moriens* inscripto hunc in finem tradidi. Est autem haec.

### I. *Modus christiane excipiendi primum nuntium de instanti morte.*

Flexis ad oratorium genibus et prehensa crucifixi Dei-Hominis effigie finge, te ab Angelo Custode vicinae mortis admoneri tibi que inclamari: *Haec dicit Dominus: Dispone domui tuae; quia morieris tu, et non vives*<sup>1)</sup>. *Venit finis vitae super te*<sup>2)</sup>. *Ecce Judex ante januam assistit*<sup>3)</sup>. *Redde rationem villicationis tuae*<sup>4)</sup>. Moxque hilari mente cum Samuele exclama: *Ecce ego! praesto sum*<sup>5)</sup>, *o Domine! ego servus tuus*<sup>6)</sup> *et opus manuum tuarum*<sup>7)</sup>. *In manibus tuis sortes meae*<sup>8)</sup>. *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus*<sup>9)</sup>. *Proin educ de custodia corporis animam meam ad confitendum nomini tuo*<sup>10)</sup>. His sequentes actus subjunges.

O supreme vitae ac mortis arbiter Deus, cujus immutabili decreto *statutum est hominibus semel mori*<sup>11)</sup> in poenam peccati; en! submitto me huic *tuae* legi, dolenti animo admissa flagitia execrando, et mortem, quam rebellis peccator sum millies meritus, promptissima voluntate lubens

---

<sup>1)</sup> Isa. 38, 1. — <sup>2)</sup> Ezech. 7, 2 et 3. — <sup>3)</sup> Jac. 5, 9. — <sup>4)</sup> Luc. 16, 2. — <sup>5)</sup> 1. Reg. 3, 6 et 12, 2. — <sup>6)</sup> Psalm. 115, 16. — <sup>7)</sup> Job. 34, 19. — <sup>8)</sup> Psalm. 30, 16. — <sup>9)</sup> Psalm. 121, 1. — <sup>10)</sup> Psalm. 141, 8. — <sup>11)</sup> Hebr. 9, 27.

accepto in aliquam saltem tot noxarum expiationem, utque citius illuc perveniam, ubi peccare haud amplius potero.

Idecirco moriar o Domine! quo loco, modo et tempore jusseris ad omnia plene indifferens. Si per diuturnos cruciatus summosque dolores acerbam mihi mortem immiseris, exosculor paternam manum tuam. Fiat voluntas tua. Omnia haec nondum sunt infernus. His saeviora mea merentur scelera. Moriar *ex odio* mei ipsius, ut tineae et vermes ultrici dente eam carnem corrodant, quae tot criminum ministra fuit. Moriar *ex motivo humilitatis*, ut redigar in cineres et nihilum; et omnibus sim horrore indignus, quem tellus ultra ferat. Ut orbis ab hoc tam infami peccatore tandem purgetur, qui divini impatiens jugi sciens volens ab ultimo fine descivit.

## II. *Examen transactae vitae ac praesentis status animae.*

Primum quod mortis periculum edoctis in memoriam redibit, erit imago actae hactenus vitae ac praesentis status animae, quae velut in tabula clare ac minutatim depicta exhibebitur. Hanc igitur praevio obtutu modo inspexisse utilissimum erit. Plurimum enim ad pleniorum sui cognitionem subsidii afferet. Sequentia proin puncta accuratiori mentis oculo discute.

1. *Quis praesens status animae tuae?* Si nunc tibi ex hac vita migrandum foret, essesne paratus? . . . conscientiam tuam compello; edic: essesne paratus? Numquid acceptam in baptismo innocentiae stolam, et quamdiu illaesam servasti? Vel si lethali noxa ejus jacturam fecisti, illamue denuo per sinceram exomologesin recuperasti? Numnam omnia semper et rite confessus es? Uno verbo: estne anima tua veste nuptiali induta, et gratia immanente ornata? Vellesne vivis excedere in eo, quo nunc es, statu? *Num nil est, quod animum angat, vel anxium te sub*

mortem reddet? . . . Quid haeres? . . . quid expallescis? Ah! quae haec ergo temeritas est, vel unico temporis puncto in eo statu vivere, in quo nolles mori?

2. *Quomodo vixisti?* Quid tot curis et defatigationibus quaesivisti? cui laborem tuum, vires et tempus impendisti? Utrum aeternitati, animae, Deo? an vero vanitati, otio, daemioni? Ex tot, quos vixisti, vitae annis numne vel unicum mensem? sed quid dico, mensem: numquid vel unicum diem sine veniali noxa transegisti? ecquid horam Numinis servitio integram sine admixto defectu consecrasti? Quid egisti pro Christo, quid passus es pro caelo? heroicumne aliquando actum exercuisti? Quid speciatim commissum a te, vel omissum tunc temporis, ubi in limine aeternitatis positus animam jamjam ages, te anxium est habiturum? Quid divino Judici de hoc vel illo singillatim rationem petituro es responsurus?

3. *Quomodo tunc vixisse*, qua intentione et perfectione actiones quotidianas peregisse, quem statum elegeris, vel in electo jam statu, quo modo Creatori serviisse optabis? Num te modo poeniteret, si vitam transactam respiciens, deprehenderes maximam partem pietati datam? Ecquid probas eam, quam hactenus tenuisti vivendi rationem? Quid prodest modo sensibus et corpori cuncta indulgisse, omnibus vitae commodis abundasse, ceteris excelluisse? . . . Et quid modo noceret, aegrotum, egentem, abjectum latuisse? Ah! unus erit dolor in morte, tepidum vixisse. Unicum erit solatium, pro Deo et anima continuo laborasse, plurima tulisse.

4. *Quomodo morieris?* Illane tua inter bonum et malum, inter teporem et fervorem perpetuo alternans inconstantia perseverantiae finalis securam tibi spem facit? Mors est echo vitae; *qualis vita, mors ita*<sup>1)</sup>, proin miraculum foret, si bene et sancte moreretur ille, qui male

---

1) S. Ambros.

et tepide vixit. Habesne rationem sperandi, te superatum ultimam tentationem illam, qua te stygius alastor sub vitae finem in illud notum tibi peccatum praecipitare omni vi conabitur? An non timendum, ne illa tibi dominans affectio, ni eam extirpes, daemone instrumentum sit, quo exspiraturo tibi insidias struat? Num aliquando singulare aliquod opus bonum patrasti, quod sperandae finalis gratiae et caelestis gloriae tibi fundamentum praebet? Numnam per poenitentiae opera contractum poenae reatum praevia satisfactione delevisti? Num purgantes flammam effugies? His rite perpensis, singularia concipe proposita chartae inscribenda: *Heu, quanta insania est, exiguis et brevi tempore duraturis deliciis aeternos emere dolores!*<sup>1)</sup>... *O quam felix et prudens est, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte*<sup>2)</sup>.

### III. *Spiritualis susceptio viatici et extremae unctionis.*

Optima quidem, imo praecipua praeparatio ad mortem in accurata animi expiatione consistit, nihilominus cum heri jam fusius de ea egerim, nullusque dubitem, eam ad mentem S. Patris nostri sub finem hebdomadae primae ita peractum iri, ut moribundis fundamentum sperandae salutis esse possit, ad alia gradum facio. Itaque finge, instantis te obitus jamjam admonitum in lecto lethaliter aegrotum decumbere viatico propediem muniendum, ac sacro oleo iniungendum.

Elicitis itaque majori cum fervore, breviter tamen, consecretis virtutum actibus, sacram Synaxin instar viatici per communionem spiritualem suscipies. Postea vero tange quinque sensus sacro oleo ungi solitos imagine penduli e ligno Christi, formando crucem, et devote pronuntiando

<sup>1)</sup> S. Hieronym. — <sup>2)</sup> Thom. a Kemp. l. 1. c. 23.

formulam cuilibet sensui, qui inungitur, propriam in hunc modum: Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat mihi Deus, quidquid per visum † per auditum † per odoratum † per gustum et locutionem † per tactum et gressum † per lumborum delectationem † deliqui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Simul tamen animo de peccatis per hos sensus admissis intense dolebis, et insuper placando Numini offeres dolores, quos Christus in his ipsis sensibus est peressus. Demum duplicem a Deo gratiam ferventer efflagitabis, plenam nempe omnium culparum et poenarum veniam, nec non perseverantiam finalem.

#### IV. *Spiritualis commendatio et decessio animae.*

Finge te a medicis omni jam spe dejectum agoni appropinquare, et tibi ab adstante Confessario Crucifixi effigiem una cum accenso cereo porrigi, simulque devoto moderatae vocis sono lente ac suaviter dici: *Proficiscere, anima Christiana, de hoc mundo etc. etc.* hodie adhuc habitatio tua erit in sancta Sion. Equidem illius necdum es segura; hinc geminam inter aeternitatem felicem et infelicem constituta, ac futurae sortis ignara paves et trepidas.

Verum *quare tristis es, anima mea, et quare conturbas te? Spera in Deo*<sup>1)</sup>, qui potest te, scit, et vult salvare; cum peccata tua utut magna, tamen semper minora sint miserationibus ejus. Pater est, qui infirmitatum filiorum miseretur, qui novit figmentum nostrum, *et cujus miserationes sunt super omnia opera ejus*<sup>2)</sup>. Et certe qui filium dedit, num caelum negabit? Ah! pupillam Dei laedit, de illius clementia qui diffidit.

Ad haec *advocatum habes apud Patrem Jesum Christum justum*<sup>3)</sup>. Illius vulnera interpellant pro te, illius

<sup>1)</sup> Psalm. 41, 6. — <sup>2)</sup> Psalm. 144, 9. — <sup>3)</sup> 1. Joan. 2, 1.

no tuus est sanguis Christi, tua sunt vulnera et merita Christi. Haec Justitiae appendendo plus solvis, quam debes. Ecce amor tuus crucifixus caput inclinat ad osculum, brachia extendit in amplexum, latus aperit in asyllum. In illo itaque spera. Dein defixo in Crucifixi effigiem obitu, quasi propediem moriturus, subunctos virtutum actus magno cordis affectu elice.

*Credo* in te summe veridicum. *Humilio* me ante te, ut sim nihilum. *Doleo* propter te offensum summum bonum. *Propono* potius mori, quam foedari etiam veniali eccato. *Spero* a tua misericordia veniam, gratiam, gloriam. *Amo* te summe amabilem propter te super omnia ex omnibus viribus meis. *Gratias* tibi ago summe benefico obit per vitae cursum collata mihi beneficia. *Desidero* ad ultimum finem meum. *Nam creasti me ad te, et in-sietum est cor meum, donec requiescat in te*<sup>1)</sup>.

O sacrosancta Trinitas! da gratiam finalem. Cupio absolvi, et esse cum Christo. O gaudia vere infinita, quae reparavit Deus diligentibus se! O Deus meus et omnia! volo absolvi sacramentaliter, et lucrari omnes indulgentias in morte lucrandas. O Domine! in manus tuas commendo spiritum meum. Jesu! Maria! Joseph!

### V. *Sensa animae post mortem.*

His virtutum actibus persolutis, finge cogitatione, te respirasse, jamque relicto hoc mundo migrare te in domum eternitatis, iudicio sisti, purgantibus flammis addici. Moxue flexis adhuc ad oratorium genibus quam brevissime sequentia perpende.

1. Quando anima corpore egressa, relictis tuis illis in variis rebus, ex cubiculo vel domo tua in alterum orbem migrabit, quo tunc oculo aspiciet tuas illas reculas,

---

<sup>1)</sup> S. August. lib. conf.

tuum illud cadaver? ... Quomodo tunc hoc habuisse, illis vero usam fuisse optabit? Quale tunc de honoribus, de commendata hactenus indifferentia iudicium feret?

2. Quid sentiet sub primum in lustricum carcerem ingressum de malitia peccati venialis, de voluntaria vitae asperitate, de virtutis perfectionisque studio? Age, quid prodest nunc, per vitae cursum omnibus commodis, dignitatibus, deliciis abundasse, et sic purgantes rogos auxisse? Contra vero, quid nocet miserum, pauperem, contemptum vixisse, et sic piacularis ergastuli poenas evasisse, vel saltem minuisse?

3. Si mortuo tibi ad vitam redeundi copia fieret, simulque ab angelo custode praediceretur, te post mensem denuo fati concessurum, quam vivendi rationem brevi hoc tempore inires? His aliquantum perpensis et renovatis, quae hactenus formaveras, propositis deinceps te gere tanquam homo a morte redivivus, et a iudicio ac purgatorio redux, cui post unum circiter mensem denuo sit moriendum. Enimvero *beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem, seque parantem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum*<sup>1)</sup>.

---

### MEDITATIO III.

## DE FILIO PRODIGO.

### Punctum I.

Considera filium prodigum accepta substantia sua *peregre proficiscentem in regionem longinquam*<sup>2)</sup>, ubi tres circumstantiae sunt perpendendae: 1. unde, 2. quo, 3. quare proficiscatur. Inprimis discedit a patrum optimo, a quo

---

<sup>1)</sup> Matth. 24, 47. — <sup>2)</sup> Luc. 15, 12 et 13.



tenerrime amabatur: ex domo paterna, ubi omnibus abundabat: a domesticis et notis, a quibus summopere colebatur. 2. Et inde concedit *in regionem longinquam*, sibi ignotam, a patria remotissimam, *terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum*<sup>1)</sup>. 3. Illucque concedit ex mera petulantia, levitate, protervia; quia nolebat vivere in eo loco, munere et statu, in quo eum pater degere volebat; nempe in domo paterna, in societate morigeri fratris, inter occupationes domesticas; ob cujus aequilibrum defectum postea incidit in tot tantasque calamitates.

Hanc parabolam jam tibi applica, et historiam esse deprehendes. Nam omne peccatum grave est discessus a Deo, separatio a Deo, desertio Dei. Quotiescunque ergo lethali noxa te obstrinxisti, Deum deseruisti, ah Deum! patrem tui amantissimum, providentissimum, liberalissimum, centrum omnis felicitatis et gloriae, fontem omnis quietis et laetitiae.

Et abiisti, o te infelicem! ad statum peccati, quo nihil remotius a caelo, ad fontem omnis inquietis ac perturbationis, ad centrum omnis miseriae et calamitatis. Idque fecisti propter . . . heu pudor resorbet vocem! Item a tuo Creatore *toties elongasti fugiens*<sup>2)</sup>, quoties a fervore in teporem prolapsus *dereliquisti fontem aquae vivae, et fodisti tibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas*<sup>3)</sup>. Quoties ob defectum aureae illius indifferentiae etiam tu vitam transigere statuisti alio in loco, munere et statu, quam supremum Numen ab aeterno ordinaverat. At vero o quot afflictionum ea tibi res infelix scaturigo fuit!

O Pater misericordiarum! equidem jure metuo, ne etiam me feriat illud fulmen, quod Israelitis intentasti: Vos

<sup>1)</sup> Job. 10, 21 et 22. — <sup>2)</sup> Psalm. 54, 8. — <sup>3)</sup> Jer. 2, 13.

*reliquistis me, et ego relinquam vos*<sup>1)</sup>. Verum, licet ego abjecerim, quod est filii; tu tamen non amisisti, quod est patris. Hinc miserere mei, et funiculis gratiae, vinculis charitatis fugientem reduc ad te.

## Punctum II.

Considera filium prodigum porcos pascentem<sup>2)</sup>, et quidem 1. nudum et egenum: *coepit egere*. 2. fame morientem: *fame pereo*. 3. derelictum ab iis ipsis, quibuscum substantiam suam dissipaverat: *adhaesit uni civium*. 4. ab illo ipso, cui servierat, domino crudeliter habitum: *misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*. En! figuram animae, omnium Conditorem per lethalem noxam omnino deserentis, vel per veniales culpas a statu fervoris ad statum teporis tanquam in regionem longinquam declinantis: *Jussisti Domine et sic est, ut poena sua sit sibi omnis inordinatus animus*<sup>3)</sup>. *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum*<sup>4)</sup>.

Nam etiam talis anima dissipat substantiam suam, nempe gratiam, tempus, talenta, vivendo si non luxuriose, saltem parum religiose. Quippe etiam illa 1. est *nudu* et *egena*: nuda; quia stola gratiae exuta: egena; quia divinis luminibus et auxiliis destituta, et a stygiis insuper latronibus vulnerata. 2. Etiam illa fame perit. Nauseat enim caeli manna seu meditationem, fastidit panem angelorum, sacram Eucharistiam, horret reliqua pietatis exercitia, quae animi vigor sustentatur; solis siliquis, nempe sensualitatibus, illecebris, commoditatibus stulta ingluvie inhiat.

3. Etiam illa destituitur, ridetur, ac proditur ab illis ipsis, quorum amore Numen offenderat; justa talionis poena, ut quae Creatorem ob res creatas deseruit, ab his quoque pari perfidia deseratur. 4. Denique ab illis ipsis passioni-

<sup>1)</sup> 2. Paral. 12, 5. — <sup>2)</sup> Luc. 15, 14 et seq. — <sup>3)</sup> S. August. lib. 1, conf. cap. 12. — <sup>4)</sup> Rom. 2, 9.

bas pravisque appetitibus, quibus caecam servitutem servit, misere habetur et tractatur. Illa ipsa superbia in summas eam confusiones, ille ipse commodorum amor in maximas eandem molestias perducunt praecipitantque. Quin imò sicut filius prodigus *cupiebat implere ventrem suum siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi dabat*<sup>1)</sup>; ita etiam tali homini illae ipsae voluptates, quarum spe summum Bonum dereliquit, vel negantur, vel subtrahuntur, vel per immissa taedia et conscientiae morsus horrendum in modum amarificantur. O vere miserum ac deplorandum talis animae statum!

O quam bene interea hujus prodigi germano fratri apud patrem fuerat! Longe majores miser hic transfuga expertus est difficultates velificando appetitui, quam domi exantlare debuisset serviendo patri. Pari fato fervidi in via virtutis longe minores sentiunt molestias obediendo gratiae, quam dissoluti cedendo naturae, et viam teporis decurrendo. Nempe, *qui timet pruina, irruet super eum nix*<sup>2)</sup>; *et qui fugit arma ferrea, irruet in arcum aereum*<sup>3)</sup>.

## Punctum III.

Considera filium prodigum ad patrem revertentem<sup>4)</sup>. Tria eum ad hoc impulere incitamenta, 1. recordatio felicitatis praeteritae et abundantiae domus paternae: *mercenarii in domo patris mei abundant panibus*. 2. contemplatio praesentis miseriae: *ego hic fame pereo*. 3. consideratio misericordiae optimi patris: *ibo ad patrem*.

Haec eadem motiva rite expensa etiam tibi persuadebunt seriam mentis conversionem ad Deum celeremque reditum ad finem ultimum. Nempe 1. *memoria felicitatis* illorum annorum, quibus Creatori unice serviendo et virtutem genere sectando caelesti pace fruebaris. 2. *com-*

<sup>1)</sup> Luc. 15, 16. — <sup>2)</sup> Job. 6, 16. — <sup>3)</sup> Job. 20, 24. — <sup>4)</sup> Luc. 15, 17.

*paratio miseriae praesentis status teporis cum beatitate prioris status fervoris, solus ubi Deus sapiebat. 3. consideratio Bonitatis divinae dissimulantis peccata propter poenitentiam*<sup>1)</sup>); quae peccatorem per avia et devia errantem benigne revocat, tardantem patienter expectat, et demum redeuntem suavi amplexu et osculo, stola prima et annulo excipit, induit, ornat.

Ipsa Christi verba hanc Patris divini benignitatem depraedificantis attulisse juvat; cum singulari virtute polleant, ream mentem ad veniae spem erigendi. Sunt autem haec: *Cum adhuc longe esset, accurrens pater* (en! miserendi promptitudinem) *cecidit super collum ejus, et osculatus est eum* (en! affectus teneritudinem) *et dixit: Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus* (en! gratiae plenitudinem). *Et occidite vitulum saginatum, et manducemus, et epulemur* (en! gaudii magnitudinem). Haec ipsa autem offensi patris tam *prompte, tenere, plene et laetanter* ignoscendi facilitas incitamento sit ad eum poenitenti animo redeundi.

### Affectus.

Elicendi sunt ii ipsi, quos redux ad patrem degener filius elicit, videlicet 1. *dolor* de praeteritis, et quidem intensus; *Pater peccavi in caelum et coram te*. Enimvero meruissem mille fulminibus in tartara praecipitari; et tu nihilominus non solum parcis immerenti, sed ultro ad te, ut revertar, invitans. Tu primus in amplexu ruis pessimi filii optimus pater. Brachia expandis ad me recipiendum, caput inclinas ad me osculandum, gratiae stola tam impie perdita me iterum vestis, amoris anulum tam perfide abjectum denuo reddis; quin instructo etiam convivio pane angelorum in sacra Synaxi languentem reficis.

O misericordiam vere infinitam! Ah! tantae bonitati

<sup>1)</sup> Sap. 11, 24.

et elementiae obluctari haud amplius valeo. **Eu!** redeo ad te: reducem ac poenitentem non repelles, qui fugitivum et peccantem tam patienter tolerasti, tam amanter revocasti. **Heu!** ego te offendi! ah! fluite lacrimae! servus Dominum, homo Deum, filius patrem, et quidem talem tantumque patrem . . . post tot beneficia . . . per tam immanem contemptum. . . O quis mihi det, ut sit *magna velut mare contritio mea*<sup>1)</sup>, qua defleam meas a fine ultimo aberrationes!

2. *Horror* a futuris et quidem efficax. Fixum est, etiam ego cum filio prodigo *surgam, et ibo. Surgam sus e volutabro luti*<sup>2)</sup>. Rumpam vitiorum compedes. *Ibo* per viam mandatorum et semitam virtutis: *ibo* ad patrem meum, revertar ad ultimum finem meum. *Testes hodie invoco coelum et terram*<sup>3)</sup>, quia *juravi, et statui custodire iudicia justitiae tuae*<sup>4)</sup>, *o Deus cordis mei!*<sup>5)</sup> Ratum animo sedet: tibi posthac serviam eo prorsus, quo tu volueris, modo cum plena ad quidvis indifferentia.

3. *Actus demissionis* cum execratione superbiae. *Jam non sum dignus vocari filius tuus. Ah! quam fronte attollam oculos ad vultum tam boni patris tam malus filius?*<sup>6)</sup> **Heu!** peccator sum non solum indignus omni honore et laude, omni honorifico munere et loco; sed insuper dignus aeterno omnique possibili opprobrio. **En!** igitur paratum me et indifferentem ad omnes contemptus ac vilipensiones, ad omnem stationem et occupationem etiam famae et existinationi contrariam, ad omnem etiam vilem in Religione gradum.

4. *Actus odii sui ipsius* cum detestatione sensualitatis et avaritiae. *Fac me unum de mercenariis tuis.* Execror amorem proprium, qui mihi auctor fuit, ut relicto patrum optimo in regione longinqua dissiparem substan-

---

1) Thren. 2, 13. — 2) 2. Petr. 2, 22. — 3) Deut. 4, 26. — 4) Psalm. 118, 106. — 5) Psalm. 72, 26. — 6) Bern. serm. 16. in Caut.

tiam meam vivendo luxuriose vel saltem tepide. *Perfecto odio odi me ipsum*<sup>1)</sup>, qui corporis blandimenta et boni peritura sectando, verum et infinitum bonum amisi. Tandem sapias anima mea, quod *tibi non sufficit, nisi qui te creavit. Quidquid aliud petis, miserum est, quia tibi solus potest sufficere, qui ad similitudinem suam te fecit*<sup>2)</sup>. Statutum ergo est, vindices a me ipso proprius ultor repetam poenas. Hunc in finem promptum me offero ad subeunda quaevis opera poenalia, ad exantlandos quosvis labores, ad tolerandas quasvis molestias, ut laesae Justitiae fiat satis. Mihi abjecto carnis mancipio ac rebelli servo non nisi dura et aspera, non nisi adversa et aerumnae debentur. *Virga et onus asino*<sup>3)</sup>.

5. *Cognitio sui ipsius. O Deus miserationum!*<sup>4)</sup> equidem in prodigo hoc ac degeneri filio tanquam in speculo miserrimum animae meae statum clare cognosco. Nam laceri illi ac semiputridi centones, porcorum, quos redolent odor, confecta macie facies, corruptus siliquis stomachus, corpusque seminudum tristis figura sunt animae meae gratiis nudaе, bonis operibus vacuae, peccatorum maculis sordidae, orci furno afflatae, horrendum foetentis, manna nauseantis, et cepas appetentis. *Et hinc despicio me, ac projicio in profundum vilitatis meae*<sup>5)</sup>.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi. lib. 4. cap. 2 et 9.

<sup>1)</sup> Psalm. 138, 22. — <sup>2)</sup> S. August. — <sup>3)</sup> Ecol. 33, 25. — <sup>4)</sup> 2. Esdr. 9, 31. — <sup>5)</sup> Thom. a Kemp. l. 4. c. 2.

## ADMONITIO PRO DIE QUARTA.

„Peccati gravitate et supplicis territi, atque insuper novissimorum memoria permoti statumus cum filio prodigo, relicta vitiorum, per quae ab ultimo fine nostro aberravimus, semita, redire in viam salutis, Deoque servire ea, qua voluerit ratione; nempe in eo vitae

stata, aut in electo jam statu, in eo perfectionis gradu, quem ille nos eligere, aut conscendere statuerit.

Cum vero *viam* nesciamus, per quam ambulemus, et *modum* ignoremus, quo id perficiamus; opus est nobis *duce*, quem sequamur, et *exemplari*, quod imitemur. De utroque Divinus Pater orbi benigne providit, mittendo nobis filium suum unigenam Jesum Christum, ut sit nobis *dux viae*, per quam gradiamur, et *exemplar vitae*, quam exprimamus.

Ad hujus ergo imitationem sequens meditatio generatim nos incitabit; dico: *generatim*; nam in quibus, vel quomodo *singulatim* aemulandus sit, reliquae exercitationes docebunt. Fructus igitur ex prima hac praesentis diei commentatione colligendus, est firmum animi decretum, deinceps Deo serviendi imitando Christum; hunc vero imitandi illa, qua ei placuerit, methodo, quamque nobis in his exercitiis indicare dignabitur.“

---

## DIES QUARTA.

„Visitavit nos Oriens ex alto; illuminare his,  
qui in tenebris et in umbra mortis sedent;  
ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.“

Luc. 1, 79.

### MEDITATIO I.

## DE REGNO CHRISTI.

### Punctum I.

Nos Christum sequi est *aequum* I. ob *dominium*, quod in nos habet. Nam ad eum pertinemus, illeque nostrorum Rex cordium est I. *jure belli*; quia *populus acquisitionis* sumus<sup>1)</sup>, quem, everso daemonis imperio, cruenta quidem victrici tamen morte sibi acquisivit. 2. *Titulo emptionis*; emit enim nos Dominus<sup>2)</sup>, dum sui sanguinis lytro ex orci mancipatu nos exemit. 3. *Titulo donationis et hereditatis*; nam *omnia dedit pater in manus ejus*<sup>3)</sup>, eumque *constituit heredem universorum*<sup>4)</sup>. *Titulo electionis*, qua ille nos servos et clientes, nos vero illum regem et ducem elegimus tum in baptismo daemone, mundo et carni renunciando, tum in statu religioso solemnibus votis nos eidem obstringendo; ita ut cuius nostrum dici possit, quod olim Moyses Israeli: *Tu Dominum elegisti, ut ambules in viis ejus; et elegit te Dominus, ut sis ei populus peculiaris, populus sanctus*<sup>5)</sup>. Et his perpensis dubii adhuc nutemus, num hujus Domini,

<sup>1)</sup> 1. Petr. 2, 9. — <sup>2)</sup> 2. Petr. 2, 1. — <sup>3)</sup> Joan. 3, 35. —  
<sup>4)</sup> Hebr. 1, 2. — <sup>5)</sup> Deut. 26, 17 et seq.



cui tot nominibus devincti vivimus, vestigiis inhaerere velimus? . . . Praeterea sub hoc Duce nos militare justum est

II. *ob conditiones*, quas ponit; nam omnia belli incommoda illi nobiscum erunt communia, scilicet victus et vestitus, labores et vigiliae, vulnera et aerumnae. Imo pericula ipse prior adibit, obstacula praevis ipse complanabit, pugnae impetum primus ipse sustinebit. Victoria erit certa, triumphus eminens, corona immortalis. Quid, quaeso, aequius exigi, quid efficacius ad persuadendam ejus sequelam afferri possit? . . . Denique caelestem hunc Regem nos imitari par est

III. *ob finem*, quem intendit, quique duplex est, 1. *gloria Numinis* procuranda per vitii exterminium et virtutis exercitium; *ut glorificetur pater in filio*<sup>1)</sup>. Quae gloria, cum unica omnium operationum totius SS. Trinitatis meta existat, suae dignitatis excellentia eminenter superat, quidquid Deus non est. 2. *Beatitudo hominis; venit enim filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat*<sup>2)</sup>. Quae beatitas, cum objective eadem quoad substantiam cum illa sit, qua ipsum Numen fruitur, scilicet infinita et aeterna, incomprehensi pariter pretii est. Unde patet, hoc sine praestantiorem nullum, nullum utiliorem excogitari posse. Quis ergo inficias ibit, nos Christum sequi ob tres allatas rationes aequissimum esse?

Est enimvero aequissimum: *Proin vivit Dominus, et vivit Dominus meus rex; quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus*<sup>3)</sup>.

#### Punctum II.

Christum sequi est nobis *honorificum* I. *ob Ducis excellentiam; est enim caput omnis principatus et potestatis*<sup>4)</sup>, *Rex gloriae*<sup>5)</sup>, *imago Dei*<sup>6)</sup>, *figura substantiae*

<sup>1)</sup> Joan. 14, 13. — <sup>2)</sup> Luc. 19, 10. — <sup>3)</sup> 2. Reg. 15, 21. — <sup>4)</sup> Coloss. 2, 10. — <sup>5)</sup> Psalm. 23, 10. — <sup>6)</sup> 2. Cor. 4, 4.

ejus<sup>1)</sup>: in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi<sup>2)</sup>, cui inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter<sup>3)</sup>, cui data est omnis potestas in caelo et in terra<sup>4)</sup>, in cujus nomine omne genu flectitur caelestium, terrestrium et infernorum<sup>5)</sup>. Et hunc Ducem tu sequi horreas, cum rebellibus illis civibus exclamando: *Nolumus hunc regnare super nos?*<sup>6)</sup> Absit, o Jesu! haec perfidia a me. *Tu Dominus meus et Deus meus.* Te praeceuntem comitari mihi summo honori est, etiam

II. *ob servitii eminentiam.* Quippe tam excellenti Domino constanter servientes fiunt 1. reges; ei enim servire regnare est. 2. Dii, secundum illud regii Psaltis effatum: *Dixi: Dii estis*<sup>7)</sup>. 3. Amici, filii et heredes: *Vos amici mei estis*<sup>8)</sup>, et *fili excelsi omnes*<sup>9)</sup>; *vos heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se*<sup>10)</sup>. Quid gloriosius dici possit?

Et profecto omnis principum hujus mundi et Regum majestas huic excelsae servituti comparata ipsa vilitas, ipsa abjectio et obscuritas est. Nempe *gloria magna est sequi Dominum*<sup>11)</sup>. O mortales! aures, quaeso, arrigite, et caeleste hoc oraculum adorete: *Gloria magna est sequi Dominum*, id ipsum Numen, ne ullus dubio supersit locus, divina sua fallique nescia auctoritate asserit, et confirmat. Igitur *ne inferamus crimen gloriae nostrae, ut fugiamus a cruce*<sup>12)</sup>, quae est vexillum Christi.

### Punctum III.

Christum sequi *facile est ac jucundum*, 1. ob *viam*, qua praeit: 2. ob *auxilium*, quod concedit: 3. ob *socios*, quos adjungit. Nam ejus vestigia generose prementibus in via virtutis mira metamorphosi sua sponte eunt *prava in directa, et aspera in vias planas*<sup>13)</sup>. Caelesti gratia

1) Hebr. 1, 3. — 2) Coloss. 2, 3. — 3) Coloss. 2, 9. — 4) Matth. 28, 18. — 5) Philipp. 2, 10. — 6) Luc. 19, 14. — 7) Psalm. 81, 6. — 8) Joan. 15, 14. — 9) Psalm. 81, 6. — 10) Jac. 2, 5. — 11) Eccli. 23, 38. — 12) 1. Mach. 9, 10. — 13) Luc. 3, 5.

blevati per quaevis horrida, quasi sensus expertes, non um ambulat quam volant. Sociorum exemplis animati, ) laeti eluctantur, quo pariter tot alios una tendere rnunt.

Experientia docti sole clarius agnoscunt, duriores esse ias mundi quam Christi, pluresque molestias occurrere in emita teporis quam fervoris. Gratiae balsamo tinctis ipsae pinae molles rosae videntur. Sola haec tessera: *Potue-unt isti et istae*, omnem rei arduitatē mitigat, ac tollit. Inno verbo: *viae ejus* (nempe Christi) *viae pulchrae sunt*<sup>1)</sup> b virtutis amoenitatem: *jugum ejus jugum suave est* ob actionis suavitatem: *onus ejus onus leve est*<sup>2)</sup> ob comilitonum societatem. Et hanc tu viam premere, hoc tu igum subire, hoc onus tu ferre segnis recuses? et quidem illa societate recuses, in qua tot heroes Christum co-ntari facile ac jucundum esse fuso etiam sanguine identi-em testantur. Proh! degenerem animum ac Christiani omine indignum!

Pone tibi ob oculos humanum regem (haec S. Ignatii mparatio est) summis naturae et gratiae dotibus ornatum, e divinitus electum, ut regiones universas suae ditioni eraeque fidei subjiciat; hunc, inquam, imaginare tibi sub-itos ad belli societatem amicissime invitare, condiciones equissimas, summe honorificas, nec non faciles ac jucun-as proponere, atque jurejurando promittere se cunctis, emper et in omnibus exemplo praecitutum, eodem cum iis ictu et vestitu usurum, easdem cum illis vigilias, eosdem ibores subiturum; edic jam, an non vilissimi fungi por-entum foret ille omnium vituperio dignissimus, qui eidem omes ire detrectaret?

Jam vero *si terrenus Rex cum bellica sua evocatione ignus est, cui attentio et obsequium praestetur*<sup>3)</sup>: quanto

1) Prov. 3, 17. — 2) Matth. 11, 30. — 3) S. Ignat. in contempl.: regno Chr. partis 2 puncto 1.

magis Christus id a nobis meretur ob dominium, quod in nos habet, ob condiciones, quas ponit, ob finem, quem intendit. Quanto magis nos decet, divinum hunc Ducem comitari ob ejus personae excellentiam et servitii eminentiam, ob sequelae facilitatem et viae jucunditatem. Certe S. Pater jure concludit, *neminem sanae mentis fore, qui non cupidissime Christo se totum offerat, ejus famulatus se ex asse addicat*<sup>1)</sup>, atque liberali mente erumpat in sequentes.

### **Affectus.**

*En! o Rex supreme ac Domine universorum, tua ego, licet indignissimus, fretus tamen gratia et ope, me penitus offero, meaque omnia tuae subjicio voluntati: attestans coram infinita bonitate tua, nec non in conspectu gloriosae Virginis Matris tuae totiusque curiae caelestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut dummodo in majorem laudis tuae et obsequii mei proventum cedat, quam possim, proxime te sequar, et imiter in ferendis injuriis et adversis omnibus cum vera tum spiritus tum etiam rerum paupertate; si inquam, sanctissimae tuae majestati placeat ad tale me vitae institutum eligere atque recipere*<sup>2)</sup>.

Et vero quid justius est, quam ut famuler tibi, ad quem totus pertineo, a quo omnia habeo, timeo, et spero, sine quo nihil valeo? Quid gloriosius et jucundius est, quam servire tibi, cujus servitium potius imperium ac dulcis paradisi est? Et tamen o quoties dixi: *Non serviam*. Quoties o Domine! jugum tuum jugum suave, onus tuum onus leve rebellis et contumax servus excussi.

At fateor: *Erravi sicut ovis, quae periit*<sup>3)</sup>. Jam autem en! sponte do manus in vincula, jugoque tuo cervicem suppono. *Sequar te, quocunque ieris*<sup>4)</sup>. *Abjiciam*

<sup>1)</sup> Ibid. puncto 2. — <sup>2)</sup> Ibid. puncto 3. — <sup>3)</sup> Psalm. 118. 176.  
— <sup>4)</sup> Matth. 8. 19.

*opera tenebrarum*<sup>1)</sup>; sequens te *intelligentiae solem*<sup>2)</sup>, induam *arma lucis*, militans sub tali duce<sup>3)</sup>, *inspiciam, et faciam secundum exemplar*, quod mihi a te monstrabitur<sup>4)</sup>. Solummodo tu *doce me facere voluntatem tuam*<sup>5)</sup>, et *notam fac mihi viam, in qua ambulem*<sup>6)</sup>; id est, edoce modum, quo te imitari me cupis. En! promptum me et indifferentem ad omnia.

O pater aeternae! *ego servus tuus sum et filius ancillae tuae*<sup>7)</sup> matris Ecclesiae. Hinc serviam tibi Creatori meo, tendamque ad ultimum finem meum, determinate imitando Christum, ejusque vestigia premendo, et quidem ea ratione, qua id te velle, in his exercitiis intellexero. *Fidelis Deus, per quem vocati sumus in Societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri*<sup>8)</sup>; et ideo gaudio exultans, *miseritordias Domini in aeternum cantabo*<sup>9)</sup>. *Benedictus Dominus in aeternum!*<sup>10)</sup>

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 1. cap. 1, lib. 2. cap. 2.

---

## LECTIO

### DE IMITATIONE CHRISTI.

#### §. I.

1. *Finis et scopus* (Directorii verba sunt), *qui exercitiis omnibus primae hebdomadae praefixus est*, hic praecipue est, 1. *cognoscere, quod erravimus ab ea via, quae nos ducere debebat ad ultimum finem, cujus causa creati sumus*: 2. *et consequenter dolere de tali ac tanto errore*: et 3. *concupere intensum desiderium, extirpata malorum*

---

1) Rom. 13, 12. — 2) Sap. 5, 6. — 3) Rom. 13, 12. — 4) Exod. 25, 40. — 5) Psalm. 142, 10. — 6) Psalm. 142, 8. — 7) Psalm. 115, 16. — 8) 1. Corinth. 1, 9. — 9) Psalm. 88, 2. — 10) Ibid. 53.

radice, *redeundi in illam viam, atque in ea semper perseverandi*<sup>1)</sup>).

Omnia haec executioni mandare elapsis diebus conatus sumus. Nam 1. per intimam animi inspectionem nostrique ipsius *cognitionem* proprias a fine ultimo aberrationes attoniti agnovimus. 2. Has *dolore* de praeteritis, et *horrore* a futuris tum expiare, tum cavere satagemus. 3. Quin ipsas etiam malorum *radices* pro viribus extirpare contendimus; imo ad patrem cum filio prodigo poenitentes reipsa redivimus, concepto adamantino decreto, deinceps Optimo Numini nunquam labefactanda constantia serviendi, et quidem, qui aureus commendati hactenus aequilibrii effectus est, eo, quo ipse voluerit, *modo*.

II. Porro hic modus haud alius est quam *imitatio Christi*. Vult quippe aeternus Pater, ut ei famulemur nominatim imitando Christum. Nam *in hoc vocati sumus*, ait Apostolorum Princeps Petrus, ut non solum eum audiamus secundum illud delapsum caelo oraculum: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*<sup>2)</sup>; sed etiam *ut sequamur vestigia ejus*<sup>3)</sup>. Et merito; *ipse est enim exemplar a Patre hominibus propositum, ut ejus imitatione emendemus, et componamus mores corruptos, et dirigamus pedes nostros in viam pacis*<sup>4)</sup>. Adeoque in Christi imitatione consistit peculiaris ille modus, quo supremum Numen a nobis mortalibus coli cupit; uti ex sequentibus magis elucescet.

Nam vult Deus, ut ei deserviamus ea ratione, quae cujusvis conditioni *propria* et cuilibet ad salutem *necessaria* est. Id autem Christianis Christi imitatio est. Sicut enim servire Creatori est finis essentialis et proprius hominis; sic imitari Christum est finis essentialis et proprius Christiani. Nam S. Gregorio Nysseno *Christianus est alter Christus*<sup>5)</sup>, seu est homo vita et moribus referens Christum;

1) C. 18. n. 1. — 2) Matth. 17, 5. — 3) 1. Petr. 2, 21. —

4) Direct. c. 18. n. 2. — 5) Serm. de perfecta forma hominis Christiani.

id autem fieri nequit sine ejus imitatione. Ergo nemo Christianus est, qui Christi imitator non est. Ergo Christum imitari cuilibet Christiano essentielle ac *proprium* est.

Quin et summe *necessarium* id est ad ultimum finem consequendum. Nam sicut nemo caelorum sedibus potietur, qui Deo non recte servierit; pari ratione nullus aeterna beatitate donabitur, qui Christum aemulatus non fuerit. Id ipse Servator docet, dicens: *Nemo venit ad Patrem, seu in caelum, nisi per me*<sup>1)</sup>, id est interprete Cornelio, *nisi me imitando*<sup>2)</sup>. Solus enim ille est *via, quae ducit ad vitam*<sup>3)</sup>, quam qui optat, *debet* (en! necessitatem), *debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare*<sup>4)</sup>; id est, ut exponit Salmeron, *debet illum sequi in Christianis actionibus et virtutum officiis*<sup>5)</sup>.

Praeterea, quos Deus praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui<sup>6)</sup>. Ergo nemo electis annumerabitur, qui Christo conformis non fuerit; nemo autem conformis erit, qui ejus vestigiis insistere abnuerit. Ergo aliqua saltem ejus imitatio adultis *necessaria* est ad salutem. Adeoque haec est ille modus, quo Deus nos sibi famulari cupit. Proin sicut haec veritas: *Serviendum est Deo*, erat veritas fundamentalis hebdomadis primae; ita et haec: *Imitandus est Christus*, est lapis angularis hebdomadis secundae.

III. Haec hebdomas secunda cum meditatione matutina incepit, et *respondet viae illuminativae, quia ejus finis est proponere sibi Christum Dominum ac Salvatorem nostrum ut veram viam; Christus autem est Sol justitiae, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; et ad hoc venit, ut illuminaret sedentes in tenebris et in umbra mortis*<sup>7)</sup>, suarumque virtutum radiis illustratos ad eas sectandas pelliceret, et incitaret. Sive

1) Joan. 14, 6. — 2) Cornel. a Lapide in hunc locum. —

3) Matth. 7, 14. — 4) 1 Joan. 2, 6. — 5) Salmeron tom. 16. disp. 13. in hunc locum. — 6) Rom. 8, 29. — 7) Dir. c. 18. v. 2 et 3.

hebdomas haec via lucis seu illuminativa dicitur; quia imitandum proponit illum, qui de se ipso enunciat: *Ego sum via*<sup>1)</sup>: *ego sum lux mundi*<sup>2)</sup>, *quam qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae*<sup>3)</sup>.

Quia vero *peccata et pravae affectiones obtenebrant animam, eamque impediunt et retrahunt a Christi imitatione; ideo haec prius eradicanda ex corde erant primis illis hebdomadis primae exercitiis et meditationibus; ne huic, quam secunda haec hebdomas intendit, virtutum insitioni ac Servatoris imitationi obstaculo forent*<sup>4)</sup>. Unde iterum ordinatissima compages Ignatianae Ascesis elucet, per priora ad sequentia animos aptissime comparantis.

Quod itidem in prima hodiernae diei commentatione prudenti consilio observatur, ubi solum *generatim* ad Christum Ducem sequendum incitatur, silendo adhuc de methodo, qua is a nobis singillatim imitandus sit; ut nempe voluntas quasi per gradus ab universalibus ad singularia descendendo, per faciliora ad magis ardua leniori gressu perducat. Et hinc fructus ex dicta contemplatione colligendus non erat nisi generale decretum deinceps Deo serviendi per imitationem Christi, dissimulando adhuc, quo in statu, quibus in rebus, quave ratione ejus vestigia sectaremur.

## §. II.

I. Porro dicta exercitatio inscribitur *contemplatio de regno Christi*; quia Salvatorem exhibet instaurantem Patris divini regnum per Adami praevaricationem devastatum, illudque redintegrandum vitia debellando, virtutibus praelucendo, suoque nos exemplo ad sui sequelam et armorum societatem invitando.

Praeterea haec commentatio *est quasi fundamentum*

---

1) Joan. 14, 6. — 2) Joan. 8, 12. — 3) Joan. 8, 12. — 4) Directorium c. 18. num. 2 et 3.



*lam aut prooemium* <sup>1)</sup> omnium sequentium tum mensum, tum hebdomadum; non secus ac illa veritas de hominis ex mente S. Patris est *principium ac fundamentum*, cui tota exercitiorum moles innititur <sup>2)</sup>). Nam

haec posterior contemplatio reliquum omne aedificium uale sustentat; cum illa quoque miro nexu influat in subjungendas exercitationes, et praesertim in *electio-methodi* Christum sequendi, seu normae perfectioris deinceps ad ejus imitationem singillatim instituendae, maximam partem hinc dependet. Quomodo enim eligas aut determinabis modum, quo Christum velis imitari, prius fixum tibi animo sedeat, quod eum velis aemulari. Et hinc *primum hoc* hebdomadis secundae *exercitium igno Christi* eodem prorsus modo, quo illud de fine iis, a S. P. Ignatio *extra ordinem meditationum* ur, utpote *pariter fundamentum quoddam omnium* um <sup>3)</sup>). *Nec computatur inter meditationes* secundae

hebdomadis; nam *diei primae meditatio prima est incarnatione Domini* <sup>4)</sup>); sicuti exercitium primum hebdomadis primae erat de lapsu angelorum. Nec intra unius diei angustias a S. Fundatore coarctatur; nam integram quasi intercalarem etiam huic veritati, non secus atque illi de fundamento seu fine hominis exputandae S. P. Ignatius; hoc ipso, quod nullam aliam praesenti hac luce assignet, sed tantum *his interdum, mane scilicet*

*hora prandium vel coenam praecedente hanc eandem repeti cupiat* <sup>5)</sup>). Quod vero id a nobis non observandum; octidui limites obstaculo sunt. Qui autem ad plures exercitia extendere statuunt, iis huic contemplationi pro die immorandum erit.

Ex his patet, quanto fervore et animi contentione huic

Direct. c. 19. num. 1. — <sup>2)</sup> Direct. c. 12 num. 1. — <sup>3)</sup> Diertins in notis ad hanc medit. ad finem. — <sup>4)</sup> Direct. cap. 19. num. 1. Lib. exercit. ad fin. hujus medit.; item Diertins in notis ad hunc

exercitationi de regno Christi vacandum sit; cum inde dependeat fructus omnis reliquarum functionum, et praecipue felix successus bonae electionis seu *emendationis ac reformationis circa vitae statum faciendae*<sup>1)</sup>. Quapropter crassissime errant illi, qui hanc commentationem, quae tamen ex primariis una est ac substantialibus, ut aiunt, vel omnino omittunt, vel obiter peragunt.

II. Accedit, quod ea triplici praeterea ex capite praestans omnino et excellens sit 1. ob *materiam*, quae in ea continetur: 2. ob *modum*, quo ea tractatur: 3. ob *fructum*, qui per eam intenditur. Ad ejus *materiam* quod attinet, est ea quaedam *summa ac compendium vitae et operum Christi Domini in eo negotio, quod ei commiserat Pater*<sup>2)</sup>; nempe in negotio augendae gloriae divinae, et reparandae salutis humanae, quarum altera per peccatum imminuta fuerat, altera penitus profligata.

Venit enim in hunc mundum, ut restauret regnum Dei per Luciferi et Adami rebellionem turbatum, reducendo homines suo exemplo ad finem ultimum, ob quem creati sunt, eosque inducendo ad inferendum bellum amoris proprio ejusque appetentis, per quas hujus regni tranquillitas cumprimis pessumdat. Quo opere praestantius nihil, nihil sanctius excogitari potest. Id ergo cum hujus exercitii materia sit, inde ejus excellentiam colligas licet.

Ad *modum* quod spectat, est is militari genio S. P. Ignatii accommodatus, cum desumatur *ex similitudine regis terreni subditos suos evocantis ad bellum*<sup>3)</sup>; quae comparatio mira vi pollet ad persuadendam Christi sequellam. Si enim *ignarus* audiret ille, qui Principem terrenum ejusmodi condiciones proponentem sequi recusaret; quis *sanae mentis* eum esse dixerit, qui Ducem divinum similes omnino, imo laetiores adhuc pactiones offerentem

---

<sup>1)</sup> Lib. exercit. ad finem hebd. 2. — <sup>2)</sup> Direct. cap. 19. num. 1.  
— <sup>3)</sup> Libellus exercit. hebd. 2. in titulo hujus exercitii.

negligeret sperneretve? quo enim veritas adjunctorum accessione illustrior evadit, eo potentior ad convincendum existit. Jure merito proin ex prioris *ignavia* posterioris *insaniam* infert S. Pater, dicendo: *non sanae mentis fore illum, qui non cupidissime, sed solum frigide, qui non perpetuo, sed solum ad tempus, qui non se totum, sed solummodo mutilum, et cum aliquarum rerum exceptione Christi servitio ac militiae devovet, addicitque*<sup>1)</sup>. Quod verissimum esse eo clarius deprehendetur, siquidem applicatio hujus similitudinis, a rege terreno desumptae, debito ad Christum modo referatur; si nempe dotes dotibus, virtutes virtutibus, conditiones conditionibus comparentur. Sic enim ex utriusque ducis, caelestis nempe et terrestri, differentia et adjunctorum diversitate argumenti vis et gradatio eo amplius elucescet.

Et certe si comparatio, quam Urias inter se et Joabum instituit, tantae efficaciae fuit, ut is coram Davide in haec verba eruperit: *Dominus meus Joab, et servi Domini mei super faciem terrae manent, et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, et per salutem animae tuae non faciam rem hanc*<sup>2)</sup>. Si, inquam, instituta haec Uriam inter et Joabum comparatio tantae efficacitatis fuit, ut relata paulo ante verba priori expresserit; quanto magis collatio principis humani cum Rege Christo ad hujus nos imitationem incitabit, atque ad aemulandas ejusdem actiones animabit? haec aut similia etiam nobis sensa exprimendo: *Jesus dux meus pauper, contemptus, dolores inter et aerumnas ignotus delitescit; et ego dives, honoratus, delicias inter et commoda molles transigam dies? per salutem tuam, et per salutem animae tuae non faciam rem hanc.* Ex his patet, modum, quo S. Pater ad Christi

<sup>1)</sup> In libello exercit. in hujus contemplationis parte 2. puncto 2. —

<sup>2)</sup> 2. Reg. 11, 11.

sequelam nobis persuadendam utitur, selectum omnino ac maxime obvium esse.

Denique *fructus*, qui per hanc contemplationem intenditur, in eo consistit, ut excitetur in nobis ardens desiderium imitandi submissum hunc caelitus Ducem, eique indefesse cooperandi in eo negotio, *quod dedit ei Pater, ut faceret*<sup>1)</sup>; quodque in eo positum erat, *ut clarificaret Patrem super terram, et manifestaret nomen ejus hominibus*<sup>2)</sup>; mortales, *expugnata carnis, sensuum, amorisque proprii ac mundani rebellionem*<sup>3)</sup>, ad ultimum eorum finem, Dei scilicet cognitionem et amorem, reducendo. Hoc autem scopo cum praestantior nullus, nullus nobis utilior, Numinique gratior designari possit, sequitur, hanc contemplationem non solum ob *materiam*, quae in ea continetur, et *modum*, quo ea tractatur; sed etiam ob *fructum*, qui per eam intenditur, nobilissimam omnino ac dignissimam esse, cui expendendae omni nos fervore impendamus. Praecipue cum S. P. Ignatius in hac exercitatione ipsam quodammodo Societatem suam pepererit, vel inchoarit; utpote in qua velut in radice aut semine tota Instituti perfectio abdita continetur<sup>4)</sup>.

Quid? quod ea insuper aptissima sit ad producendam in nobis illam Christi aestimationem, nec non amorem, qui requiritur, ut ad illius imitationem rite animemur. Nisi enim persona, quae aemulanda proponitur, aestimetur et ametur, exempli vis omnis plurimum obtundetur. Hinc S. Pater noster prudenti consilio in contemplatione de regno Christi nobis exhibet *dotes*, quibus ille excellit, et *conditiones*, quas nobis proponit, ut ex illarum excellentia et harum lenitate Ducis nostri excelsitatem ac bonitatem ponderare, et diligere discamus; sicque ad illius sequendi desiderium eo efficacius inflammemur.

---

1) Joan. 17, 4. — 2) Ibidem 6. — 3) In libello exercit. in hujus contemplat. partis 2. puncto 3. — 4) P. Gaudier cap. 16.

## §. III.

1. Ceterum Servator noster *vocat omnes homines in societatem tanti et tam gloriosi operis*<sup>1)</sup>, nempe ad inaugurandum illud spirituale regnum, quod dilatatur, promovendo ad imitationem Christi gloriam Dei per studium propriae aut etiam alienae perfectionis. *Vocat, inquam, omnes, nemine excepto; omnes enim nos posuit Deus in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cum illo, id est, sicut ille vivamus*<sup>2)</sup>; sed tamen *unumquemque vocat juxta statum suum*<sup>3)</sup>.

Vult enim, ut quilibet relicta a se vestigia sectetur in *ea vocatione, in qua unusquisque vocatus est*<sup>4)</sup>; id est, modo, qui convenit illi statui, ad quem quis a Deo electus est. *Alius quidem sic, alius vero sic*<sup>5)</sup>, ut ait Apostolus; iste in caelibatu, ille in conjugio, hic in Ordine ecclesiastico, alius in religioso; omnibus tamen imitandus est Christus ratione cujusvis conditioni ac vitae instituto conformi.

II. *Ex quo jam incipit apparere diversitas graduum in imitatione Christi, ut optime observat Directorium*<sup>6)</sup>. Hoc ipso enim, quod dentur diversi status, et in quolibet statu varii modi Salvatorem imitandi, perfectiores scilicet et minus perfecti; item hoc ipso, quod *unusquisque futurus sit particeps victoriae et felicitatis, prout laborum ac molestiarum socius fuerit*<sup>7)</sup>: manifestum est, etiam diversos hujus imitationis gradus numerari, qui consistunt in majori vel minori similitudine cum Christo, prout nempe plus aut minus quis laborum ejus in sacro hoc bello et acrumnarum socius et consors fuerit.

Horum graduum aliquos ipse S. Pater enumerat puncto tertio partis secundae hujus ipsius contemplationis, qui pe-

<sup>1)</sup> Direct. cap. 19. num. 1. — <sup>2)</sup> 1. Thessal. 5, 9. — <sup>3)</sup> Direct. ibid. loc. cit. — <sup>4)</sup> 1. Cor. 7, 20. — <sup>5)</sup> 1. Cor. 7, 7. — <sup>6)</sup> Direct. cap. 19. num. 1. — <sup>7)</sup> S. Ignatius in parte 1. puncto 2. contemplationis de regno Christi.

culiari attentione expendi merentur. Primus est *expugnatio rebellionis carnis, sensuum, amorisque proprii et iudicii*. Secundus *tolerantia laborum*. Tertius *pauper spiritus*. Quartus *paupertas rerum*. Quintus *fortitudo in ferendis injuriis et adversis omnibus*<sup>1)</sup>. Et qui hi duo postremi gradus sunt *majora et praeclariora munera*, ad quae ii ex mente S. P. Ignatii sese offerunt *qui se obsequiis illius prorsus duxerint esse mandantes*<sup>2)</sup>.

III. Porro ad omnes hos gradus, non minus quam omnem vitae conditionem, munus et locum, indifferenter nos esse oportet, ad solum Numinis imperium intentos. Nam serviendum est Deo imitando Christum; Christus tantum est imitandus in eo statu, aut in electo jam statu, in quo perfectionis gradu, in quo id se velle Deus in his conditionibus tempore electionis manifestarit; cum hac in re diuina voluntate nulla securior regula assignari possit. Et haec est principalis hujus hebdomadis veritas ac praecipuus eiusdem fructus; proinde iterato, ut altius animis haereat, cultanda.

Sicut ergo *serviendum est Numini*, quo decreverimus modo, ut priori hebdomade rei veritate convicti clare agnoscimus; ita quoque *imitandus est Christus*, qua aetate Patri placuerit ratione; nempe in illo statu, aut in electo jam statu in eo perfectionis gradu, in quo et quoniam aeternus Pater Filii sui vestigia a nobis premi volumus cum plena ad quidvis indifferentia, nihil excipiens, nullos gratiae limites ponendo, a nullo virtutis gradu horrendo, sed solum caeli nutum spectando.

Unde liquet, aureum illud ad omnia aequilibrium, quod S. P. N. primo exercitiorum die tam prolixè commentatus est, etiam hujus hebdomadis princeps fundamentum, animam

---

<sup>1)</sup> S. Ignatius in parte 2. puncto 3. contempl. de regno Christi  
<sup>2)</sup> Ibidem. Item Diertins in explanatione citati puncti.

conditionem esse, sine qua speratus inde fructus minime obtinebitur. Quid enim prodesset, viam scire, ducem ad manus, exemplar ante oculos habere; si alia, quam tibi praecit, via tu sequi, si alio, quam te docet, modo tu vivere, si Christum in te alienis a prototypo aut ejus voluntate ductibus effingere tentares? Et hinc illa, quae mox primo exercitiorum ingressu de heroica hac aequilibrata disserrimus, nunc vel maxime non solum animo recolenda, sed etiam in opus deducenda sunt.

IV. Quapropter laudata indifferentia ad recensita ibidem (nempe in Fundamento) quatuor puncta etiam hic denuo est applicanda; ac firmiter decernendum, nos Christum secuturos in paupertate vel abundantia, in contemptu vel honore, valetudine integris aut fractis aegritudine viribus, longaeva aut decurtata laboribus vita; abstinendo rebus creatis, vel iis utendo, prout illa ad obsequium caelestis hujus Regis electique Ducis vel conferunt, vel obsunt; ac proin non alio nos victu ac vestitu usuros, quam illum mentem conspexerimus; in iisdem quoque laboribus, vigiliis et casibus perstituros, in quibus illum persistentem viderimus<sup>1)</sup>. Per haec enim verba a S. P. N. ad nominata prius quatuor puncta apte alluditur.

Nam tenuitate et asperitate victus rerum paupertas, simili vestitu honoris contemptus exprimitur; labores vero et vigiliae, quas Rex ille commemorat, ad corporis incommoda, morbos ac dolores, ceteri denique casus ad pericula, brevitatem vitae, et ipsam quoque mortem appetendam pertinent<sup>2)</sup>. Ad haec ergo omnia magno animo subeunda, si Christus in his nos eum imitari voluerit, non secus atque ad omnem locum, munus et perfectionis gradum indifferentes nos atque promptos offerre oportet.

<sup>1)</sup> S. Ignatius in contempl. de regno Christi part. 1. puncto 2. —  
<sup>2)</sup> Diertina in explanatione citati puncti.

## §. IV.

I. Hoc tamen aequilibrio non obstante, ex mei Patris, ita animo comparati esse debemus, ut non desideremus, sed etiam animo firmiter decernamus, *stum, quam possumus, proxime sequi, atque in dummodo id in majorem laudis ipsius et obsequii proventum cedat*<sup>1)</sup>; conando, *ut perfecti in eo e mus statu, quem vel jam elegimus, vel quem b divina eligendum nobis suggesserit*<sup>2)</sup>. Et merito: *cum Christi vita sit perfectissima, et ipsa idea v et sanctitatis, sequitur, ut quo vita nostra propi eam imitatione accesserit, ipsa quoque futura perf sit; quin imo eo propius illa accedet ad ultimum suum, ideoque eo etiam felicior erit*<sup>3)</sup>.

Porro commendatum hoc majoris perfectionis *desid* tantum abest, ut illi, quam exigimus, indifferentiae ut potius eandem plurimum promoveat et conservet. S. Pater per aureum hoc, quod suadet, mentis aequil non intelligit iners quoddam animi frigus aut inanimum quod otium, quo omnis ad perfectiora conatus suffe sed talem animi indifferentiam cupit, quae continuo a liora nisu animata, mentem ad optatam aequabilitate ducat; utpote a qua statim ea deficeret, nisi eji desideriis contra corruptae naturae torrentem in adv partem eluctari conaretur.

Illa quoque animi comparatio, qua quis infimo sanctimoniae in terris, et gloriae in caelis contentus, altioris desiderio tangitur, et vi cujus alicui perind num Caelitum primis, an vero ultimis, in sublimi t an humili scabello assideat; haec, inquam, mentis c ratio non indifferentiae virtus, sed abjecti ac toi

<sup>1)</sup> S. Ignat. in contempl. de regno Christi partis 2. puncto

<sup>2)</sup> Libell. exercit. paulo ante diem quartam hebd. 2. — <sup>3)</sup> Di 18. num. 2.



nimi indicium est. Quippe excellens illud, quod inculcamus, ad quidvis aequilibrium solum excludit omnem *vitiosam* ad terrena inclinationem; non vero etiam *sanctam* ad meliora propensionem. Imo, teste Directorio, *optima ad bonam electionem dispositio est illa, ut quis non modo non magis propendeat ad terrena retinenda, sed et potius, quoad fieri potest, voluntatem suam semper inflectere conetur ad id, quod perfectius est. Nam licet ipsa non id electurus sit, quia fortasse Deus eum non vocat ad talem statum, aut in electo jam statu ad tam ultimam perfectionis gradum; tamen nihil ei nocebit, imo plurimum proderit tale desiderium; et hinc in his exercitiis semper proponitur via perfectior tanquam magis optanda et a Deo petenda*<sup>1)</sup>).

Ex his denuo elucet insignis prudentia S. Auctoris nostri, mortalium mentes gradatim ad altiora perducentis. Nam in prima hebdomade solummodo nobis dissuasit omnem *vitiosam* ad honores, illecebras et opes inclinationem, utpote per quam penitus abstrahimur ab illo aequilibrio, quod ad bonam electionem requiritur. In secunda vero hebdomade ulterius progreditur, nobisque instillat aliquam insuper propensionem ad paupertatem, contemptum et dolorem, ut mitigato per eam harum rerum horrore eo expeditius adipiscamur illam caelestem indifferentiam, quae consistit in prompta et alacri voluntate agendi aut vitandi omne id, quod a nobis vitari, vel fieri Deum velle in his exercitiis cognoverimus. Jam autem, cum hac voluntate optime conjunctum stat desiderium tendendi ad id, quod perfectius est, et Christum proximius sequendi; cum, ut paulo ante insinavi, excellens illud, quod inculcamus, ad quidvis aequilibrium solum excludat omnem *vitiosam* ad res terrenas inclinationem; minime vero etiam *sanctam* ad meliora propensionem.

---

<sup>1)</sup> Direct. c. 23. n. 4.

Quare *dispositio, quae requiritur in anima ejus, qui facit exercitia, docente Directorio, haec est, ut quantum est ex sua parte, tendat in id, quod perfectius est, si Dominus dederit gratiam et vires*<sup>1)</sup>. Cujus rei ratio haec est; cum enim homo naturali pondere semper ad ima ruat, et ad sectanda sensibus grata vitiatu affectu usque propendeat, nunquam is illam, quae ad electionem requiritur, aequilibratam obtinebit, nisi anima, pius ejusmodi votis in oppositam partem inflexa, adversus male pronam corruptae naturae inclinationem nitatur: non secus atque arbor male incurva nunquam recta caelum versus assurgat, nisi prius aversum in latum incurvetur.

II. *Unde aperte colligitur* (Directorii verba sunt), *ex hoc jam loco animam incipere praeparari ad electionem*<sup>2)</sup>. Dico: *praeparari*; nam hoc ipso, quod ex una parte animus, deposito omni inordinato ad res creatas affectu, indifferens sit ad quidvis agendum, quod Numini acceptius fore cognoverit; ex altera vero parte insuper ardenti desiderio feratur in id, quod perfectius est, patet, animam *incipi praeparari* ad eligendum illum *sanctioris* vitae gradum, in quo Deus eam sibi servire, Christus vero illam se imitari voluerit.

Ut autem electio haec e voto cedat, *requirit S. P. Ignatius in iis, qui facturi sunt exercitia hujus hebdomadis, ut ostendant fervorem ac desiderium progrediendi ulterius ad deliberandum de vitae statu, aut in electo jam statu ad conscendendum altiore in perfectione gradum*<sup>3)</sup>. Dixi: *fervorem ac desiderium. Hoc enim negotium ejusmodi est, ut nisi cum fervore spiritus suscipiatur, non possit habere bonum successum. Requirit enim magnum et fortem ac constantem animum, qui ex augmento devotionis proveniat*<sup>4)</sup>.

---

<sup>1)</sup> *Direct. cap. 19. num. 2.* — <sup>2)</sup> *Ibidem.* — <sup>3)</sup> *Direct. cap. 18. num. 4. Item libell. exercit. paulo ante diem 4. hebd. 2.* — <sup>4)</sup> *Ibidem.*

Ex his constat, quantopere allucinentur ii, qui putant in secunda hebdomade aliquid de spiritus ardore remitti posse. Licet enim ex sensu S. Patris in usu poenitentiae operum *ita nos gerere deceat, prout exigere videtur mysterii contemplandi genus; cum nonnulla ex iis mysteriis poenitentiam requirant, alia non item*<sup>1)</sup>; *et licet detur relaxatio in horis meditando, omittique possit meditatio, quae fit media nocte, retentis reliquis quatuor horis*<sup>2)</sup>; nihilominus tamen de fervore et animi seria contentione nil omnino relaxari cupit.

III. Quod autem omnium maxime felicem electionis successum, id est, *emendationem seu reformationem circa vitae statum aut mores cuivis faciendam*<sup>3)</sup> promovet, est singularis ille nexus ac series exercitationum hujus hebdomadis, quae arte plane miranda ita inter se connexae sibi-que invicem subordinatae sunt, ut una ab alia virtutem accipiat, ac robur uniuscujusque augeant omnes. Postquam enim *mirabili artificio Spiritus sancti* in contemplatione Regni Christi anima excitata fuit ad sectandam perfectionem per Christi imitationem generatim decretam, mox illa hanc eandem perfectionem speciatim indagat in sequentibus meditationibus incarnationis, nativitatis et aliarum; acute dispiciendo, qua ergo ratione, quibusve in rebus Christi vestigiis insistendum sit. Quo fit, ut *perfectionis semina, quae* in hac contemplatione de regno Christi *spargantur*, deinde per consequentes illas *meditationes latenter crescant et promoveantur, donec tempore electionis suum fructum ferant*<sup>4)</sup>.

Et certe post conceptum hodie mane universale decretum imitandi Christum, quo Deus voluerit modo, optimo ordine descenditur ad peculiaria Regis nostri exempla,

---

<sup>1)</sup> In lib. exercit. in additione 3. item ad finem additionis 4. hebdomadis 2. — <sup>2)</sup> Direct. cap. 21. num. 1. — <sup>3)</sup> In lib. exercit. ad laem hebd. 2. — <sup>4)</sup> Direct. cap. 19. n. 2.

queis ille orbi in sua incarnatione, nativitate, aliisque praecipuis vitae suae mysteriis praeluxit, ut nempe nobis constet, in quibus virtutibus, quave methodo is a nobis sequendus sit. Non enim sufficit generatim statuuisse, *quod* divini hujus Ducis vestigia premere velimus, nisi etiam singillatim determinemus, *quomodo* illum aemulari conveniat. Ad id ergo bene decernendum, cum subjungendis commentationibus et clare instruemur, et potenter incitemur, ad oculum patet, quam magnus harum meditationum cum contemplatione de regno Christi, nec non cum instituenda electione nexus intercedat.

IV. Porro cum praecipui hostes, qui regnum Dei crebriori strage devastant, et Christi intentionibus ferocius obstant, sint tres illae dominantes mortalibus affectiones, nempe *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae*; hanc ob rem caelestis militiae dux noster mox sub primum suum in orbem adventum trifauci huic Cerbero bellum indixit, illumque novo eoque internechino armorum genere debellare constituit, videlicet animi demissione, vitae asperitate rerumque penuria, ut nos suo exemplo ad pugnae societatem pertrahat, vincendique artem edoceat.

Licet enim priori hebdomade infelix hoc lolium tanquam praecipuam lapsuum radicem omniumque nostrarum ab ultimo fine aberrationum fertilem causam exstirpare conati simus; tamen solummodo *vitiosum* ad mundi honores, carnis illecebras et vitae commoda seu opes affectum impugnavimus; quin insitum insuper contemptus, egestatis, laborum et dolorum *horrorem* aperto Marte debellaverimus.

Quia vero nisi etiam is mitigetur, optatum illud aequilibrium ad divitias vel pauperiem, ad delicias vel aerumnas, ad omnem locum ac munus, atque ad quemvis in virtute gradum obtinere nequimus; ideo praesenti hebdomade etiam *hunc* horrorem si non omnino tollere, saltem lenire stude-

harum rerum aestimationem, amorem atque etiam  
 ritum animis nostris instillando. Quare sicut fructus  
 hebdomadis erat vilipensio, odium et fuga vitiosi  
 ad divitias, honores et illecebras carnis tanquam  
 omnium radicis, per quem ab ultimo fine nostro  
 mur; sic pariter secundae hujus hebdomadis scopus  
 serenda mentibus aestimatio, amor ac desiderium  
 paupertatis et aerumnarum; ut hac ratione ex  
 arte a vitio abstracti, ex altera vero parte ad virtu-  
 flexi illam caelestem indifferentiam obtineamus, quae  
 electionem tantopere requiritur.

autem ut effectui detur, adjumento nobis erit exem-  
 Christi, quod ille nobis vita sua tum privata tum  
 dedit. Hodie ex mente S. Patris nostri solummodo  
 contemplantum assumemus, quod ex gemino incarna-  
 ejus ac nativitatis mysterio elucet<sup>1)</sup>). Ubi is non  
 nos ambitionem, philautiam aurique cupidinem sper-  
 odisse et fugere, sed insuper illos tres individuos  
 suos, paupertatem scilicet, dolores et contemptus  
 aestimare, amare et appetere docet. Fructus proin-  
 ibus his meditationibus hodie adhuc colligendus, est  
 desiderium firmumque propositum imitandi Christum  
 nominatim virtutibus, quarum is in sua incarnatione  
 ivitate tam insigne nobis specimen praebuit, nempe  
 ni demissione, vitae asperitate nec non rerum aut  
 spiritus paupertate.

si fructus ut eo certius obtineatur, observanda erunt  
 tia. I. Lectio spiritualis, si forte a me assignata  
 fficeret, conformanda erit materiae meditationis paulo  
 eractae, vel proxime peragenda. Ita S. P. Ignatius,  
 haec sunt verba. *tam in hac quam in qualibet se-*

---

n libell. exercit. post contemplationem de regno Christi, ubi  
 bet: *Primae diei meditatio prima erit de incarnatione, con-*  
*o secunda de nativitate, tertiae enim meditationis materia*  
*duarum repetitio est.*

*quente hebdomade nullum debeo legere vel cogitare aliud mysterium, nisi quod eadem hora aut die considerandum sit; cum alioquin unum alteri obturbet*<sup>1)</sup>. Idem commendat Directorium: *potest, inquit, in hac hebdomade et sequentibus legi aliquis liber de mysteriis Christi; non tamen expedit, ut ea legantur, de quibus postea, id est, sequentibus diebus faciendae sunt meditationes, sed de quibus jam factae sunt, vel quae eo die sunt faciendae*<sup>2)</sup>.

2. Quin ipsae etiam cogitationes, quae interdiu temporibus succisivis foventur, argumento meditationis paulo ante institutae, vel proxime instituendae respondere debent, ita ut omnes aliae etiam piae repellantur, quae eidem mysterio minus congruunt.

3. Longe alia methodo vitae Christi mysteria sunt consideranda et expendenda tempore exercitiorum quam extra illud. Quamvis enim illorum quodlibet variorum dogmatum feracissimum sit, tamen in hac solitudine illa solum propositi mysterii adjuncta et veritates exputandae, nec non illi solum affectus eliciendi erunt, qui praefixo exercitiorum scopo respondent, omissis aliis punctis, quae licet utilia, intento tamen modo fini minus congrua sunt.

Accurata horum, uti et illorum, quae §. 4. introductionis ad sacram solitudinem commendavimus, punctorum observatio plurimum conducet ad colligendum ex sequentibus meditationibus illum, quem optamus fructum, nempe aestimationem, amorem ac desiderium contemptus, paupertatis et aerumnarum, exemplo Dei carnem induti, ac in stabulo nati.

---

<sup>1)</sup> Libell. exercit. hebd. 1. die 1. Notando 1. ex quinque notandis. — <sup>2)</sup> Direct. cap. 21. num. 2.

## MEDITATIO II.

## DE INCARNATIONE.

## Punctum I.

Secunda SS. Trinitatis Persona carnem induta docet nos aestimare, amare et appetere *humilitatem* seu contemptus: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* <sup>1)</sup>. Enimvero mysterium incarnationis est prodigium demissionis; idque triplicem ob causam, I. ratione *unionis*, quae Verbum inter humanamque naturam intercedit <sup>2)</sup>. Nam ob hanc per communicationem idiomatum, ut Theologi loquuntur, Deus immortalis, pati nescius, *fortis, potens et gloriae rex* <sup>3)</sup>, modo audit mortalis, patibilis, *vir dolorum* <sup>4)</sup> et *abjectio plebis* <sup>5)</sup>. Item per eam primum *Esse* miratione nostrum sibi nihilum aeterno nexu ita sociavit, ut idem subjectum, nempe Christus, sit homo et Deus. O demissionem eo amplius stupendam, quo infinitius a divina dissidet humana conditio. O mi Jesu! et aegre jam feram, si ignobilis, indoctus, imprudens, vitiosus ab aliis audiam;

<sup>1)</sup> Matth. 11, 29. — <sup>2)</sup> Communicatio idiomatum in Christo, quae ad fidem Catholicam spectat, quaque perpetuo usa est Ecclesia, ea est, qua utraque natura et utriusque naturae proprietates sic enunciantur de Christo, ut quae conveniunt homini, ea tribuantur Deo, et quae conveniunt Deo, de homine praedicentur. Fundamentum et causa proxima mutuae hujus idiomatum communicationis est hypostatica duarum naturarum unio. Regula princeps in hac re et fundamentalis haec est, ut quaecunque de naturis mutuo praedicantur, aut de Christo contraria proferuntur, ea ad suppositum seu personam referantur, non autem ad naturas seorsim sumptas; vel etiam, quod idem est, ut proprietates divinae et humanae de se mutuo enunciantur tantum possint concretis, non autem abstractis vocabulis. Cfr. Cl. J. Perrone S. J. Praellect. vol. IV. part. II. cap. IV. a §. 485—516. Tanti autem refert accuratissime et callere et retinere quae sunt hujus idiomatum communionis, quanti interest illibatam custodire sinceram et rectam sacrosanctae Incarnationis notionem.

<sup>3)</sup> Psalm. 23, 8. — <sup>4)</sup> Isa. 53, 3. — <sup>5)</sup> Psalm. 21, 7.

postquam Deus amore mei egenus, debilis, imbecillis, *vermis* audit et *opprobrium hominum* <sup>1)</sup>).

2. Incarnationis mysterium est demissionis prodigium ratione *corporis*, quod Verbum assumpsit. Poterat enimvero Christus, cum ejus anima primo statim creationis momento visione beatifica jam frueretur, adeoque cum ejus carni par gloria fuerit debita, poterat, inquam, sibi unire corpus gloriosum, quatuor Beatorum dotibus ornatum, immortale, impatibile, agile, nullis vulneribus pervium aut miseris obnoxium. Poterat uti Adamo, ita et sibi circumdare corpus robustum, virile, perfectum. Poterat sibi aptare apparens solum et fictitium corpus, velut olim Raphaeli aptaverat et Gabrieli. Attamen, o miram demissionem! vestiit se carne omnibus aerumnis subjecta, imbecilli, tenella, infantili, omnium ope indiga; et quidem non formata ex aethere, sed sumpta ex matre eaque paupere. Nempe *ut per omnia fratribus assimilaretur* <sup>2)</sup>), venit *in similitudine carnis peccati* <sup>3)</sup>), renuncians juri, quod ad illa gloriae ornamenta aliasque praerogativas habebat, ideo solum, *ut destrueret corpus superbiae tuae* <sup>4)</sup> *corpore humilitatis* <sup>5)</sup>), Haec credis, et tamen *superbis, terra et cinis?* <sup>6)</sup>

3. Denique mysterium incarnationis est prodigium demissionis ratione *loci*, in quo Christus delituit. Nam *sapientissimus princeps quasi tenerrimus ligni vermiculus* <sup>7)</sup> latuit in sinu virgineo velut *in cedro exaltata in Libano* <sup>8)</sup>, aut quasi *in oliva speciosa in campis* <sup>9)</sup>. Hic jam perpende, quis, ubi et quamdiu orbi incognitus delitescat? nempe immensus in obscuro uteri carcere delitescit, et quidem novem mensium spatio; ubi se, veluti reus ergastulo inclusus, divinae Justitiae paratum offert ad infamem pro nobis mortem oppetendam.

<sup>1)</sup> Psalm. 21, 7. — <sup>2)</sup> Hebr. 2, 17. — <sup>3)</sup> Rom. 8, 3. — <sup>4)</sup> Rom. 6, 6. — <sup>5)</sup> Philipp. 3, 21. — <sup>6)</sup> Eccli. 10, 9. — <sup>7)</sup> 2. Reg. 23, 8. — <sup>8)</sup> Eccli. 24, 17. — <sup>9)</sup> Ibid. 19.



Et haec agit (stupete o Angeli!), ut viles nos vermiculti ejus exemplo inducti innatum nobis eminenti pruritu moderari, ac pari lubentia in illo orbis angulo, in illo vili officio abjectoque gradu latere discamus, in quo nostra talenta negligi videntur, nostraque existimatio pessumdari.

O vane! superbia est, quae tibi inlclamat: *Manifesta te ipsum mundo* <sup>1)</sup>, *ut quid perditio ista?* <sup>2)</sup> Posses alio in statu, loco, munere, gradu plus boni praestare; ad id dotibus non cares. O miser! stygii serpentis hic sibilus est. Ah! non perduntur, quae Numini litantur thura. Creatus es a Deo et pro Deo, ut ei famuleris, Christumque imiteris, quo cupierit modo. Si ergo Deus voluerit, ut ei servias, Christumque sequaris in contemptu, delitescendo, solum vilia abjectaque tractando; si is magis honoratur tuorum talentorum neglectu, quam eorundem superbo usu, quis es tu, ut interrogare audeas: *Quare sic facis?* <sup>3)</sup> *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* <sup>4)</sup>

#### Affectus.

O mi Deus! tu descendis in terram carnis nostrae humili amictu occultandus; et ego cum Lucifero *in caelum conscendo super astra Dei et altitudinem nubium, currens similis esse altissimo* <sup>5)</sup>. *Tu Sanctus Sanctorum* <sup>6)</sup> *appares in similitudine carnis peccati* <sup>7)</sup>; et ego, qui *in peccatis natus sum totus* <sup>8)</sup>, de pietate laudari volo. *Tu, cum in forma Dei esses, exinanivisti temetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* <sup>9)</sup>; et ego *terra et cinis* <sup>10)</sup>, *abortivum* <sup>11)</sup>, *ac purgamentum hujus mundi, omniumque*

<sup>1)</sup> Joan. 7, 4. — <sup>2)</sup> Marc. 14, 4. — <sup>3)</sup> Ecclae. 8, 4. — <sup>4)</sup> Rom. 9, 20 et 21. — <sup>5)</sup> Isa. 14, 13. — <sup>6)</sup> Dan. 9, 24. — <sup>7)</sup> Rom. 8, 3. — <sup>8)</sup> Joan. 9, 34. — <sup>9)</sup> Philipp. 2, 7. — <sup>10)</sup> Ecclae. 10, 9. — <sup>11)</sup> 1. Cor. 15, 8.

*peripsema* <sup>1)</sup>) extollo me ipsum, quasi aliquid essem, cum nihil sim <sup>2)</sup>).

Obstupescite caeli! en! *Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignetur sequi vestigia Dei* <sup>3)</sup>); et tamen superbio. O vos olim caelestes sed nunc ob superbiam avernales genii! vos ipsos rei iudices volo; edicite, an non *intolerabilis impudentia sit, ut postquam se exinanivit Majestas, vermiculus infletur et intumescat?* <sup>4)</sup>) An non detestanda res sit, *ut videns Deum caeli parvulum factum, nihilominus ultra apponat homo se magnificare super terram?* <sup>5)</sup>) O magne humilitatis amator Deus! da ut tandem et ego indifferens ad omnem locum, munus et gradum quantumvis abjectum, serio aestimem, amem et appetam illam virtutem, quae Verbum divinum in sinum Virginis attraxit; dum illud e caelis *respexit humilitatem ancillae suae* potius, quam ejus fidem, charitatem aut puritatem <sup>6)</sup>).

#### Punctum II.

Verbum caro factum docet nos aestimare, amare et appetere asperitatem et incommoda vitae seu mortificationem: *sum ego in laboribus a juventute mea* <sup>1)</sup>). Condicio Christi carnem recens induti erat aerumnosa triplici ex capite: 1. ob varias uteri materni molestias: *O pietas immensa, exclamat S. Eucherius. O humilitas ineffabilis, o Sacramentum inenarrabile! Deus homo fit, aeternus temporalis, immensus localis, immortalis passibilis ... Quis audivit unquam tale? Quis vidit huic simile?* <sup>2)</sup>) *Erubescat ergo terrena superbia, confundatur et obstupescat arrogantia redempti hominis, ubi mox erumpentibus radiis exorti corruscat humilitas Redempto-*

<sup>1)</sup> 1. Cor. 4, 13. — <sup>2)</sup> Gal. 6, 3. — <sup>3)</sup> August. in Psalm. 33. —  
<sup>4)</sup> Bern. serm. 1. de nativitate. — <sup>5)</sup> Idem ibid. — <sup>6)</sup> Luc. 1, 48. —  
<sup>7)</sup> Psalm. 87, 16. — <sup>8)</sup> S. Eucherius.

ris<sup>1)</sup>. *Ama amorem illius, qui amore tui amoris descendit in uterum Virginis, et tibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suae aeternitatis limo tuae aeternitatis<sup>2)</sup>.*

2. *Ob plenum rationis usum immensum augebantur<sup>3)</sup>.* Sane qui cum Nicodemo rite perpenderit, quam grave accideret seni, intellectu et iudicio praedito, *in ventrem matris iterato introire<sup>4)</sup>*; is etiam intelliget, quanti constiterit Christo haec tot mensium ibidem commoratio; cum ille intellectus lumine ac iudicii perspicacia non solum omnes collectim homines, sed etiam angelos infinite superarit. In-

<sup>1)</sup> S. Petr. Dam. lib. 6. epist. cap. 14. ad Minard. — <sup>2)</sup> S. August. tom. 4. de catechiz. rudib. — <sup>3)</sup> „Simul atque Beata Virgo Angeli verbis assentiens“, dixit: „Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum“, Luc. 1, 38. „statim sanctissimum Christi corpus formatum, eique anima rationis compos conjuncta est; atque ita in ipso temporis articulo perfectus Deus et perfectus homo fuit.“ Catechism. Rom. part. I. de art. III. num. 4. Juvat et hic incarnationis Verbi modum a S. Gregorio Papa pulchre expositum adjungere: „Mediator quippe Dei atque hominum, homo Christus Jesus, non sicut iste haereticus desipit, alter in humanitate, alter in deitate est. Non purus homo conceptus atque editus, post per meritum, ut Deus esset, accepit; sed nunciante angelo, et adveniente spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, et manente incommutabili essentia, quae ei est cum Patre et cum S. Spiritu coaeterna, assumpsit intra virginea viscera; unde et impassibilis pati et immortalis mori et aeternus ante saecula, temporalis posset esse in fine saeculorum; ut per ineffabile Sacramentum, conceptu sancto et partu inviolabili, secundum veritatem utriusque naturae, eadem Virgo et ancilla Domini esset et Mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me? Et ipsa Virgo concipiens dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Et quamvis ipse aliud ex patre, aliud ex virgine, non tamen aliud ex patre, aliud ex virgine; sed et ipse est aeternus ex patre, ipse temporalis ex matre, ipse qui fecit, ipse qui factus est, ipse speciosus forma prae filiis hominum per divinitatem, et ipse de quo dictum est: Vidimus eum et non erat aspectus, et non est species ei, neque decor, per humanitatem (Isai 53, 2). Ipse ante saecula de patre sine matre, ipse in fine saeculorum de matre sine patre. Ipse Conditoris templum, ipse conditor templi, ipse autor operis, ipse opus autoris, manens unus ex utraque et in utraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.“ Lib. XVIII. moral. cap. 27. num. 36.

<sup>5)</sup> Joan. 3, 4.

super haec incommoda patiebatur sine ullo levamine, quod vel afferret B. Virgo, quae nequirit, vel conjuncta sibi Divinitas, quae noluit mederi; cum potius ingenti miraculo illam felicitatem suspenderit, quae ei ob claram Dei visionem debebatur, impediendo, ne quicquam inde commodi in animam aut corpus deflueret. Praeterea omnes hae aerumnae plurimum intendebantur

3. *Per distinctam futurorum notitiam.* Nam ne vel unicum temporis punctum efflueret, quo amantissimus Salvator non cruciaretur, mox primo vitae suae momento repraesentavit ei Pater aeternus omnes afflictiones, supplicia, dolores, injurias, contemptus et tormenta ad mortem usque perferenda; et quidem vivacissime, ac minutatim cum omnibus adjunctis, cum omni eorum pondere, numero et mensura, quasi ea jam reipsa subiret. Quae tamen omnia Christus voluntate promptissima acceptavit, singillatim offerendo caput spinis, oculos lacrimis, genas alapis, faciem injuriis, os felli et aceto, corpus plagis ac cruentae neci. O vere nunquam saturandam patiendi aviditatem! o quantopere molles nos Jesu socios hoc Ducis nostri exemplum reprehendit ac confundit! Quantum ruborem nobis elicit!

Fructus ex hac meditatione colligendus est non solum *vilipensio* honoris opumque et *odium* illecebrarum aut commoditatum carnis; sed est insuper *aestimatio* et *amor* saltem oriens seu initialis contemptus, paupertatis ac molestiarum, nec non desiderium saltem illius *desiderii*, quo ista ardentem appetamus, ac procuremus.

### **Affectus.**

O mi Jesu! *Suscipis umbram, daturus lucem, suscipis figuram, daturus veritatem*<sup>1)</sup>; *a partu virgineo effectus hostia*<sup>2)</sup>. Mox primo temporis puncto, quo venisti in mundum, non solum stupenda tui abjectione demittebas te;

---

<sup>1)</sup> S. August. — <sup>2)</sup> Tertull.

sed etiam innocens corpusculum, materni uteri molestias perferendo, summe affligebas. Quin imo ut ortum inde cruciatum amplius et acerbius sentires, formasti tibi corpus ferendo dolori aptum, animae mox unitum, et ratione praeditum; ne nempe organorum imperfectione, animationis dilatione, aut rationis defectu dolor obtunderetur, sicque minueretur; et ego pro pudor! petulantem hanc meam totque sceleribus contaminatam carnem tam blande habeo; a me, quidquid molestiarum est, sollicite arceo; vel ipsum asperitatis nomen delicatus horreo.

Tu sanctissimos sensus tuos ab omni actione cohibuisti, eisdem nil suave unquam concessisti; et ego meis omnem licentiam permitto, freni impatiens ipsam quoque umbram mortificationis abhorreo. At pudet ac dolet, quod illam virtutem tantopere fugiam, quae adeo tibi cordi fuit, ut sine illa nec momento vivere volueris, eamque in ipso matris utero jam comitem habueris. Accende proin in me odium mei ipsius; extingue amoris proprii flammam, ut divini eo purius ardeant.

O consubstantialis *imago Dei*<sup>1)</sup>, tu ingrediens mundum dixisti Patri aeterno: *Hostiam et oblationem nolui; corpus autem aptasti mihi; tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*<sup>2)</sup>, te his verbis offerendo ad eidem serviendum omni, quo ille jusserit modo: *per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, in tribulationibus et angustiis, in plagis et carceribus, in laboribus et vigiliis*<sup>3)</sup>. En! hoc tuo exemplo animatus, etiam ego dico: *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam*, indifferens ad omnem divini servitii tuaeque imitationis modum. O utinam sicut tu statim primo rationis momento eundem in actum erupissem, Deique famulatui me manci-

<sup>1)</sup> 2. Cor. 4, 4. — <sup>2)</sup> Hebr. 10, 5. — <sup>3)</sup> 2. Cor. 6, 4 et seq.

passem ad quidvis indifferentem! Sed quod ibi omissum, saltem nunc fiat: *Dixi, nunc coepi*<sup>1)</sup>.

„His subjungatur actus fidel de hoc mysterio, adorationis personae Christi, gratiarum actionis pro tam sublimi incarnationis mysterio et tam stupendae demissionis exemplo, item petitionis odii ac demissionis sui.“

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 1. cap. 2 et 3.

---

## CONSIDERATIO

### DE HUMILITATE.

Scopus hodiernae diei est imitatio Christi in illis virtutibus, quae praecipue eluxerunt ex gemino Incarnationis et Nativitatis mysterio, nempe in humilitate, mortificatione et paupertate. Hi enim tres illi comites sunt, qui vix natum in stabulo exceperunt, ac dein per totius vitae cursum ad mortem usque individuo nexu semper sunt comitati. Praesens consideratio de humilitate aget; crastinae argumentum mortificatio erit. Paupertatem ultima hodie meditatio commendabit.

Porro ut humilitatem amplius *aestimemus*, tenerius *amemus*, et impensius *appetamus*; hi enim tres illi gradus sunt, ad quos nobis secunda hac hebdomade magno nisu eluctandum est; plurimum conducet rite perpensa virtutis hujus praestantia, utilitas, aequitas.

I. Ad ejus *excellentiam* quod attinet, hanc mire extollunt SS. Patres. *Si quaeris*, ait Augustinus, *quid sit primum in religione et disciplina Christi? respondeo: primum est humilitas: quid secundum? humilitas: quid tertium? humilitas*<sup>2)</sup>. *Tota enim et vera Christianae sapientiae disciplina in vera ac voluntaria humilitate*

---

<sup>1)</sup> Psalm. 67, 11. — <sup>2)</sup> August. Epist. 56.

*consistit*<sup>1)</sup>). Quid, quaeso, sublimius dici, quid ad instillandam nobis hujus virtutis aestimationem excellentius aptiusque afferri possit? Et tamen ita sentit, atque enunciat magnum illud Africae lumen S. Augustinus, et quidem jure; nam

1. *Humilitas est fundamentum fidei*; illa enim rationem nostram, omniaque naturalia lumina submittendo, idoneos reddit nos ad fidem recipiendam, *in captivitatem redigens omnem intellectum*<sup>2)</sup>). Ubi enim nulla humilitas, ibi nec fides. Cum ergo fides sit lapis angularis totius Religionis, basis christianae disciplinae ac principium aeternae salutis; patet summum pariter humilitatis, utpote quae fidei fundamentum est, pretium et excellentiam esse.

2. Quin ea ceterarum quoque *virtutum bonum quoddam ac stabile fundamentum* est<sup>3)</sup>). *Sicut initium omnis peccati superbia est*<sup>4)</sup>; *ita radix omnis virtutis humilitas est*<sup>5)</sup>). Ipsa enim virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. *Ipsa mater et nutrix, columna et ancora, fulcimentum et vinculum harum omnium est*<sup>6)</sup>). Contra vero *qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat*<sup>7)</sup>; *et ubi ea nutat, omnis virtutum congregatio non nisi ruina est*<sup>8)</sup>, *omniaque bona opera nulla sunt, nisi humilitate condiantur*<sup>9)</sup>. *Perit omne, quod agitur, si non humilitate custoditur*<sup>10)</sup>. *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; ubi autem est humilitas, ibi et sapientia*<sup>11)</sup>. *Vir obediens loquitur victoriam*<sup>12)</sup>. Rationem dat S. Augustinus: *Videte, inquit, magnum miraculum: Altus est Deus: erigis te? et fugit a te; humilias te? et descendit ad te. Quare hoc? Quia excelsus dominus, et humilia respicit, ut attollat; alta, hoc est superba de longe cognoscit,*

<sup>1)</sup> August. serm. 8. de Epiphan. — <sup>2)</sup> 2. Cor. 10, 5. — <sup>3)</sup> Bern. de consider. — <sup>4)</sup> Eccli. 10, 15. — <sup>5)</sup> Bern. loc. cit. — <sup>6)</sup> Chrys. hom. 30. in acta. — <sup>7)</sup> Greg. hom. 7. in Joan. — <sup>8)</sup> Bern. de consid. — <sup>9)</sup> Greg. in Psalm. 7. — <sup>10)</sup> S. Greg. pap. — <sup>11)</sup> Prov. 11, 2 — <sup>12)</sup> Ibid. 21, 28.

ut deprimat <sup>1)</sup>). Unde illud: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes* <sup>2)</sup>): *suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem* <sup>3)</sup>).

3. Imo sine humilitate summae virtutes in vitia degenerant, hominique in perniciem cedunt. Nam sine hac maxima vitae asperitas foeda hypocrisis est, altissima contemplatio turpis illusio, extrema paupertas inanis vanitas est. Sine illa Anachoretarum deserta, Confessorum poenitentiae, Martyrum tormenta, Apostolorum zelus non nisi vanissima oculorum et Orci ludibria sunt. Ubi vero ea praesens adfuerit, ipsa etiam scelera suam nocendi vim amittunt, atque mira metamorphosi in materiam virtutum convertuntur. Qui enim ob admissos defectus sub potenti manu Dei corde contrito profunde se abjicit, veniam obtinet, ac meritum auget; *cum plus Deo placeat humilitas in malis factis quam superbia in bonis* <sup>4)</sup>).

4. Quin imo sine humilitate ipsae etiam Dei gratiae nobis nocumento esse possunt. Nam, quae S. Nili comparatio est, sicut venti secundo flamine navis vela inflantes hujus naufragium accelerant, quando ea in abditos fluctibus scopulos propellitur; ita etiam caelestium donorum electarumque gratiarum affluentia animam perdit, ubi ea secretam foverit superbiam. Talem enim animam Spiritus sancti lumina non illustrant, sed excaecant; eidem caeli charismata non prosunt, sed obsunt; eam rerum divinarum notitia potius inflat, quam emendat. Donum orationis, lacrimarum, prophetiae, linguarum atque curationum pestilens eidem toxicum sunt. Ex his omnibus humilitatis *excellentiam aestimare* discamus.

II. Summa vero ejusdem *utilitas* illam insuper *amare* nos docebit; nam quod utile nobis ac proficuum est, ad

---

<sup>1)</sup> S. August. serm. 175. de temp. — <sup>2)</sup> Luc. 1, 52 et 53. — <sup>3)</sup> *Psal.* 112, 7. — <sup>4)</sup> S. August. loquens de Public. et Pharis.



ui quoque *amorem* potenter nos allicit. Porro primum, quo humilitas nos beat, bonum proxima est cum Christo *imilitudo*. Cum enim status abjectionis fuerit status priorius Christi in his terris, etiam anima in tali statu constituta eoque contenta, est velut alter Christus et genuinum illius ectypon. Ejus sensa et affectiones sunt omnino conformes sensis et affectionibus Christi, utpote qui pariter contemptus et opprobria summe semper aestimavit, tenerime amavit, nec aliud, quoad vixit, in votis habuit, quam nilipendi et contemni. Talis anima ex eodem cum Christo sacralice abjectionis absinthium bibit: eodem cum illo contemtionis pane cibatur, eadem cum illo *confusionis diploide peritur* <sup>1)</sup>: eodem, quo ille, modo a Patre aeterno habetur. Atque ut districtius dicam, laeta *improperium Christi portat* <sup>2)</sup>, *maiores illud divitias aestimans thesauro Aegyptiorum* <sup>3)</sup>.

Jam autem quantum sit bonum, divini Servatoris lineamenta ad vivum referre, iisdem cum eo vestibus indui et coloribus uti, idem cum eo sapere et velle, aestimare et pernere, amare et odisse, prensare et fugere, eodem spiritu regi et eadem quasi anima animari, propter hanc modum cum eo similitudinem et sortis affinitatem cordis Jesu audium, coronam et delictum esse, quis pro dignitate explicabit? Quis ergo non amet humilitatem, quae animam imilem reddit sociatque ei, qui est filius ille dilectus, *in quo Pater aeternus sibi bene complacuit* <sup>4)</sup>; et ideo sibi complacuit, quia *exinanivit semetipsum formam servi accipiens* <sup>5)</sup>.

Alterum, quod humilitas parit, bonum est summa *animi pax*, qua humilis anima omnibus turbis superior innubens vivit soles. Quemadmodum testatur dominus ipse: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* <sup>6)</sup>. Hoc ipso enim quod hono-

<sup>1)</sup> Psalm. 108, 29. — <sup>2)</sup> Hebr. 13, 13. — <sup>3)</sup> Num. 12, 12. — <sup>4)</sup> 2. Petr. 1, 17. — <sup>5)</sup> Philipp. 2, 7. — <sup>6)</sup> Matth. 11, 29.

rari et aestimari nullatenus ambit, imo fugit, contemni vero ac vilipendi adeo non horret, ut etiam appetat, primaria perturbationum, quae mentem humanam inquietare solent, scaturigo exsiccata arescit.

Quid enim illum perturbet, cui despectus et injuriae in deliciis sunt? qui ridenti ore colaphos excipit, et cum cordis jubilo percutienti se alteram pronus maxillam porrigit? Quis talem in caeli vestibulo degere et aemula Beatorum tranquillitate praevia felicitate frui neget? Ad hanc autem anticipatam beatitudinem cum, teste S. Climaco, humilitas nos perducatur, inde illius utilitatem colligas licet. *Quoties, inquit ille, aliquem audieris vel videris, intra paucos annos altissimam tranquillitatem acquisivisse, noli hunc aestimare, aliam, quam hanc beatam celeremque viam humilitatis pedibus ambulasse*<sup>1)</sup>.

Tertium, quod humilitas affert, bonum in eo consistit, quod aureus hic abjectionis status sit omnium aptissimus ad acquirendam brevi tempore sublimen sanctimoniam. Nam ejusmodi hominem, hoc ipso quod non nisi abjectas et viles de eo ideas alii foveant, fugiunt socii, ejus consortium horrent, a suis eum conventiculis arcent. Quo fit, ut fugatus a mundo etiam ille mundum fugiat, et ab eo repulsus eidem pariter repulsam det; secumque habitans, ac soli Deo in sacra solitudine, quae sanctitatis mater est, mente collecta vacans, animum a variis naevis, quae inter homines nunquam non contrahuntur, purum et illimem servet.

Qua cordis puritate se insuper proxime habilem reddit ad obtinendum amorem divinum, in quo summa omnis perfectionis consistit. Id quod S. Joannes Evangelista S. Mariam Magdalenam de Pazzis in quadam ecstasi docuit, dicens: *Anima, quae in se habebit humilitatis perfectionem, facillime possidebit amorem absque eo, quod aliud exercitium adhibeat ad eum obtinendum. Et nunquam*

<sup>1)</sup> C. 2 et 3. grad. 25.

*invenietur cor plenum humilitate, quin sit plenum amore, quo anima perfecte Deo unitur, et quo ea fit perfecta unum quid cum illo* <sup>1)</sup>. Nam, quod bene notandum, ex divino per humilitatem acquisito amore ulterius felici germine enascitur

Quartum, quo humilitas nos ditat, emolumentum, nempe intima *conjunctio* cum Deo. Cum enim talis hominis cor ab omni honoris cupidine liberum sit, Deus illud possidet sine socia ac rivali superbia, quae illius possessionem ei dubiam reddere ac mutilam queat. Et hinc ad talem animam venire, *apud eam mansionem facere* <sup>2)</sup>, cum eadem conversari, et amoris vinculo eidem intime uniri in deliciis habet.

Exinde resultat amica *communicatio* caelestium thesaurorum; cum enim ii in humili corde a tinea vanae gloriae securi lateant, eos ibidem, praecipue septem dona Spiritus sancti beneficium Numen prodiga manu recondere amat. Abditissimorum mysteriorum tam claram ei momento intelligentiam infundit, ut parem notitiam ne ipsa quidem prima litterarum lumina, conjunctis viribus et studiis longissimi temporis, obtinere queant. Exemplo nobis sint S. Theresia, B. Nicolaus de Rupe, B. Rodericus, Crescentia aliique innumeri, quae humilitas ad altissimam divinarum rerum cognitionem aditum reseravit. Nempe, ut ipse Christus enunciat, quae Pater aeternus *abscondit a sapientibus, ea revelat parvulis* <sup>3)</sup> in oculis suis. Ut nil dicam de coelesti illa promulside, qua ejusmodi animae etiamnum in vivis inundantur.

Cumque eae illam, quae ex magnis operibus resultat, gloriam integre in omni boni auctorem refundant, nilque exinde furtiva laude sibi decerpant; hinc etiam Deus non nisi illis uti solet ad patranda misericordiae suae prodigia in reducendis ad frugem peccatoribus, aliisque altioris

---

<sup>1)</sup> In vita ejus p. 4. c. 10. — <sup>2)</sup> Joan. 14, 23. — <sup>3)</sup> Matth. 11, 25.

notae facinoribus explendis. Ut proin vere humiles ejusmodi animae merito exclamare possint: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* <sup>1)</sup> humilitatis virtute. Atque ut compendio dicam omnia, *humilem Deus diligit, et consolatur, humili homini se inclinatur, humili largitur gratiam magnam, humili sua secreta revelat, et ad se dulciter trahit et invitat* <sup>2)</sup>. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* <sup>3)</sup>.

Quis ergo virtutem adeo nobis *utilem non amet*, utpote quae nos ducit ad proximam cum Christo similitudinem, summam animi pacem, sublimem sanctimoniam, intimam cum Deo conjunctionem et caelestium thesaurorum communicationem; nosque aptissima efficit instrumenta promovendae Dei gloriae, ac procurandae salutis alienae?

III. Ceterum ille non poterit non etiam *appetere* illam virtutem, cujus *excellentiam* rite aestimat, atque *utilitatem* serio amat. Praecipue si insuper expendat, *quam aequum sit, ut omni conatu desideremus illa virtute potiri, propter quam veraciter nos edocendam, is, qui sine aestimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus* <sup>4)</sup>; et cujus amore Deus humanam naturam assumpsit, ut nempe disceremus ab eo, esse humiles corde. Si considerat, quod sanctissima Humanitas Christi, licet a primo statim animationis momento peccati incapax, clara Dei visione praedita, et infinitis perfectionibus, gratiis et virtutibus ornata fuerit, quod, inquam, tamen illa sui illius (quod ex se erat) nihili memor, continuo eoque nunquam interrupto summae demissionis actu a primo suae incarnationis momento usque ad ultimum vitae punctum se coram infinita Dei Majestate profundissime demiserit.

Profecto id ejus generis spectaculum est, quod non tantum superbos Adae filios, sed ipsos etiam turgidos tartari

---

<sup>1)</sup> Sap. 7, 11. — <sup>2)</sup> De imit. Chr. l. 2. c. 2. — <sup>3)</sup> Jacob. 4, 6. — <sup>4)</sup> Bern. de Consid.

genios posito fastu se infra nihilum abjicere docet. O Superi! *Sanctus et justus*<sup>1)</sup>, qui *peccatum non fecit*<sup>2)</sup>. *Dominus dominantium*<sup>3)</sup>, *cui data est omnis potestas*<sup>4)</sup>, *Judex vivorum et mortuorum*<sup>5)</sup>, *in cujus nomine omne genu flectitur*<sup>6)</sup>, hic sui illius, quod secundum naturam humanam est, nihili memor sese coram SS. Trinitate in inanem abyssum profundissime dejicit, hic se *novissimum virorum*<sup>7)</sup>, imo *vermem esse et non hominem*<sup>8)</sup>, ultro proficitur; idque agit continuato per omnem vitae cursum demissionis actu; et tu, qui non es nisi *gutta roris antelucani*<sup>9)</sup>, *pulvis exiguus*<sup>10)</sup> et *vapor ad modicum parens*<sup>11)</sup>, qui malitia, imbecillitas, abjectio et vilitas es, tu vane te extollere, verbis jactare, aliisque praeferre inaniter ausis? Ah! tandem aliquando ad Christi praesepe superbiae nostrae cristas abjiciamus, et humilitatis virtutem aestimare, amare et appetere discamus ab illo, cui ea tanto in pretio semper, amore ac desiderio fuit.

## EXAMEN

## CIRCA EANDEM VIRTUTEM.

1. *Humilitas est virtus, qua homo sibi ipsi vilescit*<sup>12)</sup>, et ab aliis quoque vilipendi amat, quaerit et gaudet. Duplicem mellifluus Abbas distinguit humilitatem, nempe *intellectus*, qua quis cognoscit suum nihilum, et *voluntatis*, qua quis etiam vult tractari ut nihilum. Haec posterior solummodo virtus est; illa prior non nisi praevia animi comparatio, et ad hanc ultimam perveniendi adjumentum

1) Actor. 3, 14. — 2) 1. Petr. 2, 22. — 3) Apoc. 19, 16. — 4) Matth. 28, 18. — 5) Actor. 10, 42. — 6) Philipp. 2, 10. — 7) Isa. 53, 3. — 8) Psalm. 21, 7. — 9) Sap. 11, 23. — 10) Isa. 40, 15. — 11) Jac. 4, 15. — 12) Bern. de 12. grad. hum.

est. Inquire proin, qualis tua demissio sit, num solum speculativa et intellectus, an vero etiam practica et voluntatis? Num sis humilis solum ore, an etiam corde? Ecquid non etiam tu numerum augeas illorum, qui putant, se esse humiles, eo quod cognoscant, se esse viles? Aliud est clara suae vilitatis cognitio; aliud seria sui ipsius vilipensio. Illa etiam in superbis daemonibus reperitur; solum haec humilium dos et proprietates est.

Adjumenta obtinendae humilitatis praecipue sunt duo: Primum est frequens *consideratio* motivorum se demittendi, alterum est assidua *exercitatio* actuum demissionis. Illorum enim meditatio, horum vero exercitium sunt via ad humilitatem, sicut lectio ad scientiam, et tolerantia ad patientiam. *Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis*<sup>1)</sup>. Determina proin, quoties et quando allata superiori consideratione motiva, nec non illa, quae in consideratione secundae diei proposita fuerunt, se abjiciendi incitamenta perpendere, item quales hujus virtutis actus, et quoties elicere velis.

II. Porro ejusdem *gradus* praecipui sunt sequentes. 1. De se ipso abjecte sentire, etiam loqui, seque ipsum abjecte habere; prout nempe tractari solent illi, quos vere et serio contemnimus. *Vere humilis vult nesciri*<sup>2)</sup>: *nihil de se magni sentit, aut loquitur; sed omnium se ultimum judicat*<sup>3)</sup>. 2. Idem, si ab aliis quoque fiat, patienti silentio ferre. 3. Imo, ut fiat, optare, ac data insuper opera etiam quaerere. 4. Sique voti damnemur, ex animo gaudere, ac Deo grates referre. Examina modo, an, et

---

<sup>1)</sup> Bern. super missus. Similia habet epist. 87: „Humiliatio, inquit, (exterior) via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Quamobrem si virtutem appetis humilitatis, viam et exercitia non refugias humiliationis. Nam si non potes humiliari, non poteris ad humilitatem provehi.“

<sup>2)</sup> S. Bern. super missus et S. Thom. 2. 2. q. 161. a. 6. c. et ad 3. — <sup>3)</sup> Chrys. l. 2. de compact. cordis.

qualem ex his conscenderis gradum, et ad quem deinceps quibusve mediis eluctari statuas.

Praeterea humilitatis *proprietates* praecipue tres numerantur. *Prima* est, ut nobis sit *voluntaria*. Nam inviti etiam latrones humiliantur. Humilitas querula virtutis nomine digna haud est. *Secunda* est, ut sit *sincera*. Nam *simulatio humilitatis major est superbia*<sup>1)</sup>. Sunt enim, *qui nequiter humiliant se*<sup>2)</sup>, *qui de humilitate laudem humilitatis appetunt*<sup>3)</sup>, *qui corpus per abstinentiam affligunt, et de ipsa sua abstinentia humanos favores et honores expetunt*<sup>4)</sup>. Larvalis humilitas haec, et virtutis pallio tecta ambitio est. *Tertia* proprietas est, ut sit *circumspecta*, nempe ut sciatur, quando et quantum, id est, quo in loco et officio, qua arte et modo, quo fine et moderatione quis abjicere se debeat; *ne, dum Praelatus plus se, quam decet, abjicit, subditorum vitam sub disciplinae vinculo continere non possit*<sup>5)</sup>.

Scrutare proin 1, quam sponte ac patienter contemni te feras; an non etiam tu ad quemvis tui contemptum tristitia dejiciaris, in gemitus erumpas, lamentis domum et forum repleas? 2. Numne etiam tu illis annumerandus sis, *qui honorari appetunt in ipsa schola humilitatis*<sup>6)</sup>, qui per sui abjectionem exaltari ac promoveri contendunt, et dum se ipsos vituperant, ab aliis propterea aestimari ac laudari optant? Enimvero *gloriosa res sit humilitas oportet, utpote qua ipsa quoque superbia palliare se appetit*<sup>7)</sup>. 3. Inquire, numquid etiam de te intelligi queant illa Ecclesiastici verba: *Est, qui se nimium submittit a multa humilitate*<sup>8)</sup>, derogando suae auctoritati cum praejudicio injuncti officii? Vel annon ea etiam apud te degeneret in pusillanimitatem, aut abjectum timorem, qui nimis meti-

1) August. de virgin. cap. 43. — 2) Eccli. 19, 23. — 3) Ambros. l. 3, de officiis. — 4) Greg. M. hom. 12. in Evang. — 5) Greg. M.

— 6) Bern. super missus. — 7) Bern. tract. de gradibus hum. — 8) Eccli. 19, 24.

culosum te ac rebus gerendis imparem reddat? *Timere Deum, facit hominem fortem et generosum; timere homines, reddit eum debilem et vilem*<sup>1)</sup>.

Nemo generosior vere humili est; cum enim sibi diffidens soli Deo confidat, ad quidvis pro eo audendum acer et alacer est. De felici operis successu qui sibi anxie timet, clare ostendit, metuere se, ne ab aliis contemnatur. Vide proin, quomodo circa ista te habeas. Ceterum *quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam*<sup>2)</sup>. *Et si vis utiliter aliquid scire et dicere, ama nesciri et pro nihilo putari*<sup>3)</sup>.

---

### MEDITATIO III.

## DE NÀTIVITATE CHRISTI.

### Punctum I.

Christus in sua nativitate docet nos aestimare, amare et appetere paupertatem; nam summa erat ejus in lucem recens editi egestas. I. ratione loci. Quippe non solum natus est extorris extra palatium, licet fuerit filius David et regni Judaici heres: non solum peregrinus extra patriam, cum jussu Caesaris Augusti debuerit migrare *de civitate Nazareth in civitatem Bethlehem*<sup>4)</sup>: non solum exclusus patria, domo, sed etiam alieno hospicio, *quia non erat eis locus in diversorio*<sup>5)</sup>, quo tamen raro etiam egentissimi carent, et ut districtius dicam, natus fuit in stabulo, eoque semidiruto, *et positus in praesepio*<sup>6)</sup> eoque vilissimo, a parentibus sanctissimis quidem, sed tamen pauperimis, sine alio famulatio quam bove et asino, a nemine

---

<sup>1)</sup> Eccli. 34, 16 et Matth. 10, 28. — <sup>2)</sup> Eccli. 3, 20. — <sup>3)</sup> Thom. a Kemp. de imit. Christ. lib. 1. cap. 2. — <sup>4)</sup> Luc. 2, 4. — <sup>5)</sup> Luc. 2, 7. — <sup>6)</sup> Luc. 2, 12.



alutatus nisi ab egenis pastoribus. O vere stupendum extremae paupertatis statum! O Pater aeternae eni *vulpes oves habent, et volucres caeli nidos; filius autem hominis, quin imo filius tuus, non habet, ubi caput reclinaret*<sup>1)</sup>. Praeterea summa erat Christi recens nati inopia

2. *ratione tegumenti.* Nam pia Mater loco fasciarum, quae defuerant, *pannis eum involvit*<sup>2)</sup>, non linteis, quibus amen nec mendicabulorum infantuli destituuntur; sed pannis, qui tenerrimis artubus ob lanæ hirsutiam molesti acciderant, iisque (ut credibile est) alienis, et aliunde mutuo acceptis. Ad haec non mollibus ea stragulis tenellum imposuit: non plumea frigentem culcitra textit; sed ob summam rerum omnium penuriam *reclinavit eum in praesepio*<sup>3)</sup>, et quidem duro ac nudo; nam etiam foenum aut stramen lesuisse probabile est; idque medio hiemis tempore, quo aura gelu rigebat, venti tugurium perflabant, et focus frigerat. Has miseras individuo nexu sequebantur duo paupertatis comites labor et dolor, qui gemini erant poli, circa quos omnis vita Christi perenni gyro ad mortem usque rotabatur; ita ut vere cum Propheta dicere potuerit divinus infans: *Ego pauper sum, et in laboribus a juventute mea*<sup>4)</sup>.

O mi Jesu! tibi *sedes caelum est*<sup>5)</sup> et *throni Cherubini*<sup>6)</sup>; et hic jaces in stabulo, *positus in praesepio*<sup>7)</sup>, *in medio duorum animalium; pannis involvitur qui caeli ambitu non continetur*<sup>8)</sup>. Tu *splendor es gloriae et figura substantiae Patris*<sup>9)</sup>, *amictus lumine sicut vestimento*<sup>10)</sup>, *dives in omnes*<sup>11)</sup>, et abjectus sperneris, nudus traxae frigore tremis, omniumque egenus etiam hospitio excluderis. Nempe *cum esses dives, propter nos egenus factus es, ut tua inopia nos divites essemus*<sup>12)</sup>, tuoque

1) Luc. 9, 58. — 2) Luc. 2, 7. — 3) Ibid. — 4) Psalm. 87, 16. — 5) Isa. 66, 1. — 6) Isa. 37, 16. — 7) Luc. 2, 16. — 8) S. Eucherius. — 9) Hebr. 1, 3. — 10) Psalm. 103, 2. — 11) Rom. 10, 12. — 12) 2. Cor. 8, 9.

exemplo animati, paupertatem aestimare, amare et appetere disceremus.

Punctum II.

Et tamen o! quam locuples nostra atque commoda est paupertas tam rerum quam spiritus, tum quia superfluis abundamus, tum quia necessariis nimio cum affectu addicti vivimus. O superi! quanta meam inter et Christi paupertatem discrepantia intercedit! Ille in pauperi stabulo, ego in nitido cubiculo: ille in summo rerum omnium defectu gaudet, et ego etiam superflua deesse conqueror: ille hospitii, ciborum, tegumentorum penuria laborat, et ego non nisi molliter vestiri, dapsiliter nutriri et nobiliter habitare desidero. O caeli! quando tandem imitabor, quem adoro! O delicatule! *audi sermonem Domini*<sup>1)</sup>: *haec dicit Dominus: Ecce ego.... et tu quaeris tibi grandia*<sup>2)</sup>! *Ego in frigore et nuditate*<sup>3)</sup>, et tu quaeris carni mollia. *Ego in fame et siti*<sup>4)</sup>, et tu quaeris gustui sapida. *Cuncti dies mei doloribus et aerumnis pleni sunt*<sup>5)</sup>, et tu quaeris semper commoda. Quae haec differentia<sup>6)</sup>!

---

1) Jer. 22, 29. — 2) Jer. 45, 5. — 3) 2. Cor. 11, 27. — 4) Deut. 28, 48. — 5) Ecclae. 2, 23. — 6) Audiatur S. Bernard: „Nasciturus Dei filius, inquit, ... elegit quod molestius est, praesertim parvulo et pauperis Matris filio, quae vix pannos haberet ad involvendum, praesepe ad reclinandum. ... Non est tale iudicium mundi. Aut Christus fallitur, aut mundus errat. Christus utique, qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum, et quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam a seductore cavendum. Jam vero etiam nocte vult nasci. Ubi sunt, qui tam imprudenter ostentare gestiunt semet ipsos? Christus elegit, quod salubrius iudicat; vos eligitis, quod reprobat ille. Quis prudentior e duobus? cujus iudicium justius? cujus sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non praedicat; et ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo caelestis exercitus. Et tu ergo, qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum: *Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum.*

Adhuc in stabulo nascitur Christus, et in praesepe reclinatur. Et nonne ipse est, qui dicit: *Meus est orbis terrae et plenitudo ejus* (Psalm. 49, 12.) Quid ergo stabulum elegit? Plane ut reprobet glo-

2. O caelites! quis non judicasset Regem regum ac Dominum dominantium, qui in hunc mundum eundem salvaturus advenerat, primam lucem aspecturum in Caesarum aulis, nutriendum a Principibus, fovendum a Reginis, reclinandum in purpura et bysso? Et en! aeternus Pater ei pro palatio stabulum, pro aulicis bruta, pro cunis praesepe et paleas assignat. Et sic divinus Pater tractat filium, et quidem dilectissimum sibi sanctissimumque filium solum ideo, ut nos mundi vanitatem dedoctos paupertatis pretium aestimare, et latentes in ea thesauros amare et appetere doceret; ut nobis quoque aliquem ad domicilia egena et incommoda affectum inderet. S. Bernardi haec opinio est, dicentis: *Paupertatem Dei Filius concupiscens a regalibus sedibus venit, ubi omnium affluentia suppetebat, ut eam eligeret sibi, et nobis quoque sua aestimatione faceret pretiosam*<sup>1)</sup>. Jam clamat exemplo, quod postea praedicaturus est verbo. *Clamat stabulum poenitentiam; clamat praesepe, clamant lacrimae, clamant panni*<sup>2)</sup>.

3. Accedit, quod Christus hunc paupertatis statum cum annexis ei miseriis libens elegerit, non obstante, quod is suae existimationi tanquam Messiae noxius suaeque valetudini periculosus exstiterit. Et licet huic profectioni, tot molestiarum origini, causam dederit sola vanitas Caesaris, orbem describi volentis; nihilominus quoad omnia se prompte submitit solum ideo, ut Patri aeterno serviret, quo decreverat modo, nascendo scilicet in eo, quo Pater ab aeterno voluerat loco et statu cum plena ad quidvis indifferentia.

### Affectus.

Credo, Domine, cum verbo et exemplo id asseveraveris, *beatos esse pauperes spiritu, et horum esse regnum*

riam mundi, damnet saeculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, et quaecunque de eo sunt, clamant praedicant, evangelizant. Ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, subvertitur, confutatur.“ (Serm. 3. in Natal. Dom.)

<sup>1)</sup> S. Bern. serm. in vigil. nativ. Christi.— <sup>2)</sup> S. Bern. serm. 5. de Nat. Dom.

caelorum<sup>1)</sup>. Credo, mundum sectantem divitias, honores ac voluptates errare; cum Christus, Sapientia infinita, qui nec decipi potest, nec nos cult decipere, iis contraria praetulerit<sup>2)</sup>.

O pauperrime Jesu, quanto pro me vilior, tanto mihi carior<sup>3)</sup>! panni tui, praesepe et stabulum mihi quoque, uti olim pastoribus Bethlehemiticis, indicio sunt (*hoc vobis signum*), te esse Filium Dei, in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter<sup>4)</sup>. Cum iis igitur etiam ego te, o infans egentissime! supplex adoro ut Dominum meum et Deum meum, promittens tibi sequelam, memor mandati tui: *Dicitiae si affluant, nolite cor apponere*<sup>5)</sup>.

O quam doleo, quod nimia mea, qua laboro, commo-  
dorum appetentia rerumque terrestrium cupiditas tibi vix nato lacrimas expresserint; dum *primam vocem omnibus similem emisisti plorans*<sup>6)</sup>, meum hunc ad mundana affectum et avidam nimis habendi cupidinem tenero gemita deflens.

At errorem tuo exemplo dedoctus abditas in egestate divitias jam nunc tandem aestimare, quin et amare atque etiam appetere disco. *Pretiosiores panni tui sunt omni purpura, ditior paupertas tua est cunctis opibus cunctisque divitiis saeculi*<sup>7)</sup>. Promissum genuinis pauperibus centuplum in hac vita, regnumque caelorum in altera suadent hanc virtutem diligere ut matrem, fovere ut pupillam, tueri ut murum Religionis.

Territus illo serali tonitru: *Vae vobis divitibus*<sup>8)</sup>, renovo emissum jam olim paupertatis votum. Toto corde abnego et ejuro omnem pravum ad res terrenas affectum. Fixum est; nil, quod statum dedecet, nil superfluum retinebo: nil etiam eorum, quae necessaria sunt, sine licentia

<sup>1)</sup> Matth. 5, 3. — <sup>2)</sup> Bern. serm. 1. de nativ. — <sup>3)</sup> S. Bern. —

<sup>4)</sup> Coloss. 2, 9. — <sup>5)</sup> Psalm. 61, 11. — <sup>6)</sup> Sap. 7, 3. — <sup>7)</sup> Bern. serm. 4. in vigilia Nativ. — <sup>8)</sup> Luc. 6, 24.

acceptabo, vel usurpabo, nec etiam iis, quibus cum facultate  
tor, nimio amore addictus vivam.

Indifferenti animo semper ero ad quemvis locum et  
ictum utut incommodum, vilem et egenum; mihi que gra-  
ulabor, quando aliquos paupertatis effectus patiar. Modo  
bi sim, ubi me degere tibi que servire cupis, quodlibet  
ugurium mihi palatium erit. Tu, o pauperrime Jesu! tu  
hesaurus meus es, ubi deinceps cor meum erit. Nudus  
t ego nudum te sequi volo: tu enim centuplum meum et  
omnia. O Domine, qui *desiderium pauperum exaudis*<sup>1)</sup>,  
la, ut omnium egens, te solo sim dives.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi. Lib. 2. cap. 2 et lib. 3.  
cap. 18.

---

<sup>1)</sup> Psalm. 10, 17.

---

## DIES QUINTA.

„In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, et legem Tuam in medio cordis mei.“ Psalm. 39, 9.

### MEDITATIO I.

## DE CHRISTI FUGA IN AEGYPTUM.

### Punctum I.

**C**onsidera circumstantias, quae Christo hanc profectio-  
nem summe difficilem reddere merito poterant. *Prima erat locus* tum *deserendus*, nempe patria, ubi a cognatis et affinibus pauper haec familia plurimum subsidii ac solatii sperare poterat; tum *petendus*, nempe Aegyptus, *cujus* incolae erant idololatrae, Judaeis naturaliter infensi, et quorum idioma parentes ignorabant.

*Secunda* circumstantia erat *tempus*, quo erat proficiendum; nempe frigida hyeme et quidem intempestiva nocte, per vias ignotas, asperas, torrentibus impeditas, pluvius corruptas, latronibus infestas, innumeris periculis plenas, omni commodo destitutas.

*Tertia* circumstantia erat *ratio* duraque methodus, qua haec profectio imperabatur; nempe non de die, sed nocte, interrupto ideo somno; et quidem imperabatur *statim* ea

sa hora executioni mandanda, quin relictum fuerit spatum se ad iter tam longinquum ac difficile parandi, de necessariis providendi, amicis valedicendi, de suppellectili disponendi; quin pauperi familiae provideatur de sufficienti iatico; quin definiatur tempus, quo ibi morandum sit. *Isto ibi, usque dum dicam tibi*<sup>1)</sup>, hoc erat omnis solatii compendium. Et re ipsa erat *ibi usque ad obitum Herodis*<sup>2)</sup>, septem omnino annos. Certe omnes circumstantiae, quaecunque dispositionem aliquam localem difficilem addere queunt, hic turmatim confluisse videntur; cui si nnes nostrae, quaecunque nobis per vitae cursum evenire possunt, comparentur, inane phantasma erunt. O Pater aeternae! quo jure servus ego et infamis peccator conqueri possum; cum dure adeo Sanctum sanctorum eumque Filium unum haberi a te videam.

## Punctum II.

Considera *modum*, quo nihilominus in re tam ardua Christus obedivit 1. *prompte*.

Nam teste Matthaeo *consurgens nocte secessit in aegyptum*<sup>3)</sup>. Imperium intellexisse, et mox iter ingressum fuisse idem temporis momentum erat.

2. Obedivit *caece*, mandatum non examinando, nil ob-  
 murando, vel improbando; quamvis adfuerint gravissimae  
 rationes replicandi, et quamvis hoc jussum fuerit secundum  
 parentiam contrarium luminibus rectae rationis. Nam  
 eum fugere, et quidem iram hominis fugere, quae haec  
 habilitas? Praeterea num ergo omnipotentem Sapientiam  
 sua deficiunt media Herodis furorem mitigandi, ejus in-  
 iurias declinandi, aut impios conatus eludendi? Et si etiam  
 sciendum, cur ad Aegyptios, quare non ad Magos? et  
 si saltem tempus non indicatur, quo ibi morandum sit?  
 primum omnia haec surda aure praetereuntur; ad cuncta

<sup>1)</sup> Matth. 2, 13. — <sup>2)</sup> Matth. 2, 15. — <sup>3)</sup> Ibid. 14.

haec humanae rationis lumina oculi pio nictu clauduntur. Uno verbo: caece Christus obedivit.

3. Imo et *laete*, longe pulsa omni tristitia ac taedio. Nullum ab amicis solatium emendicando, nullum a notis viaticum corrogando; sed magno et alacri animo sine omni subsidio, divinae voluntatis nutum prompto pede sequendo, imperatam in viam se dedit. Et haec idea perfectae obedientiae est, a Jesu socio in acceptanda quavis locorum dispositione generosa mente imitanda. O quantopere hoc Christi exemplum non confundit illas nostras inquietudines, sollicitudines, anxietates, querimonias, ac perturbationes, quibus animus agitur, et domus impletur, si forte ad locum minus gratum a Superioribus destinemur! Nempe divinae Bonitati diffidimus, hinc paternae ejus Providentiae nos committere timemus.

#### Punctum III.

Considera *incitamenta* ad Christum hac in re sequendum nos impellentia, quae licet in consideratione diei primae jam fuerint inculcata, tamen ob suam efficaciam hic denuo breviter sunt repetenda. 1. Primum incitamentum in sequenti veritate consistit: *haec ordinatio Superioris est voluntas Numinis*. Licet Praelatus forte agat ex mala intellectus informatione, aut sinistra mentis affectione; tamen te nunc ad hunc illumve locum mitti, est voluntas Dei. Nam si testante S. Codice nec capillus de capite, nec passer de culmine cadit sine provido aeterni Senatus consilio, impium est negare, divinam Providentiam se pariter ad ea extendere, a quibus Religiosi perfectio et animae quies dependet<sup>1)</sup>.

Audiant proin, audiant pusillanimes ac diffidentes Deo animae, audiant communem et certam Theologorum sententiam: omnia, excepto solo peccato, omnia fiunt, nobis-

<sup>1)</sup> Cfr. Matth. 6, 26 et seqq. 10, 30. Isa. 49, 16: „Ecce in manibus meis descripsi te.“



que accidunt moderante, ordinante ac volente orbis Moderatore Deo. Quin imo etiamsi sanctissimum Numen peccatum solummodo permittat, tamen effectus de se indifferentes ex peccato profluentes vult, ita est, etiam hos vult Deus. Sic etiamsi noluerit Josephi venditionem, tamen voluit ejus in Aegyptum profectionem; etiamsi detestatus sit ejus falsam accusationem, tamen decrevit illius captivitatem. Eodem modo etiamsi supremæ Mentis Sanctitas nolit, imo aversetur, et puniat illam falsam delationem, malevolorum machinationem, Superioris nimiam credulitatem et etiam alienationem, ob quam forte ad hanc illamve stationem destinaris; tamen o bone! tamen vult Deus tuam illum in locum profectionem. Et hoc certum est: Theologis et Ascetis indubitatum est; et quidem eam vult ob majus tuum bonum. Et hoc est

2. Alterum nos plene submittendi incitamentum. Nempe hæc tibi assignata per obedientiam statio est tibi tuoque bono omnium convenientissima. Nam Deus, hoc ipso quod *omniscius* sit, certo scit, quis locus tuæ saluti et sanitati, animæ et corpori, commodo et honori convenientior existat. Huncque *Omnipotens* tibi dare etiam potest. Ergo hunc etiam dabit, hoc ipso quod tui *amantissimus* sit. Nam sacra testante Pagina, Dominus sollicitus est tui: Pater est, et nemo tam Pater atque ipse, qui te portat in sinu suo, sicut portare solet nutrix infantulum suum, charitate perpetua diligens te. Ergo tui *amantissimus* est. Ergo ille locus, quem modo providum Numen per obedientiam tibi destinat, est locus tibi convenientissimus, animæ saluti ac perfectioni consequendæ opportunissimus et melior omni alio. Talis enim ni foret, tam amans tui tamque sollicitus Pater eum tibi minime daret. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*<sup>1)</sup>, Ah! pupillam Dei laedit, de illius bonitate ac paterno amore qui diffidit.

---

<sup>1)</sup> Psalm. 24, 10. Cfr. totus Psalm. 90, et Psalm. 36, 25: „Junior

*Fructus* ex hac meditatione colligendus est efficax animi decretum, caeco se- nusu conjiciendi in sinum Providentiae divinae, cum firmo proposito nullam stationem deprecandi, nullam procurandi; sed sanctam hanc ad omnes orbis provincias, provinciae regiones, regionis domicilia, domiciliorum incommoda, uno verbo: ad omnem *locum* indifferentiam veluti gemmam caelestem, et omni auro pretiosiore margaritam nostro in corde jugi conatu conservandi.

Haec insuper indifferentia extendere se etiam debet ad magis singularia, nempe 1. in tali domicilio ad incommodum cubiculum, lectum, vestitum, potum, victum; 2. ad morosos, maledicos, litigiosos ibidem degentes socios; 3. ad indiscretos, ad male nobis affectos Superiores in tali loco gubernantes; 4. ad discipulos, subditos, vel alios externos parum cultos, ingratos, malitiosos; 5. ad iter longinquum, arduum et molestum; summa: ad omnes molestias, quae ratione talis loci vel *incolarum* ejus enasci possunt.

### Affectus.

Credo, quia *tua Pater! Providentia gubernat omnia*<sup>1)</sup>, *pusillum et magnum*<sup>2)</sup>, *et attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*<sup>3)</sup>. *Non est quicquam absconditum ab oculis tuis*<sup>4)</sup> *et tibi cura est de omnibus*<sup>5)</sup>, adeoque scis, quis locus mihi aptior sit. Huncque dare etiam potes, *subest enim tibi, cum volueris, posse*<sup>6)</sup>. Ergo eum etiam dabis, nisi bonitati tuae obstiterit malitia mea. Nam *pater meus es*<sup>7)</sup>, in commodum meum aeterno amore continenter intentus. Haec credo; Et tamen ego, qui ipsa caecitas et imbecillitas sum?

---

fui, etenim senul, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem.“

<sup>1)</sup> Sap. 14, 3. — <sup>2)</sup> Sap. 6, 8. — <sup>3)</sup> Sap. 8, 1. — <sup>4)</sup> Eccli. 39, 24. — <sup>5)</sup> Sap. 12, 13. — <sup>6)</sup> Sap. 12, 18. — <sup>7)</sup> Psalm. 88, 27.

go, qui *puer sum*<sup>1)</sup>, *nesciens introitum et exitum ueum*<sup>2)</sup>: ego, inquam, ex paterno sinu tuo aufugere, ego, iae Providentiae me subducere, ibique locorum degere olui, ubi id noxius et imprudens impetus suasit. Sed oenitet... Timeo o Deus! vindicem manuum tuam; nam orte in ea, quam ambio, statione morbo me affligi, tentationibus agitari, aerumnis vexari graviterque labi permisses, qui me in eo, quem aversor, loco ab his omnibus immunem servasses. Proin decerno meliora.

*Ecce! Pater dilecte, in manibus tuis sum ego. Tu scis omnia et singula: sine consilio tuo et providentia nihil fit in terra*<sup>3)</sup>. *Tu scis, quid expedit ad profectum meum. Fac ergo mecum desideratum beneplacitum tuum*<sup>4)</sup>; *non enim potest esse nisi bonum, quidquid de ne feceris; major est enim tua sollicitudo pro me, quam ego possum gerere pro me*<sup>5)</sup>.

*Domine, tu scis, qualiter melius sit. Fac ergo mecum, sicut scis, et sicut magis tibi placuerit, et major honor tuus fuerit. Pone me, ubi vis, et libere age mecum in omnibus. In manu tua ego sum; gyra, et reversa me per circuitum. En! servus tuus ego, paratus ad omnia*<sup>6)</sup>. *Si me vis esse in tenebris, et vili in loco degere, sis benedictus: si me vis esse in luce, seu statione commoda frui, sis iterum benedictus*<sup>7)</sup>. *Dominus es, quod bonum est in oculis tuis, facias*<sup>8)</sup>. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: paratum ad adversa, paratum ad prospera*<sup>9)</sup>.

Idque eo lubentius ago, quia tu *Dominator virtutis non solum omnia in mensura, numero et pondere disponis*<sup>10)</sup>: *sed insuper cum magna reverentia disponis nos*<sup>11)</sup>, cuncta ad nostrum majus bonum dirigendo, *ipsum malum in bonum*

---

1) Jer. 1, 7. — 2) Isa. 37, 28. — 3) Thom. a Kempis de imit. Christi. lib. 3. c. 50. — 4) Ibid. — 5) Ibid. c. 17. — 6) Ibid. c. 15. — 7) Ibid. c. 17. — 8) 1. Reg. 3, 18. — 9) August. in Psalm. 170. — 10) Sap. 11, 21. — 11) Sap. 12, 18.

*vertendo*<sup>1)</sup> et *faciendo cum ipsa tentatione proventum*<sup>2)</sup>. Igitur prodigo mei jactu me indifferentem ad omnia con-  
jicio inter brachia tam paterna, dicendo cum S. P. Ignatio  
de Loyola: *Fac mecum, sicut scis et vis; nam scio, quod  
amator sis.*

\* Legatur Thom. a Kempis de imitat. Christi lib. 3. cap. 15.

---

LECTIO

DE PRAEVIA ANIMI AD ELECTIONEM  
COMPARATIONE.

§. I.

I. Ut serviamus Creatori, quo ille voluerit modo, imitan-  
dus nobis est Christus et quidem 1. ea ratione seu in eo  
perfectionis gradu, quem ille nobis in his exercitiis desig-  
naverit: 2. cum plena ad quidvis indifferentia, nil exci-  
piendo, nullos gratiae limites ponendo: 3. non solum omnem  
*vitiosam* ad terrena inclinationem excludendo; sed insuper  
sanctam *ad meliora* propensionem fovendo semperque ten-  
dendo ad id, quod perfectius est; uti constat ex hesternae  
diei sacra lectione<sup>3)</sup>, cujus tria haec puncta praecipuum  
erant argumentum.

Jam autem ab aurea hac mentis comparatione sex  
praecipue obstacula fortiori nos abstrahunt nisu videlicet  
1. mundi honores, 2. carnis illecebrae, 3. vitae ditioris  
commoda, 4. immoderatus amor erga patriam aut certum  
quempiam locum, 5. vana cupido eminendi in mundo sua-  
que talenta ostentandi, 6. nimia affectio erga parentes,  
consanguineos vel aliam quampiam rem creatam, quae car-

---

<sup>1)</sup> Gen. 50, 20. — <sup>2)</sup> 1. Cor. 10, 13. — <sup>3)</sup> §. I. n. 2. item §. III.  
n. 3 et §. IV. n. 1.

iem et sanguinem sapiat. Haec sunt illa sex emersa artaro monstra, quae nos potissimum ab ultimo fine nostro, commendato hactenus aequilibrio, ab altiori virtutis gradu abstrahunt abducuntque.

II. Nempe Christo, mortales nos ad perfectionem evocanti, illud ipsum non raro evenire solet, quod illi *homini regi, qui fecit coenam magnam, et vocavit multos*, contigisse Sacrae Paginae memorant. Nam etiam de nobis, quod de his invitatis dici potest: *Illi autem neglexerunt, et abierunt alius ad villam suam* (en! superbiae fastum): *alius ad negotiationem suam* (en! lucri cupiditatem): *alius uxorem duxit* (en! voluptatum appetentiam)<sup>1)</sup>. Hic enim triplex ille hamus est, quo stygius hostis incautos nos a virtutis tramite, a Dei servitio, a Christi sequela, atque ultimo fine nostro coeva orbi fraude abducere consuevit.

Praeter hos communes laqueos, quibus orcus plurimam hominum partem irretit perditque, tres alias improvidis pedicas subdole struit eo magis periculosas, quo subtiliori ex stupa confectae sunt; et quibus non paucos etiam illorum captivos retinet, qui tres primos compedes victrici jam pede calcarunt.

Sunt enim, qui etiam disrupto triplici illo satanae funiculo, nempe vitiosa honorum, divitiarum ac voluptatum appetentia, tamen adhuc patrio solo aut alii cuidam *stationi* ita affixi adhaerent, ut si etiam Deus sibi eos alibi servire cupiat, ii inde moveri vel omnino non, vel non nisi aegerrime queant. Id quod repugnat plenae illi, quae mox exercitiorum<sup>2)</sup> initio commendabatur ad quemvis *locum* indifferentiae, vi cuius promptos nos esse oportet ad serviendum Deo in ea, qua ipse voluerit, mundi plaga, aemulantes Raphaëlem Archangelum, quem Tobias junior in-

1) Matth. 22, 2 et seq. Luc. 14, 20.

2) Diei 1. medit. 2.

venit stantem praecinctum et quasi paratum ad ambulandum<sup>1)</sup>, quocunque vocaretur, vel mitteretur.

Alios reperire est, quois quidem animo fixum sedet servire Creatori, imitando Servatorem; sed tamen iis solum in *muniis*, quae fallaci splendore oculis illudunt, atque inani nominis fama stultas hominum aures attonant. Sunt hi ex numero illorum, quibus amor proprius illud ipsum identidem suggerit, quod olim Apostoli Christo: scilicet *manifesta te ipsum mundo; nemo enim in abscondito quid facit, sed quaerit ipse in palam esse*<sup>2)</sup>. Quin imo sub frivolo metu, ne forte et ipsi olim servi nequam audire debeant, quasi et ipsi concredita sibi talenta defoderint in terram, ea coram mundo ostentare ambiunt, obtentu gloriae Dei propriam laudem tecta molitione aucupantes. Quam longe hi ab aurea illa ad quodvis *munus* etiam vile et incommodum indifferentia, quam diei I. meditatione 2. commendavimus, adeoque etiam a perfecto Dei servitio recedant, in propatulo est.

Aliqui demum vinculo ex carne et sanguine contexto a virtutis studio et sanctiori Numinis famulatu abstrahi se sinunt, dum immodico erga parentes vel consanguineos amore a Christo proximius sequendo praepediuntur, aut alia minus ordinata ad personam aut rem quampiam, vel etiam ad se ipsos corporisque commoda, ad proprium iudicium vitaeque libertatem affectione ab illo perfectionis culmine arcentur, ad quod conscendendum a caelo invitantur, recedentes hac ratione ab illo caelesti aequilibrio, quo indifferentes esse deberemus ad omnem omnino *virtutis gradum*, ad quem nos eluctari Suprema Mens voluerit. Nunquam enim orbis Moderatori famulabimur, quo ipse cupierit modo, nisi nostra indifferentia, ab hoc triplici vinculo libera, ad omnem insuper locum, munus virtutisque gradum

---

<sup>1)</sup> Tob. 5, 5.

<sup>2)</sup> Joan. 7, 4.

re prompta extenderit; prout mox prima exercitiorum die indicavimus.

III. Porro tollendis his omnibus obstaculis exemplum servatoris, quod S. P. N. secunda hac hebdomade nobis meditandum proponit, potens omnino et excellens remedium est. *Parum erat*, inquit S. Augustinus, *hortari nos verbo, nisi firmaret exemplo*<sup>1)</sup>. Illo enim animamur non solummodo ad contemptum honorum, divitiarum ac voluptatum; sed insuper ad omnem quoque locum, munus virtutisque gradum perfecte aequilibres esse monemur, ideoque et prompti ad omne divini servitii *genus*, nec non ad omnem Christum imitandi *modum*, quocumque in statu et quacunque ratione nos Deus id exequi voluerit.

Nam ad primam quod attinet enumeratorum sex hostium triadem, nempe ad appetentiam dignitatum, illecebrarum et opum, eisdem heri jam caelestis Archistrategus noster victricia intulit arma, eosque debellare nos docuit animi demissione, vitae asperitate rerumque penuria; quarum virtutum insigne nobis specimen praebuit in sua tum Incarnatione tum Nativitate; ut proin minime dubitem, magnam earum etiam nos *aestimationem*, *amorem*, quin et *desiderium* concepisse.

Reliqui tres tectioris malitiae Sinones, nempe inordinati ad locum quempiam et munus, ad carnem ac sanguinem affectus hodie profigandi supersunt, et quidem divino pariter Christi exemplo, quo nobis ille praeluxit 1. sua in Aegyptum fuga, 2. occulta tot annis vita, 3. suoque in templum ascensu, aut potius sua ibidem relictis parentibus per triduum mansione. Haec enim mysteria S. P. Ignatius hunc in finem provide selectu contemplanda proponit<sup>2)</sup>, ut eorum adminiculo nimium illum ad quempiam locum aut munus, ad carnem aut sanguinem affectum exuamus, qui

---

<sup>1)</sup> In Psalm. 63.

<sup>2)</sup> In lib. exercit. pro die 2. hebd. 2.

requisitae ad electionem indifferentiae impedimento esse posset; idque non absque Numine agit.

IV. Primo enim mysterio, nempe Servatoris fuga in Aegyptum, expellitur iners illa ad eandem semper stationem affectio, ejusque loco instillatur agilis indifferentia ad omnem *regionem et locum*, quo nos Deï famulatus ac nutus evocat. Secundo mysterio, videlicet ejus occulta tot annis vita, reprimitur insolens ille in mundo excellendi suasque dotes ostentandi pruritus; ac pro eo inducitur aequilibrata ad omne omnino vile molestumque *munus*.

Tertio denique, Christus a suis parentibus clam discedendo, iisque relictis in templo solus subsistendo, ac immorando iis, quae Patris ejus erant, docet nos omnem minus ordinatam erga parentes, consanguineos, aut *alias res creatas*, etiam *ad se ipsum* propensionem deponere, ac promptos esse etiam ad amplectendam *formam*, ut loquitur S. Auctor, *secundi status perfectionem Evangelicam afferentis*<sup>1)</sup>, seu ad ingressum in Religionem; siquidem Deum id a nobis exigere electionis tempore intellexerimus. Aut si nuncupatis pridem votis sacro cuidam Ordini jam adscripti vivimus, movet nos ad ejurandam sinistram motionem illam, quae progressum in virtute et gratiarum fluentia prae aliis hebetat, Caeloque in nobis singulariter displicet; vel ad patrandum illum actum heroicum, ad quem exercendum vehementius impellimur: aut ad sacrificandam illam rem creatam, quae cor nostrum cum Numine dividit, nosque a perfectione potentius retrahit. Qui proin scopus in tertia meditatione illa semper prae oculis est habendus.

Ex his iterum elucet mirabilis meditationum nexus ac providus materiarum selectus, ita ut supervacaneum nihil, nihil sine consilio positum in toto exercitiorum libello

---

<sup>1)</sup> In lib. exercit. ante contempl. de vexillis in Hispano autographo, quod a textu ipsius libelli differt.



reperiatur, quod non recta ad praefixam sibi metam collineet, quod non arcte cum jacto prima die fundamento cohaereat, quod non dextre ac dissimulanter praecipua indifferentiae impedimenta e via submoveat, nosque disponat ad eligendum illum vitae statum, aut in electo jam statu ad conscendendum illum perfectionis gradum, in quo Deus nos sibi servire, Christumque imitari exoptat; et quidem id omne S. P. N. non nisi proposito divini Servatoris exemplo efficere satagit.

## §. II.

I. Unde iterato mira ejusdem prudentia emicat, semper aptiora consequendo fini media seligentis; nam aptius, quo hactenus dicta effectui dentur, incitamentum hoc ipso Dei-Hominis exemplo excogitari non potest; hoc enim omni ratione clarius, omni eloquentia facundius, omni evidentialia certius intellectum de rei veritate convincit; voluntatem vero ad eandem amplectendam omni ariete fortius impellit. Quod nec argumenta evincere, nec praecepta efficere queunt, id exempli hujus vis operatur perficitque. Tanta illud efficaciam est.

Nec mirum; si enim patrata ab aequalibus facinora tam potenter ad imitandum nos incitant, quid non possit exemplum Christi, cui personae dignitas, sequelae utilitas, sequendi necessitas alique tituli immensum pondus ac robur addunt. Quis enim servus collum illi jugo subdere tardet, quod caeli Dominum sibi imponentem videt? Quis miles domi otiosus delitescat, dum Regem suum in aciem prodeuntem cernit? Quis Christianus aspiciens in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem<sup>1)</sup>, eandem aversari sustineat? *Multum enimvero confert ad incitamentum virtutum* (Chrysostomi sententia est), *Magistrum luctantem indesinenter*

---

<sup>1)</sup> Hebr. 12, 2.

*aspicere, nec cedentem*<sup>1)</sup>. *Validior quippe operis oris est vox*<sup>2)</sup>. Ex his proin praeclara tum me exempli efficacitas, tum S. P. Ignatii sapientia a per efficaciora semper media ad praestitutum sibi tendentis.

Et profecto contemplari Verbum carnem factum, potentem ad statum infantis redactum, Immensum materni angustiis circumscriptum et miseris afflictum terraeque Dominum in stabulo summam omnium pe patientem; et tamen cristas attollere, cuticulam paupertatem aversari; praeterea eundem in Aegypti gentem, in officina fabrili latentem, in templo Pat sequio se integre mancipantem cernere et adora tamen viles ac molestas stationes et occupationes h vocantique ad perfectionem Evangelicam Numini aures occludere, et rei cujuspiam creatae turpe mar esse, id enimvero Marpesiae cautis indicium foret a tem argueret omnis humani aut saltem christiani expertem.

Ex his ergo liquet, quantopere allucinentur ii, q vitae Christi mysteria, tanquam feriis solum nataliti pria, minus apte hic poni autumant, aut solidiores ii tates substituendas esse arbitrantur. Qui proptere aut illorum saltem aliqua vel omittunt, vel tantum percurrunt; cum tamen nulla ex assignatis medita quae non singularem cum reliquis connexionem l nulla quae non mira virtute ob Christi exemplum in influat, et illum, qui in his exercitiis intenditur, f potenter promoveat. Accedit, earum quamlibet pe aliquod impedimentum auferre, quod commendatae h indifferentiae adeoque et electioni obstat officitque. ipsum autem magno nobis incitamento esse debet, hi mentationibus debita animi contentione vacandi.

---

<sup>1)</sup> In 2. Tim. 4. — <sup>2)</sup> Laur. Just. lib. de conflictu interic

sed tantum felix illius successus praeviis precibus ac votis sit efflagitandus; praecogitari tamen, ac determinari jam poterunt singularia quaedam futurae electionis puncta, quae hunc in finem infra §. III. enumerabuntur.

Hanc ipsam ob causam motiones etiam internae ad hoc vel illud eligendum impellentes nec in hac nec in aliis meditationibus sunt impediendae; quamvis nec justo plus iisdem tribuendum aut immorandum sit<sup>1)</sup>.

Porro praecipuus tertiae exercitationis praesentis hujus diei scopus est, ut extendamus commendatam hactenus indifferentiam etiam *ad statum consilia Evangelica observantem* seu ad statum religiosum, siquidem ejus electio nobis etiamnum libera sit. Secus eo dirigenda erit tertia hujus diei meditatio, ut *in electo jam statu nos perficiamus*<sup>2)</sup>, nominatim ut omnem affectum erga carnem et sanguinem v. g. erga certam personam, aut rem quampiam creatam, vel etiam ad nos ipsos corporisque commoda stirpitus exscindamus. Quo fiet, ut terrenis omnibus vinculis liberi, eo expeditiores futuri simus ad magnum illud electionis negotium, quo omnia hactenus dicta velut ad centrum collineant.

Nam illa, quae hactenus de regno et vita Christi dicta sunt, atque etiam deinceps de duobus vexillis ac variis hominum classibus tribusque humilitatis gradibus dicentur, non ad illos duntaxat spectant, qui de eligendo vitae statu deliberaturi sunt, sed etiam ad eos, qui certo vitae generi jam sunt adscripti. His enim ex mente S. Patris enitendum est, *ut perfecti in eo, quem elegerunt, evadant statu*. Illius haec sunt verba: ex meditationibus tum praecedentibus, tum sequentibus *discemus etiam, qua sit nobis opus dispositione, ut perfecti in eo evadamus statu, quemcunque Bonitas divina eligendum nobis suggesserit*<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Videri potest Diertins in notis ad notandum secundum post contemplationem de transitu Jordanis. — <sup>2)</sup> Direct. c. 34. n. 3. — <sup>3)</sup> Lib. exercit. ad finem diei 2. hebd. 2.

Ex quibus patet, non solum allatas hactenus et afferendas in posterum exercitationes, sed etiam universam electionis materiam aequè utilem ac necessariam esse iis, qui statum jam habent, quam iis, qui in illum inquirunt. Illis enim deliberandum est de *mediis* in electo jam statu se in dies perficiendi, eumque virtutis gradum conscendendi, ad quem eos eluctari volet Deus<sup>1)</sup>.

### §. III.

I. Ceterum de ipsa electione tria sunt declaranda, 1. comparatio animi requisita ex parte eligentis, 2. modus bene eligendi, 3. materia seu puncta electionis. Ad *comparationem animi* quod attinet, ea secundum Directorium<sup>2)</sup> tria complectitur, 1. plenam ad quidvis indifferentiam, 2. extinctionem omnis inordinati affectus, 3. fortem ad perfectiora propensionem. Quam belle S. P. Ignatius per has secundae hebdomadis exercitationes ad eligenda semper perfectiora nos impellat, quam dextre nos omni sinistra affectione exspoliet, quam potenter laudatam aequilibratam nobis instillet, adeoque quam apte nos ad magnum electionis negotium rite expediendum comparet; tum ex hactenus jam dictis, tum ex adhuc dicendis abunde patet.

Quam magna autem dictae dispositionis necessitas sit, inde elucet, quod ex S. P. N. *tota tractatio de modo eligendi omittenda sit, si quis ad commendatam hanc resignationem et indifferentiam per inculcatam hucusque ad sanctiora propensionem non provenerit, aut si mens minus ordinato quodam affectu occupata fuerit. Ille enim affectus a via perfectiori aversus et ad imperfectiorem conversus illum traheret ad excogitandas rationes tali affectui consentaneas; facileque fieri posset, ut quis existimaret illam esse Dei voluntatem, quae est propria*

---

<sup>1)</sup> Direct. c. 19. n. 3. et c. 34. n. 3. — <sup>2)</sup> Direct. c. 33. n. 3 et 4. Item c. 23. n. 3.

*ipsius voluntas. Quo casu, intermisso interim electionis exercitio, procedendum erit in sequentibus exercitiis, ut fors per ea animus ad majorem maturitatem perducat<sup>1)</sup>*, simulque interea curandum, ut per assignatas a S. P. N. *regulas* affectionis vitium detegamus, detectumque per praescripta ab eodem *media* emendemus.

Porro *regulae* motiones bonas a malis, genuinas a spuris *dignoscendi* sunt sequentes. 1. Scrutanda erit radix et causa appetitionis ejusmodi vel repugnantiae, *an recta proveniat ex amore Dei?* 2. Considerandum erit, si quis alius, cui parem mecum perfectionis gradum opto, me super hoc affectu consuleret, nonne ei, ut illum corrigat, suasurus essem? 3. Cogitandum, quando mors imminet, an non aliam ab hoc affectu regulam me secutum fuisse desiderabo? 4. Prospiciam, num hic affectus sit tam purus, ut in die judicii nihil vanitatis in eo reperiendum sit?<sup>2)</sup> Ad hunc lapidem Lydium qui suos affectus serio tentamine iterato examinaverit, facili negotio discernet, ac *separabit pretiosum a vili*<sup>3)</sup>.

*Media* vero sinistras motiones corrigendi sunt haec: 1. Vitiosa ejusmodi affectio in oppositam partem impelli debet; ut si quis mentem ad mundi honores propendere sentiat, ad amorem contemptus eandem inflectat. 2. Per assiduas orationes corporis castigationes aliaque pietatis exercitia propensio ad contrariam virtutem a Dei clementia ferventer est expetenda; haec vel similia ad Deum suspiria interdiu ejaculando: *Domine, da v. g. humilitatis aestimationem, patientiae amorem et laborum appetentiam.* 3. Animus ab omni minus recta appetitione liber supremo Numini per diem saepius pura mente ad quidvis paratus est offerendus, protestando, nil jam se appetere aut aversari, nil velle aut nolle alio ex fine quam solius divini

<sup>1)</sup> Direct. c. 23. n. 3. — <sup>2)</sup> S. Ignat. in lib. exercit. de regulis a distribuendis eleemosynis observandis. — <sup>3)</sup> Jer. 15, 19.

cultus aut honoris ergo. His industriis levi brachio affect suspectos discernere et vitiosos emendare poterimus nosque aptos reddere ad electionem bene instituendam quae haud raro ob memoratae dispositionis defectum min felicitate succedit<sup>1)</sup>. Haec de praevia animi comparatione ad eligendum requisita breviter delibasse sufficiat.

II. Ad ejus vero *modum* quod spectat, illius prax post crastinae diei considerationem explanabitur; circa qua notandum, S. P. Ignatium triplex electionis tempus distinguere. *Primum* est illud, quando homini adeo clare constitat de voluntate Dei, ut ne dubitari quidem de ea possit. Exemplo sit vocatio SS. Matthaei et Pauli. Verum hoc tempus rarum est, et hinc ejus usus in hoc electionis exercitio locum non habet; cum enim ejusmodi divinae voluntatis manifestatio sit gratia singularis et omnino specialis atque a nostris viribus independens, ea non cadit sub regulam; ideoque nec petenda est a Deo, nec exspectanda. Proinde temerarium foret huic electionis modo immorari. *Secundum tempus* est, quando animus internis motionibusque tam efficacibus agitur, ut sine ullo praevio aut ferulo nullo intellectus discursu ad aliquid eligendum feratur. *Tertium tempus* est, quando intellectus ratiocinando, est, rationes pro una et altera parte ponderando, lumine voluntati praefert, ut ea id demum eligat, quod omnibus perpensis melius fuerit judicatum<sup>2)</sup>.

Differunt haec tempora a se invicem sequentibus. In *primo tempore* voluntas impellitur ad aliquid eligendum claritate quadam ac certitudine prorsus singulari, qua indubitanter agnoscit, hanc impulsionem esse a Deo. *secundo tempore* voluntas interius mota fertur ad aliquid eligendum solum cum *probabili conjectura*, hunc impulsu esse a Deo. In *tertio tempore* intellectus, perpensis pri-

<sup>1)</sup> Direct. c. 23. n. 4. Item c. 27. n. 6. et c. 30. n. 2.

<sup>2)</sup> Direct. c. 26.

in utramque partem rationibus, movet voluntatem ad aliquid eligendum. Itaque in primo et secundo tempore voluntas intellectum praecedit, et intellectus quasi tractus voluntatem sequitur; in tertio vero intellectus suo discursu praecedit, et voluntas ab eo mota sequitur<sup>1)</sup>. Hi autem eligendi modi ideo a S. P. N. tempora vocantur, quia nempe, quando anima ejusmodi motiones sentit, quales ibi describuntur, tunc aptum electioni et opportunum est *tempus*.

Ceterum hic notandum est 1. priora duo tempora seu eligendi modos continere quidem viam excellentiorem et sublimiorem; sed tamen viam tertii temporis planiorem esse ac tutiorem<sup>2)</sup>. 2. Si secundo tempore electio facta non sit, transeundum esse ad tertium electionis modum seu *tempus*<sup>3)</sup>. Quin imo, quamvis electio conclusa jam esset secundo tempore seu eligendi modo; tamen quia non est satis certum, quod illa motio voluntatis, praeveniens intellectum, sit a Deo, securius semper erit adhiberi etiam modum tertii temporis. Et sane signum est mali spiritus, amantis tenebras, quando subterfugit lumen examinis tertii hujus temporis seu modi<sup>4)</sup>.

III. Denique ad *puncta* electionis quod pertinet, ea hodie sunt declaranda; quia S. P. N. hodie adhuc post meditationem tertiam nos electionem auspicari vult, non quidem ejus *exercitium* jam actu inchoando, sed solum ejus instituendae *materiam* determinando. Porro sub electionem cadere potest *primo status totius vitae*. Hic autem docente Directorio versatur circa duo, nempe sitne manendum in praeceptis, an progrediendum ad consilia? Sique consilia sunt sequenda, num in religione, an extra eam? Si in religione, restat inquirendum, quis ordo in particulari sit eligendus? quo tempore is, quove modo sit assumendus?

<sup>1)</sup> Ibid. c. 27. n. 1. — <sup>2)</sup> Ibidem. — <sup>3)</sup> Ibid. c. 28. n. 1. — <sup>4)</sup> Ibid. n. 5. 6.

Ubi duo sunt notanda: 1. Cavendum, ne eligatur religio jam corrupta, vel in qua non viget observantia. 2. Attendendum non solum ad vires et propensionem personae, sed etiam ad ejusdem dotes et talenta. 3. Quum eo tempore, quo divina vocatio executioni danda foret, infirmitas humana rem procrastinare soleat, quantum potest, amorisque proprii vafrities varias morarum causas excogitare consueverit; optimum erit, hanc ipsam difficultatem in exercitiis profligare, et animo expendere illud S. Ambrosii oraculum: *Nescit tarda molimina Spiritus sanctus gratia*<sup>1)</sup>. Haec Directorium cap. 25.

*Secundo.* Alterum electionis punctum sunt *media*, quibus in electo jam statu ad altiorem perfectionis gradum eluctari queamus, nosque in eo perficere<sup>2)</sup>. Desumpta est haec doctrina ex ipso exercitiorum libro ejusque Directorio<sup>3)</sup>; quam confirmat Suarez, dicens: *Licet Religiosus jam non debeat de statu deliberare, potest tamen merito exerceri, ut in eo statu eligat optimum procedendi modum*<sup>4)</sup>. Proin ii, qui statum jam elegerunt, nequaquam debent factam ejus electionem denuo ad examen revocare; sed in id solum toto virium nisu incumbere, ut aptiora se in eo perficiendi seligant media.

Haec autem media sunt magna in actionibus quotidianis accuratio, fervens quotidie oratio, assidua mentis collectio, Sacramentorum frequens usurpatio, utriusque examinis tum generalis tum particularis constans usus, solers virtutum exercitatio, praesertim demissionis, mortificationis, paupertatis, atque indifferentiae ad quodvis munus et locum: iten motionis pravae animo dominantis extirpatio, omnisque inordinati affectus extinctio, et quae his similia sunt.

Deliberandum idcirco erit, quibus industriis opera quo

---

1) Lib. 2. Luc. cap. 1. — 2) In lib. exercit. ad fin. diei 2. hebdomadae. Item Direct. c. 19. n. 3. et c. 34. n. 3. — 3) l. l. c. c. Item in lib. exercit. immediate ante finem hebdomadae 2. — 4) Tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 7. n. 15.



vis die recurrentia siut amplius perficienda, et a consuetis defectibus expurganda? Nonne sanctior aliqua utiliorque methodus orandi, confitendi, ad sacram Synaxin accedendi aut celebrandi sit adhibenda? an voto temporario se obstringere expediat ad somnum ultra necessitatem nunquam protrahendum, ad quotidie saltem aliquo temporis spatio meditandum, ad brevem animi collectionem quovis mense instituendam, ad quotidianum lectionis spiritualis, nec non examinis etiam particularis exercitium? et quae his affinia sunt.

Praeterea expendi poterit, 1. quid circa paupertatem reformandum sit? an depositae apud Superiorem pecuniae, superfluis cubiculi ornatus, potus peregrini usus, haec vel illa utensilia et commoda circa lectum, vestitum et victum sint abdicanda? Num quid a discipulis vel poenitentibus sit acceptandum? 2. Qua via altior *humilitatis* gradus sit conscendendus? quaenam humiliationes ultro quaerendae? qui honores fugiendi? Num heroico silentio premere velimus injurias ab inferioribus illatas, detractiones, diceria et calumnias ab aequalibus impactas, vexationes et poenas innocentibus nobis a Superioribus inflictas, an subin innocentia sit defendenda, laesus honor honeste tuendus, et secundum Sapientis consilium<sup>1)</sup> respondere oporteat stulto juxta stultitiam suam, cum laude quidem arguti ingenii, sed tamen cum jactura majoris meriti?

3. Quaeenam mortificationis opera deinceps stabili lege sint obeunda? qua ratione satisfacere velimus illi regulae, quae jubet, ut omnes in omnibus continuam sui ipsius mortificationem quaerant? Num extra tempora prandii vel coenae quippiam cibi aut potus sit admittendum? An merendae et convivium sint frequentanda? Quid in quotidiana corporis refectioe circa alimentorum quantitatem et qualitatem sit statuendum?

---

<sup>1)</sup> *Prov. 26, 5.*

4. Nonne conveniat, se Superioribus indifferentem offerre ad omnia omnino loca et munia, etiam illa, quae speciem poenitentiae referunt, a quibus mens plurimum abhorret, et quae alii tanquam valetudini aut propriae existimationi contraria amplius refugiunt? Num propositum aut omnino votum sit concipiendum contra nullam Superiorum ordinationem seu dispositionem unquam reponendi, nullum officium secundarium recusandi?

5. Qua ratione inordinatus ille ad consanguineos vel aliam rem creatam affectus, qua industria humanus ille respectus, quomodo illa animo dominans motio sit eliminanda?

*Tertium* electionis punctum complectitur *res alias particulares varias* <sup>1)</sup>, v. g. num hoc vel illud munus sit suscipiendum, an abdicandum? An huic dignitati, praebendae, aut societati sit renunciandum? Quid in hoc vel illo negotio sit consulendum vel agendum? Num petendae sint missiones Indicae vel Europaeae, an officium operarii vel classium inferiorum professoris? Quid in obeundo munere injuncto emendandum sit, ac perficiendum? Qua via salus animarum majori zelo promoveri a nobis possit, aut debeat? *Quomodo familiam gubernare, quibus eam verbis et exemplis instruere, quantum de possessis facultatibus in usus proprios expendere, quantum pauperibus erogare vel piis operibus impendere liceat et deceat* <sup>2)</sup>. Uno verbo: *solida emendatio* (ut loquitur S. P. Ignatius) *seu reformatio circa vitae statum cuivis facienda* <sup>3)</sup> est praecipuum electionis instituendae argumentum.

Quae tamen omnia non ita sunt intelligenda, ac si cuncta haec puncta *debeant*, et nulla alia *possint* in deliberationem venire; sed ista exempli solum gratia in medium sunt allata, ut instar paradigmatis serviant illis, qui

---

<sup>1)</sup> Direct. c. 25. n. 9. Item S. P. in lib. exercit. in praeludio ad electionem faciendam, ubi haec verba expresse addit: *ceterisque rebus omnibus*. — <sup>2)</sup> In lib. exercit. paulo ante finem hebd. 2. — <sup>3)</sup> In lib. exercit. ad fin. hebd. 2.

forte circa electionis materiam dubii haerent. Primarium enim ejus argumentum, ut supra memini, semper est solida *emendatio seu reformatio totius vitae status* sive morum posthac executioni mandanda per media efficaciora in his exercitiis determinanda.

Ceterum quaecumque demum punctum pro materia electionis assumatur, semper curandum erit, *ut oculo puro ac simplici spectemus, quorsum fuerimus creati, nimirum ad laudem Dei et salutem nostram; adeoque ut nihil affectemus nec quaeramus, nisi quod honorem Dei et salutem nostram praestet. Idcirco nihil movere nos debet ad mediis quibuscunque utendum aut supersedendum, nisi habita in primis tam divinae laudis, quam nostrae salutis certa ratione<sup>1)</sup>. Idque non solum observandum est in electione vitae status; sed etiam in omnibus aliis: omnia metienda sunt ex solius Dei honore, nullo habito respectu ad proprias commoditates maxime temporales; curandumque, ut intentio semper in Deum recta sit, nec inflectatur ad aliquid terrenum<sup>2)</sup>.*

IV. Si quaeras, *quando* laudatum electionis exercitium institui debeat, respondeo, tempore tranquillitatis eidem vacandum esse<sup>3)</sup>. Porro *tranquillitas* (S. P. Ignatii verba sunt) *tunc adesse cognoscetur, quotiescunque anima non agitur variis spiritibus<sup>4)</sup>*. Ut ista rite intelligantur, sciendum est, animam posse agitari 1. a solo spiritu bono per varias consolationes, 2. a solo spiritu malo per desolationes, 3. ab utroque spiritu simul, contrariis tamen motionibus.

His praemissis notandum est, tempore electionis animam non debere agitari tertio modo nempe ab utroque simul spiritu, malo scilicet ac bono contrariis impulsibus; tunc enim in anima tumultuatur tempestas quaedam et conflictus,

<sup>1)</sup> In lib. exercit. in praeclud. ad electionem. Item ad finem hebd. 2. — <sup>2)</sup> Direct. c. 25. n. 9. — <sup>3)</sup> Direct. c. 28. n. 2. — <sup>4)</sup> In lib. exercit. de tempore triplicis electionis ad finem.

adversans tranquillitati ad electionem requisitae. Sed neque secundo modo nempe a solo spiritu malo impelli debere electurum, constat ex regula quinta de discernendis spiritibus; ubi dicitur, tempore desolationis nil deliberandum, praesertim vero nil concludendum esse. At vero primus modus, nempe quando quis a solo spiritu bono per varias consolationes movetur, is, inquam, modus adeo non impedit, ut potius juvet electionem in quovis tempore; ibi enim non est agitatio et conflictus variorum spirituum, sed est suavis motio unius solum spiritus, qui tranquillitatem affert. Ulteriora autem, et a superius jam allatis distincta eos discernendi signa et media cras explicabuntur. Hodie haec pauca de animi ad electionem comparatione ejusque modo et punctis explanasse sufficiat.

Id unum adhuc inculcandum restat, hoc electionis exercitium, si res gravioris momenti defuerint, etiam in aliis levioris notae negotiis adhibendum esse. Quin imo illud ita familiare nobis esse debet, ut in obviis quibuscumque rebus etiam extra exercitia facile ex illo agamus, et hoc medio Dei voluntatem investigemus. *Quod si quis improvide nec sine obliquis affectionibus aliquando aliquid elegisset, tunc si electio sit immutabilis, seu talis, quam retractare non liceat, reliquum est, ut electionis damnum probitate vitae et operum solertia studeat compensare: resilire autem nullo pacto decet. Si autem ejusmodi inconsulta electio circa res mutabiles versetur, eam expedit corrigere, ut fructus uberior et Deo gratior produci possit<sup>1)</sup>.*

---

<sup>1)</sup> In lib. exercit. in introduct. ad eligendarum rerum notitiam puncta 3 et 5.

## MEDITATIO II.

## DE VITA CHRISTI OCCULTA.

## Punctum I.

*Hujus mysterii sublimitas.* Vita Christi occulta mysterium continet, quod humilibus summo solatio, superbis vero summae confusione est; et quo gravis quaedam tentatio convellitur, qua magni etiam viri non raro infestari consueverunt, vitiosa scilicet in mundo eminendi appetentia et se suasque dotes ostentandi pruritus.

Hic ergo adesto, quicumque hoc morbo laboras, et in praesens spectaculum docilem obtutum defige. En! Homo-Deus, infinita Sapiencia, infusa rerum omnium notitia, omnium linguarum peritia eaque perfectissima praeditus, dono eloquentiae insigni, morum suavitate ineffabili, animas lucrandi dexteritate incomparabili, modo conversandi divino instructissimus; imo Rex gloriae, caeli terraeque Dominus, cunctis naturae et gratiae dotibus eminenti gradu ditatus; qui ideo in hunc mundum venerat, ut vitia debellaret, errores depelleret, mores corrigeret, totumque orbem redderet sanctiorem: hic, quis non obstupescat! hic in vili oppidulo, in fabrilis officina terraeque angulo artem mechanicam exercendo, pauperem vitam tolerat; illae universi creatrices manus, illi omnipotentes digiti, ex quibus orbis terrarum pendulus haeret, illa carne vestita Divini Patris Sapiencia, desideratus ille a tot saeculis Messias humanique generis Redemptor ac Reparator, is (mysterium adorate o Seraphini!) scopis mundat domum, secatur ligna, colligit segmenta, lavat scutellas. Ut paucis omnia complectar, vitam ducit humilem, et in oculis hominum inutilis et otiosam; latet mundo incognitus, atque etiam ab is, quibus erat cognitus, tanquam pauperis fabri filius, lespectus et contemptus.

Et hoc agit ille, qui interea temporis potuisset in templo Solymaeo concionari, in Athenaeis severiores disciplinas tradere, in principum aulis regendi formam praescribere: qui potuisset regiones, vicos et urbes percurrento aegrotos sanare, sanos instruere, peccatores ad frugem reducere, et cunctos miraculorum potentia et exemplorum suada ad meliora perducere. Hic (stupete o Superi!), hic in orbis angulo, in vili tugurio, inter lignorum segmenta et fabrilia instrumenta incognitus, inglorius et abjectus latet; ibique latet non solum tribus, sex vel novem annis, sed triginta omnino annorum spatio; id est, per potissimam vitae partem, imo per omnem ejus cursum, si pauculos excipias annos. O stupendum demissionis prodigium!

Huc jam adsint *mendaces filii hominum in stateris*<sup>1)</sup> seu judiciis suis, et tria haec attenti considerent, 1. quis ille sit, qui ita latet, 2. ubi, et 3. quamdiu ita delitescat, et inde nimium illum in mundo eminendi suaque talenta ostentandi appetitum moderari discant. O Domine Jesa! *vere tu es Deus absconditus*<sup>2)</sup>, *ponens tenebras latibulum tuum*<sup>3)</sup>; da, ut etiam mihi sint *haec tenebrae tuae sicut meridies*<sup>4)</sup>, ubi *videam vanitatem*<sup>5)</sup>, quae honoratioribus muniis inest.

#### Punctum II.

*Latens in eo veritas.* Christus etiam sic latendo, nihil in speciem agendo, sua talenta sepeliendo, et in omnium oblivione neglectus vivendo, tamen vixit perfectissime: egit omnia, imo summa, suis talentis usus est utilissime. Haec illius vita, quae in oculis mundi erat otiosa, inutilis, abjecta, in oculis Divini Patris erat laboriosissima, utilissima, ac summe gloriosa; quia nempe vixit, ut Pater voluit, fecit, quae Pater voluit, fuit, ubi Pater voluit; ita quidem,

---

<sup>1)</sup> Psalm. 61, 10. — <sup>2)</sup> Isa. 45, 15. — <sup>3)</sup> Psalm. 17, 12. —  
<sup>4)</sup> Isa. 58, 10. — <sup>5)</sup> Psalm. 118, 37.

ut si Christus toto illo tempore aliud egisset, aliter vixisset, alibi fuisset: male fuisset, imperfecte vixisset, nihil egisset; quia sic Divini Patris voluntatem non implevisset.

Si ita est, ergo perfectio nostra non consistit in eo, ut magna (nempe opinione hominum magna) operemur: ut concionibus urbes, scientiis academias, factorum fama patriam illustremus; ut collegia, provinciam, principum conscientias regamus: ut viri magni audiamus; minime, inquam, in hoc perfectio nostra consistit; sed in eo, ut voluntatem Dei faciamus, id est, ut in eo loco, munere et gradu perfecte vivamus, in quo et ubi nos orbis Moderator vivere vult. Et haec est magna illa summiq; momenti veritas, quam vestita carne Sapientia triginta annorum spatio nos suo exemplo docuit. At oppones, ut quid ergo caelum has mihi dotes dedit, si ius me uti nolit? Respondedo, ut quid ergo Divinus Pater tot in Christum talenta contulit, si eum his triginta annis uti noluit? Audi superbe, ideo tibi caelum haec naturae dona concessit, ut haberes, quae ei sacrificares. Nam illa non pereunt, quae Numini litantur thura: illius talenta non latent otiosa, qui etiam nihil agendo, facit quod vult Deus.

Si ergo Suprema Mens te velit inter scholarum inferiorum pulveres, in gradu Coadjutoris formati, in valedinuario, aut alio vili officio neglectum a Superioribus, contemptum ab aequalibus, perpetuo abstrusum latere, quaeso te, sorte tua contentus vivas: illa lamenta procul a te amanda: *Sum inutilis, sum pondus, ad nihil habilis, nil praestare possum.* Ah! sat abunde praestat, aeterni Patris voluntatem qui complet. Aurea haec tessera: *Hoc vult Deus*, caelestis ille clypeus sit, quo armatus omnes superbiae, amoris ac propriae voluntatis assultus retundas; quo omnes praesertim de officio, de loco, gradu, sanitate querelas procul repellas. O voces sono tenues, sed sensu graves! *hoc vult Deus.* O magnum verbum! sed amanti Deum, non se aut mundum.

Et haec est illa veritas, quae fortiter elidit illud mortalium animis dominans desiderium excellendi in mundo, eminendi supra alios, honoratioribus muniis aliorum aestimationem ac laudem captandi, qui pruritus ingentium turbarum infelix scaturigo est. Inde enim, nisi Superiores huic appetentiae velificentur, oriuntur murmurationes et querimoniae, quibus dispositionum tempore domus et litterae complentur: inde oriuntur aemulationes et invidiae, quae illos appetimus, quos nobis praelatos dolemus: inde susurrationses et detractiones, quibus horum ipsorum famam et existimationem imminuere satagimus. Hanc pestem qui ex animo excutit, o quam quiete vivit: enimvero ejusmodi animus caelesti pace fruitor. Quare sicut scopus matutinae meditationis erat indifferentia ad quemvis locum, ita praesentis fructus est aequilibritas ad omne officium utut vile et abjectum, nec non ad omnem gradum ac valetudinem; quin imo eo insuper tendendum erit, ut animi affectu potius ad humilia, aspera, sensibus et amori proprio ingrata, quam ad opposita propendamus, animati exemplo Christi, qui *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*<sup>1)</sup>.

### Affectus.

O Jesu humillime! licet fueris lux mundi et lucerna ardens in domo Dei, tamen tanto tempore latuisti sub modio, vili occupatione detentus; et ego, *qui non nisi vapor sum ad modicum parens*<sup>2)</sup>, nihilum et peccatum, ego in orbe lucere, magnifici, et honoratioribus muniis fungi exoptem? Absit a me tam inconsulta vanitas. In conspectu totius curiae caelestis ejuro et execror illum inanem pruritus eminendi supra alios, sublimibus officiis superbiendi acceptaque a caelo talenta vane jactandi. Post-hac vilia munia erunt votorum meta; unice ambiam

1) Hebr. 12, 2. — 2) Jac. 4, 15.



delitescere, et cunctis ignotus vivere; voluntas tua omnium desideriorum erit regula.

*Testes invoco caelum et terram*<sup>1)</sup>, 1. quia malo esse vermiculus ex voluntate Dei, quam sine illa sublimis Seraphinus. 2. Malo cum voluntate Dei obscuram et hominum opinione inertem agere vitam, quam sine illa vel totum terrarum orbem ad fidem convertere. 3. Malo ex voluntate Dei latere in vili angulo, quam sine illa splendere in caelo. Dummodo divino satisfaciam beneplacito, sat magnus, dives et felix sum.

„Repetantur hic affectus meditationi matutinae subijuncti quaeque hi dicuntur de loco, hic officio applicentur.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 3. cap. 13.

---

## CONSIDERATIO DE MORTIFICATIONE.

Mortificatio est anima non solum omnis generatim imitationis Christi, sed etiam commendatae hactenus indifferentiae ad omnem locum et munus, praesertim vero fructus per ultimam hodie meditationem intenti. Sine hac enim virtute nec Christi sectatores, nec ad quidvis indifferentes erimus; multo minus, qui tamen vespertinae exercitationis scopus est, vitiosam affectionem illam ad sanguineos vel etiam ad nosmet ipsos aut aliam rem creatam e medio tollemus. Inde patet, quanta non solum utilitatis, sed etiam necessitatis hoc loco hujus materiae tractatio sit; cum arctissimus inter haec omnia nexus intercedat. Hanc ergo virtutem ut amplius aestimemus, tenerius amemus, et ardentius appetamus, incitamenta suggeram, in hac consideratione attentius expendenda. Primum post

---

<sup>1)</sup> Deut. 4, 26.

Christi hac in re exemplum, hoc enim prae oculis semper habendum, incitamentum est:

I. *Praestantiu* mortificationis, quae inde elucet, quod habeat magnum cum martyrio similitudinem. Nam, docente S. Bernardo, *genus quoddam martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius*<sup>1)</sup>. Et profecto *inter epulas esurire, appetitiones reprimere, sensibus, quod appetunt, negare, quod fugiunt, obtrudere martyrium est sine sanguine*<sup>2)</sup>: *car-nificium est sine lictore*<sup>3)</sup>.

Forte etiam tu ex numero illorum es, qui vitam fidei causa ponere, ac sterilibus desideriis inter Turcas aut Indos cruentam neem oppetere optant; at en! tibi ipsi pie crudelis esto, carnem doma, appetitus frena, et martyr eris humana aestimatione quidem minor, sed fors merito superior. Inde jam mortificationis excellentiam metire.

II. Alterum incitamentum est *necessitas mortificationis*. Nam ad eam exercendam tenemur I. ut *Christiani*. Quando enim sacro fonte lustrati et Christiani nomine initiati fuimus, per patrilos solempni pacto renuntiavimus carni et omnibus appetentiis ejus. Ergo qui cuticulam fovet, violati hujus promissi se reum constituit, seque hoc nomine indignum reddit. Proin hujus virtutis exercitatio est summe necessaria homini Christiano.

2. Ad exercendam mortificationem adstringimur ut *peccatores*. Nam peccavimus: id testatur conscientia. Satisfaciendum esse asserit aeterna Veritas; *non enim intrabit in eam* (nempe caelestem patriam) *aliquid coinquinatum*<sup>4)</sup>. Per sacram exomologesin deletur quidem reatus culpae; sed restat adhuc delendus reatus poenae temporalis. Hujus poenae reatus est macula: nulla macula intrat in caelum: ergo nec anima cum tali reatu. Ergo is delendus est aut

---

1) Bern. serm. 30. in Cant. — 2) Bern. serm. de omnibus Sanctis. — 3) Ambros. 1. 2. de Cain. c. 4. — 4) Apoc. 21, 27.

hic per mortificationem, aut ibi per ignem. Alterutrum certum est: ergo ibi ardere si nolis, hic per ultroneas vitae asperitates anticipata solutione debita expungas, necesse est. Ergo est necessaria nobis ut peccatoribus<sup>1)</sup>.

3. Nemini vero magis necessaria atque essentialis est mortificatio quam *Religiosis*. Quid enim aliud est status religiosus, quam perennis sensuum carnificina, appetituum mors, et concupiscentiae sepulchrum. Quid aliud agere vi regulae Religiosos decet, quam continuo sibi vim inferre, soli Deo vivere, sibi et mundo quotidie mori. Nemp *abstine, et sustine*, duo sunt poli, circa quos caenobitica omnis vita rotatur. Seu ut strictim dicam, Religiosus est homo, qui mundo et cui mundus est crucifixus, id est, qui obverso eidem tergo ea solum aestimat, appetit et amat, quae ille spernit, nauseat et odit: cui desipit, quod carni sapit; quique amorem proprium continenti odio persequitur. Haec dicti status conditio est. Ex his autem collige, quanta Religiosis sese edomandi necessitas incumbat.

III. Tertium incitamentum est *rei aequitas*. Nam  
 1. aequum est, ut *sicut exhibuisti membra tua servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeas membra tua servire justitiae ad sanctificationem*<sup>2)</sup>, ut, *ubi abundavit delictum per sensualitatem, superabundet et gratia per mortificationem*<sup>3)</sup>. 2. Aequum est, ut, cum corpus fuerit complexa patratae nequitiae, particeps quoque sit poenae ob eam promeritae. 3. Aequum est, *ut, qui se illicitu meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere*<sup>4)</sup>. 4. Aequum denique est, ut illum

<sup>1)</sup> Suffragatur Apostolus Coloss. 3, 5: „Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram.“ — <sup>2)</sup> Rom. 6, 19. — <sup>3)</sup> Rom. 5, 20. — <sup>4)</sup> S. Greg. M. in Evang. Homil. 20. ante med.: „Tanto a se. inquit, licita debet abscindere, quanto se meminit et illicita perpetrare. Neque enim par fructus boni operis esse debet, ejus qui minus. et ejus qui amplius deliquit: aut ejus, qui in nullis, et ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit, et ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur: *Facite fructus dignos poenitentiae* (Luc. 3, 8.)

hostem, scilicet carnem, implacabili odio averseris, ac deprimas, quo magis infensum infestumque non habes. *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem<sup>1)</sup>; et qui dominari nescit cupiditatibus, is quasi equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur<sup>2)</sup>.*

At oppones: quomodo odisse possum, quod amare natura cogit? Verum percontor ego, quomodo amare queas latronem illum, qui toties te gratia spoliavit? tyrannum illum, qui toties te daemonei mancipavit? parricidam illum, qui suis te blanditiis induxit, ut Christum fratrem tuum denuo cruci affigeres, eumque tot vulneribus, quot peccatis cruentares? hunc edic, latronem, tyrannum et parricidam quomodo amare, tueri, fovere tu queas?

Perpende, quaeso, an aequum sit, neglecta animae cura, omnes vitae labores et vigilias in id unum impendere, ut corpori tuo, huic abominando sordium acervo, ad breve tempus bene sit? Ipus tu judica, aequumne sit, delicatiori cibo, largiori potu, prolixiori somno, commodiori lecto, subtiliori vestimento hoc tinearum pabulum cum tanto spiritus detrimento saginare et fovere: ab eo procul averruncare omne genus afflictationis, ut sunt jejunia, abstinentiae, cilicia, flagra; et interea immortalem animam gratiis nudam, meritis vacuum, purgantibus flammis plures annos excruciantam addicere? O putris argilla! *audi sermonem Domini. Haec dicit exercituum Dominus<sup>3)</sup>: Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius<sup>4)</sup>.* Haec audis, et tamen indignam ei servitutem servis? quae haec aequitas?

IV. Quartum incitamentum est duplex, quae ex hac virtute in nos emanat, *utilitas*. 1. Nam, quod fidei dogma

---

uniuscujusque conscientia convenitur, ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam."

<sup>1)</sup> Prov. 29, 21. — <sup>2)</sup> S. Ambros. lib. 3. de Virgin. — <sup>3)</sup> Jer. 22, 29. — <sup>4)</sup> Gen. 4, 7.

est, cuilibet supernaturali mortificationis actui, posito ab homine justo, respondet gradus gratiae immanentis, seu sanctificantis: et cuilibet gradui talis gratiae competit gradus gloriae in caelo aeternum duraturae<sup>1)</sup>. Ergo cum innumerae, imo continuae per diem sese vincendi, carniq̄ue aegre faciendi occasiones recurrant, sequitur, ut ille, qui harum nullam sibi patitur elabi, innumerabiles pariter gradus gratiae in hac vita, et dein gloriae in altera quotidie beata serie sibi accumulet; contra vero qui his uti negligit, innumeros quovis die gratiae et gloriae gradus improvidus perdat<sup>2)</sup>. Haec credis, et tamen impudenti risu irreparabilem summae rei jacturam temerarius explodis.

O prodiga caelestium anima! en! unica talis gratia est pretium sanguinis Christi: est radius quidam Divinitatis centum mundis praeponendus; et tamen harum aliquot millia vecors contempsisti, et quidem propter tabidum hoc corpus tuum. — Quilibet caelestis gloriae gradus in se continet gaudia plenitudine immensa, duratione aeterna; et horum tam longam seriem perdidisti propter foetidum hoc ac purulentum corpus. — Minimus, quo sensus cohibes, actus tanti res meriti est, ut excellentia sua superet ipsam mortuorum exsuscitationem<sup>3)</sup>; et horum tam ingentem numerum neglexisti propter execrabile hoc corpus. —

Si instar Adami propter levem gustus voluptatem in-

---

<sup>1)</sup> Conc. Trid. sess. 6. can. 32. *Si quis dixerit, ... ipsum iustificatum bonis operibus ... non vere mereri augmentum gratiae atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.* — <sup>2)</sup> „Tantam gloriam omni hora negligimus, quanta bona interim facere possemus, si otiose eam transigimus.“ S. Bonavent. de perfect. relig. lib. 1. cap. 30. — <sup>3)</sup> Illud enim esset ex gratia *gratum faciente*, quae primario ad propriam recipientis salutem confertur, et vi cuius ipse recipiens sive formaliter sive dispositive Deo gratus atque acceptus redditur; hoc autem esset ex gratia *gratis data*, quae primario ad aliorum salutem et commodum confertur, et etiam in peccatore esse posset, et qua, qui eam habet, ex S. Augustino non solum non uti, sed etiam male uti potest. Talia dona ab Apostolo 1. Corinth. cap. 12. novem numerantur.

aestimabili thesauro spoliatus fuisses, quid tibi nunc animi foret? En! tot caelestium thesaurorum, tot felicium aeternitatum, tot infinitarum beatitudinum irreparabilem jacturam fecisti, quot propter putridum hoc corpus tuum tui vincendi occasiones neglexisti. Tot enim gratiae adeoque etiam tot gloriae gradus perdidisti. Nunc quidem inaestimabilem hanc et nunquam reparandam tot graduum gratiae et gloriae amissionem caeco risu exsibilas. At, o quam aliam in articulo mortis, quam diversam in iudicio, praesertim in purgatorio de horum irreparabili dispendio sententiam feres!

2. Altera, quae ex mortificatione redundat, utilitas est, per eam extingui, vel saltem imminui *lustralis ergastuli flammæ*. *Cessat enim vindicta divina*, uti nobis sponsor est S. Anselmus, *si conversio et solutio praecurrat humana*. Si ergo nunc admissa expiare studueris, tunc a supplicio liber eris.

Jam autem *ibi erit una hora gravior in poena, quam hic centum anni in gravissima poenitentia*<sup>1)</sup>. Item si nunc statim in hac adhuc vita contractum debitum expiare sategeris, modico Deus, unico etiam talento contentus erit. At vero si solutionem in alteram differas, omnia omnino usque ad ultimum quadrantem in divinae Themidis mensa adnumerare cogaris. Nonne ergo summa stultitia est, dilata in illum carcerem satisfactione, malle ibi totum solvere divinae Justitiae, quam nunc modicum dependere divinae Misericordiae? Si aes alienum quinque millium aureorum unico, quem manibus tenes, teruntio dissolvere posses, an id facere vel momento tardares? En! potes nunc levi impendio, modica corporis castigatione immensam culpae debitionem redimere, et moraris? Quid, quaeso, causae subest, quod in aliis rebus Argi, non nisi hic noctuae simus?

<sup>1)</sup> Thom. a Kemp. de imitat. Christi. l. 1. c. 24. et S. Thom. p. 3. q. 46. a. 6. ad 3.

V. At oppones: non possum corpus inedia emaciare; stat naturae constitutio. I. Verum non inediam a te, sed imperantiam postulo. Crede mihi, plus horroris inesse stinentiae nomini, quam rei. Nam edic, cur illas ciborum lautitias amore Dei fastidire nequeas, quas satur spicis, quas aeger nauseas, imo horres? Cur impossibile virtuti, quod necessarium saturitas et infirmitas facit? Im belluae necessariis praecise alimentis iisque simplicibus sint contentae, cur non et Christianus, Clericus, eligiosus? *Quae major abusio, quam dominam (rationem) ancillari, et ancillam (carnem) dominari*<sup>1)</sup>? Ad hanc monstrosam inordinationem et inversum ordinem signandum, pulchre S. Augustinus: *Qualis est, in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare videtur, talis est in oculis Dei et Angelorum, cui caro propria dominatur*<sup>2)</sup>. Atque adeo paganus, sola rationis luce, caeca hanc foeditatem perspexit: *Major sum, inquit, et in maiora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis*<sup>3)</sup>.

2. Dein cum alienae animae a peccati jugo non facile liberentur, nisi pro iisdem tui ipsius mortificationis divinae emesi offeras lytrum, adjuro te, o vir Apostolice! per sanguinem Christi, quem ille pro his ipsis animabus tam piose profudit, noli, ah! *noli propter escam destruere nos Dei: noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus ortuus est*<sup>4)</sup>, reddendo te ob ingluviem indignum, quo tuus velut instrumento utatur ad procurandam aliorum salutem.

3. Praeterea sicut jejunium fugat daemonem, ita saturitas Deum. Nam gulae mancipium fit ineptum, ut a caelesti consortio ad divinam familiaritatem admittatur; cum surgentes ex ventre vapores obnubilent animam, eamque divini ministerii incapacem reddant. Atque hinc tantundem mentis

---

1) S. Bern. lib. medit. — 2) S. August. serm. 30. ad frat. in rem. — 3) Epist. 65. — 4) Rom. 14, 15 et 20.

semper deperditur, quantum quis cibis afficitur. Quid enim Deo et ventri? Uno verbo: qui hoc vitium non emendat, is de perfectione desperet. Audiantur testes: *Monstrum haberetur libido sine gula*<sup>1)</sup>. *Ebrietas quasi puteus inferni, quoscumque susceperit, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo ad castitatis vel sobrietatis lucem redire non permittat*<sup>2)</sup>. *Ubicunque saturitas et ebrietas, ibi libido dominatur . . . Semper saturitati juncta lascivia*<sup>3)</sup>. Jure ergo cum sapiente rogemus: *Aufer a me ventris concupiscentias*<sup>4)</sup>.

Contra vero *tantum virtuti adjicies, quantum voluptati detraxeris*<sup>5)</sup>, *tantumque proficies, quantum tibi hac in re vim intuleris*<sup>6)</sup>; nam *quantum caro per inediam magis atteritur, tanto spiritus amplius roboratur*<sup>7)</sup>. Igitur vince gulam, et reliqua vitia facilius superabis. Certe licet nulla orbe in altero timenda heluonibus foret poena, soli morbi in hac adhuc vita ob intemperantiam tolerandi nobis abstinentiam persuadere, et mortificationis aestinationem ac desiderium instillare deberent. *Quomodo corpus, nullum plenum potatione, sanum poterit existere*<sup>8)</sup>? *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas; innumeris vina nocuerunt, nulli parsimonia*<sup>9)</sup>.

VI. At non possum, ais, tergum flagellis, lumbos ciliis, corpus duriori lecto ac breviori somno atterere. Verum si modicum hunc ac moderatum dolorem perferre nequis, quomodo ergo purgantes flammam sustinebis? Sententia lata est: peccatum puniri debet, aut a Deo vindicante, aut ab homine poenitente: aut satisfaciendum in hoc mundo, aut ardens in purgatorio . . . . Quid eligis? . . . . Ergone ut corpori ad breve tempus hic bene sit, anima tamdiu ibi crucietur? Ergo, ne corpus bruta voluptate careat, aut levem molestiam sentiat, anima post mortem tamdiu visione

1) Tertull. — 2) S. August. — 3) S. Hieron. — 4) Eccli. 23, 6. — 5) Seneca epist. 13. — 6) Thom. a Kemp. de imit. Chr. l. 1, c. 25. — 7) Idem l. 2. c. 12. — 8) S. Basil. — 9) S. Ambros.



beatifica privetur, ac dein per totam aeternitatem Deum tot gradibus minus clare videat, ac minus intense diligat, quot occasiones se vincendi neglexit?

Finge, te fatis concessisse, et justo Dei judicio ad lastralem illum carcerem condemnatum fuisse, quid, quaeso, sub primum illius ergastuli ingressum senties de illis tuis sensuum illecebris, ob quas modo tam horrenda in illo piaculari rogo tormenta sustinere cogeris? quod tunc iudicium de vitae asperitate, de corporis afflictione et appetitus coërcitione feres? Ah insanum te, si modo non agas, quod tunc egisse optabis.

Si damnatorum quispiam ex inferis liber emitteretur, o quibus quantisque cruciatibus suum ille corpus esset castigaturus, tum ne denuo ejus blanditiis seductus in oreum deturbaretur, tum ut Justitiae vindicativae satisfaceret. Quidni ergo tu idem modo facis, ne tartari flammis pridem meritis, eo tandem praecipiteris. Ergone minus beneficium sit, stygem meritum illuc non dejici, quam dejectum inde rursum liberari? Ah! *vere nos ipsos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus* <sup>1)</sup>.

*Haec charitas, ait Bernardus, qua corpori ita parcimus, destruit charitatem. Talis misericordia crudelitate plena est; quia videlicet ita corpori servitur, ut animi juguletur. Qualis enim misericordia est, ancillam reficere, et dominam interficere?* <sup>2)</sup> Itaque Apostoli monito auscultantes *semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferamus, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris* <sup>3)</sup>. Ad id nos incitet mortificationis praestantia, necessitas, aequitas, utilitas; quae quadruplex erant hujus considerationis argumentum.

<sup>1)</sup> De imit. Chr. l. 1. c. 24. — <sup>2)</sup> Apol. ad Guil. Abbat. — <sup>3)</sup> 2. Cor. 4, 10.

## EXAMEN

## CIRCA EANDEM VIRTUTEM.

Mortificatio est virtus moralis tum appetitus internae animae, tum sensus externos corporis moderans secundum dictamen rationis. Est ea quasi *gladius ex utraque parte acutus*<sup>1)</sup>, Apocalypsis 1. descriptus, *pertingens usque divisionem animae ac spiritus, compagum quoque medullarum*<sup>2)</sup>; quia in spiritum aequae ac in corpus

---

<sup>1)</sup> Omnis virtutis exercendae difficultas teste Aristotele lib. 7. I cap. 7. in refranandis moderandisque cupiditatibus et affectioribus gaudiis nempe et tristitiis consistit. Epictetus quoque universam philosophiam ad duo haec capita monitaque reducit: *Sustine et stine*, quod omnis virtutis excolendae difficultas in duobus sitis 1. in suscipiendis et tolerandis laboribus, deinde in abstinendo et luctatibus et divitiis: quae probe complexus S. Job. 7. 1. *nil est, inquit, vita hominis super terram*; abnegatio nempe et sequela Christi, Matth. 16, 24. Ceterum mortificationis Christi virtus et urbanitas saecularis passim motivis tantum inter se differunt — Ad exercitium quod attinet, eo usque contra vitium in speculandum, donec ita debilitetur, ut simul ac se exserit ac per facili negotio id statim rationis ope retundere ac subjicere queas. debilitari enim vitia possunt, plane extinguere non possunt. *Cognovimus*, inquit S. Ambrosius lib. de S. Joseph., *Sanctos ipsos naturae praestantioris fuisse, sed observantioris, vitia nesciisse, sed emendasse*; et adeo gentilis Seneca: *Contra vitia, inquit, pugnamus, non ut penitus vincamus sed ne vincamur*. Nemo autem credat brevioris posse inviam, ut quis impleatur Deo, quam si vacuetur semet ipso, juxta illud *Evacuarsi de se medesimo et riempieri de Deo*.

Per mortificationem apte disponimur ad gratias recipiendas. enim gratiae opera Deus operatur, ut naturae solet. At in natura videmus omnia operari secundum subjecti informandi dispositionem et capacitatem. Ignis v. g. quam primum agit et accenditur in arido; at in humido tardius, et pro ariditatis diversitate ac gratiae et ignis in ligno operatio. — Neque formae alicujus in subjectum productio per se difficilis est, sed ipsa subjecti informandi dispositio et praeparatio. Quapropter si illa dispositione caremus, bonorum exercitium et gratiae cooperatio nobis perdifficilis existit. A. Rodericij exerc. perfect. part. 2. tract. 1. cap. 1. et tract. 8. cap. — <sup>2)</sup> Apocal. 1, 16. — <sup>3)</sup> Hebr. 4, 12.

est, non minus in affectiones quam in sensus vim suam exerit, ac protendit. Et hinc dividitur in *internam et externam*: illa appetentias animae, haec moderatur corporis sensus. In hos autem duplici modo exercetur, altero quidem *negativo*, periculosas carni voluptates interdicendo: altero autem *positivo*, voluntarias illi asperitates imponendo. Cum de mortificatione interna seu appetituum animae alias jam egerimus, materia hujus examinis solum erit *externa sensuum castigatio*, praecipue tactus et gustus.

1. Haec ad tria revocari potest<sup>1)</sup>. Nam 1. hujus virtutis vere studiosus carnis, commoditatum, sensualitatis, praecipue gulae est osor acerrimus et implacabilis amoris proprii hostis. Hinc flagellis, ciliciis, duriori lecto, vigiliis tantum in se sine ulla unquam conniventia saevit, quantum per obedientiam et discretionem licet. Ad alimenta tanquam ad medicamenta accedit: rejectis melioribus cibis,

---

<sup>1)</sup> Ad tria haec puncta mortificationis externae actus passim revocari possunt, quorum alii negativo, alii positivo modo exercentur, tertiumque punctum eorum quasi medium et praesidium habetur. Exercitium autem mortificationis ipsum seu mortificationis actus multiplices perfectionis gradus admittunt, ad quos quisque juxta gratiarum numerum et mensuram eluctetur oportet. Proinde etsi tiro non statim summum sui mortificandi apicem ascendat, siquidem res ardua pedetentim et gradatim aggredienda; tamen animo nusquam despondeat necesse est. Nam qui dat incipere, dabit et perficere. Atque ut apposite admonet S. Gregor. hom. 36. in Evangelium: „Hoc distare... inter delicias corporis et cordis solet; quod corporales deliciae, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt, cum vero avidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciae, cum non habentur, in fastidium sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet: in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciae desiderium in mente, dum satiant; quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur, et idcirco non habitae amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Proinde Psalmista nos admonet, dicens: „Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.“

etiam ex vilioribus praecise tantum sumit, quantum conservandis viribus post multas preces necessarium esse intellexerit. Extra prandii vel coenae tempora nil escae aut potus admittit. Ad merendulas, convivia similiaque symposia non accedit, nisi vel obedientia, aut Christiana eaque vere sancta prudentia omnino invitum cogat.

2. In situ, victu, vestitu, habitatione, quantum per discretionem licet, semper eligit, et prensat, quod durius, vilius, molestius et amori proprio magis contrarium est; Suos sensus semper et ubique et in omnibus, praecipue prurimum videndi, audiendi, sciendi, narrandi nova et curiosa severissime continet, grata eis negando, ingrata obtrudendo: praeterea stando, sedendo, flectendo, cubando molestiorem corporis situm constanter quaerit, nullamque occasionem se in minimis et obviis quibusvis rebus mortificandi et vincendi negligit. Quare perpetua summaque cura invigilat, ne ullum temporis momentum elabatur sine aliquo sui victoria; ut sic per continuam sui ipsius mortificationem perpetuum sui ipsius sacrificium et holocaustum divinae Majestati litet atque offerat.

3. Strenue et indefesse semper laborat: nunquam est otiosus<sup>1)</sup>, illamque satisfactionem ac delectationem, quam vacua curis ac laboribus mens ex hac quiete ac dulci animi collectione percipit, Deo, siquidem obedientia id exigat, libenter sacrificat. Proinde quantum per vires et ordinatum sui charitatem licet, nullum, quod a Superioribus defertur, officium recusat; illa vero munia prae aliis libentius obit, quae utpote molestiora ac viliora alii refugiunt, vel quibus alias occupandi essent illius adversarii, oblocutores, malevoli. Et hi sunt tres praecipui mortificationis externae

<sup>1)</sup> Otium initium est perversitatis et vitiorum; et qui illud sectatur, stultissimus est. Prov. 12, 11; et teste Seneca: *Otium mors est, vivi hominis sepultura.* Apte proinde Sapiens admonet: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam.* Prov. 6, 6.

gradus. Nam de sacrificio illius rei creatae, quae princeps perfectionis nostrae obstaculum est, nosque a Deo prae aliis pertinacius sejungit, in meditatione vespertina agemus. Examina proin, an et qualem ex his gradum hactenus conscenderis? quibusve mediis eos posthac conscensurus sis? Num etiam tu cum Apostolo dicere queas: *Quotidie morior?*<sup>1)</sup>

II. Porro *modus* in ejus exercitio servandus debet esse 1. *constans*, 2. *prudens*. *Constantiam* obtinebis sequentibus mediis. 1. A facilioribus incipias, et paulatim ad magis ardua progrediaris. 2. Pie te ipsum decipias, et hanc vel illam corporis castigationem in praesens solum ad unum vel alterum diem aut etiam horam continuare decernas, mentem a secuturo tempore abstrahendo. 3. Allata in praecedenti consideratione incitamenta, uti et inconstantiae damnata crebro considera<sup>2)</sup>; praecipue quod alias non solum animis jam exantlatus hac in re labor intento fructu sit frustrandus; sed quod etiam restans adhuc et in posterum incipiendus in hujus virtutis exercitio conatus ob defectum habitus et unctionis divinae sit plurimum intendendus. Verum non solummodo constans, sed

2. Praeterea etiam *prudens* esse debet sese castigandi *modus*. Talis autem ut sit, sequentes regulae erunt observandae. I. *Regula*. Ex mente S. Thomae aliorumque Patrum, praesertim Hieronymi illae mortificationes corporis sunt vitiosae, quae vel suapte natura, vel ex peculiari habitudine eas usurpantis vim habent mortis intra breve tempus illi accersendae, aut periculoso vel gravi morbo hominem prosternendi, aut illius vires et valetudinem plus quam mediocriter labefactandi. Dico, *plus quam mediocriter*;

<sup>1)</sup> 1. Cor. 15, 31.

<sup>2)</sup> *Grandis labor*, inquit S. August. ep. 143. ad Demetriad.; sed respice, quod promissum est. Omne opus leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur, et spes praemii solatium est laboris.

nam si subitum et grave corporis detrimentum absit, siq̄ asperius illud vivendi genus aliud noxae non afferat, quod vires paulatim *aliquantum* atterat, breviorēque a quot annis vitam reddat, nequaquam ob lentum hoc vixq̄ sensibile dispendium nimius ejusmodi rigor et imprude censi debet; uti P. Alphonsus Rodriguez auctoritatē exemplis et ratione efficaciter probat *in exercitio perfectionis part. 3. tract. 5. c. 17.*

*Secunda Regula.* Illae quoque afflictationes vitiosae sunt, quae reliquarum virtutum exercitio *notabile* impedimentum afferunt, nosque *notabiliter* minus habiles reddunt obeundis functionibus illis, quae vel propriae status nostri sunt, vel saltem quae utiliores sunt illa peculiari castigatione corporis, quae earundem exercitio officit. Dixi: *notabile* impedimentum. Nam si difficiliorem tantum et minus commodam homini operationem reddat, nulla talis obstaculū habenda erit ratio. Quare sedulo dispiciendum, nonne ejusmodi difficultas ipso usu et consuetudine mitescat; simulq̄ cavendum erit, ne sanitatis laedendae aut muneris melius exequendi obtentu amor proprius nobis illudat.

*Tertia Regula.* Rigor operum poenitentiae respondere debet viribus corporis, numero et gravitati peccatorum atque divino impulsui, quo quis ad ea exercenda se insurgere sentit. *Quam magna deliquimus, tam grandia et fleamus* <sup>1)</sup>.

Curandum tamen semper erit, ut doloris sensus in carnis tantum resideat, nec penetret ossa cum infirmitatis periculo. Hinc ordinarie abstinendum ab iis erit, quae cruorem precipitiunt. Cumque vel per defectum, vel per excessum hoc in re facile peccetur, adhibendum erit consilium conscientiae arbitri. Ceterum *debet homo habere corpus suum sicut aegrotum, cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, utilia etiam nolenti injungenda* <sup>2)</sup>. Indaga pro-

<sup>1)</sup> S. Cyprian. — <sup>2)</sup> Bern. Epist. ad Fratres de monte Dei.

in et quomodo assignata prius media hasque regulas in usum deduxeris? Insuper statue, quoties quamque acriter umbos cilicio, tergas flagello, carnem duriori lecto macerare constituas. Determina quantitatem et qualitatem ciborum et potus deinceps admittendorum. Decerne, quantum somno detrahere velis. In exequendis autem conceptis a te secundum prudentiae regulas propositis constans esto, memor illius caelestis moniti: *Non fatigemini animis vestris deficientes*<sup>1)</sup>; *ne perdatis quae operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis*<sup>2)</sup>.

III. Ceterum circa haec omnia *notandum* 1., mortificationem externam esse adhibendam solum *ut medium* perveniendi ad internam, et solummodo tanquam subsidium acquirendi perfectionem ac sanctitatem veram, quae in interiori appetituum coërcitione consistit.

*Notandum* 2. Corporis asperitates, nisi eo, quo dictum est, tendant, et nisi sint cum spiritus mortificatione conjunctae, neque magnum habere meritum, neque magnam utilitatem; quin imo gravissimis patere illusionibus, quarum periculosissima est superbia, qua quis propterea sanctiorem se atque aliis meliorem ac perfectiorem reputat; ac si in his omnis sanctitas ac perfectio posita foret; cum tamen non nisi via sint et adjumentum, qua ad sanctitatem perveniatur<sup>3)</sup>.

*Notandum* 3. Assuetas asperitates constanter quidem, non tamen ita pertinaciter esse usurpandas, ut illas nulla ratione adacti relinquamus vel intermittamus etiam tunc,

<sup>1)</sup> Hebr. 12, 3. —

<sup>2)</sup> 2. Joan. 8. —

<sup>3)</sup> Cfr. Matth. 10, 39 et Joan. 12, 25. quem locum explicans S. Gregor. hom. 32: „fortasse, inquit, laboriosum non est homini, relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere se ipsum. Minus quippe est, abnegare quod habet, valde autem multum est, abnegare quod est.“ Illud primum juxta S. Hieron. et Crates fecit Philosophus, multumque alii; sed hoc alterum, sequelam Christi continens, „proprium est Apostolorum atque credentium.“ Lib. 3. in Matth. cap. 19, 28.

quando charitas, obedientia, urbanitas agendi ratum mutari jubent.

Examina itaque: numne haec de externa mortificatione sensa animo alueris, an etiam tu uno vel altero ex ceteris erroribus fueris imbutus? Porro relativos tres perfectionis externae gradus qui *constanter* et *praeconscenderit*, is cum Apostolo gloriari poterit: *Ego mata Jesu in corpore meo porto* <sup>1)</sup>, *et adimpleo ea, desunt passionum Christi in carne mea* <sup>2)</sup>.

### MEDITATIO III.

## DE ASCENSU CHRISTI IN TEMPLUM

### Monitum.

„Scopus hujus meditationis est, generoso conatu ab omnem minus ordinatam affectionem 1. erga parentes et cognatos: 2. erga se ipsum carnisque commoda: 3. erga aliam quamcunque rem creatam, quae commendatae hactenus aequil obstaculo est, cuique cor tenacius affixum adhaeret. Ut sic o vinculis soluti, plene ad quidvis indifferentes simus, paratque gendum id, quod a nobis eligi voluerit Deus, ipsum etiam statiligiosum; vel si uni illorum jam adstricti vivimus, ad conscendendum in eo sublimiorem illum perfectionis gradum, ad quem divino Patris nos evocare placuerit, sacrificando ei illam minus ordinatam affectionem aut creaturam, cui mens vehementius adhaeret. Tria ad id nos impellent motiva, 1. exemplum Christi, 2. spes praemii, 3. timor po-

### Punctum I.

*Exemplum Christi.* Certum est, sanctissimos Christianos Parentes ob summas tum gratiae tum naturae dotes omnino amore dignissimos. Certum est, Christum eos tantissimo et intensissimo affectu complexum fuisse; ad id etiam certum est, hanc ab iis separationem in se dif-

<sup>1)</sup> Gal. 6, 17. — <sup>2)</sup> Coloss. 1, 24.



mam ac durissimam exstitisse. Et tamen obedientissimus Servator, vix intellecta divini Patris voluntate, neglectis omnibus, quae domus paterna suppeditabat, commodis: spreto omni illo, quod notorum et affinium consuetudo afferebat, solatio: denique insuper posthabito ingenti illo, quem ejus absentia carissimis parentibus creatura erat, dolore, eodem, quin iis valediceret, deseruit: in templum, quo vocabatur, se promptum ad omnia contulit: ibique omnium egens, Patris servitio se totum quantum mancipavit: relicto nobis insigni documento, carissima quaeque, rupta omni compede, sacrificanda esse omnium Creatori, quamprimum atque eum id velle constiterit.

At, ingemisces, heu! nimis immites ulceri ungues immittuntur, dum hujus vel illius N. rei a me sacrificium petitur: plus quam dimidium mei exposcitur. Verum intende oculos in Christum: et, si parva licet componere magnis, compara tuos consanguineos, aut illam, erga quam adeo afficeris, rem creatam cum Parentibus Christi. compara tuas ista amandi rationes cum iis, quas habuit Christus: confer vitiosum tuum, quo te ipsum tuasque commoditates amplecteris, affectum cum sanctissimo illo, quo Salvator erga se ipsum et debita Humanitati suae commoda ferebatur, amorem. O quanta inter haec multiplici ex capite discrepantia intercedit! Et tamen ille haec omnia mox ad primum Divini Patris nutum sacrificavit, et tibi grave accidat, vitiosam hanc summeque noxiam tibi affectionem aeterno cum merito eidem victimam immolare?

At oppones: utique parentum amor stare etiam potest cum divino? Equidem stare potest, sed non stabit saltem in animo ad sublimiora vocato; talis enim in poenam neglectae vocationis incurret periculum lapsus gravioris. Christus humanae redemptionis opus inchoaturus Matri tam sanctae, tam carae valedixit; et tu in sinu matris Prophetam et Apostolum agere cupis? Scias, naturae hoc consilium esse, non gratiae. Ah! inimici hominis, do-

*mestici ejus* <sup>1)</sup>, hostes eo periculosiores, quo blandiores, quorum consilia suum bonum, non tuum, se, non Deum spectant <sup>2)</sup>).

Praeterea cum Christus, ut vocanti aeterno Patri morem gereret, etiam innocentissima patriae domus commoda reliquerit; probrum foret ob periculosissimas carnis tam putridae commoditates, ob sui ipsius tam vitiosum amorem ab ejus perfectiori sequela retrahi et absterreri. Absit a me, o Domine! tam iniqua tecum agendi ratio. En indifferenter me ad omnem statum, et in electo jam statu ad omnem perfectionis gradum. Fixum est: inordinatus ille, qui meum cor tecum dividit, affectus hodie adhuc tibi hostia cadet: hujus N. rei creatae sacrificium erit sanctorum vitae auspiciam.

#### Punctum II.

*Spes praemii* in hac etiam vita per hoc sui holocaustum obtinendi. Hoc consistit 1. in certa quadam animi pace, quae exsuperat omnem sensum <sup>3)</sup>, et quae caelestis illius, qua Beati in caelis fruuntur, tranquillitatis praenuntia est. Cum enim talis omnem turbationis fontem, amorem scilicet proprium ejusque vitiosos affectus sustulerit, non potest non innubes vivere soles.

2. Consistit in intima familiaritate et amica consuetudine cum Deo; cum enim sublatum sit intermedium illud obstaculum, scilicet res illa creata, quae hactenus cor humanum a suo Creatore sejunxerat, et gratiarum fluentia siccaverat; Divinae tres Personae ad illud *venientes*, ibique *mansionem facientes* <sup>4)</sup>, se suosque thesauros summa liberalitate tali animae communicant, eamque suavitatum torrente pleno alveo inundant.

3. Consistit in singulari quadam providentia, qua be-

---

<sup>1)</sup> Matth. 10, 36. — <sup>2)</sup> Cfr. Matth. 10, 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam Me, non est Me dignus.* — <sup>3)</sup> Phil. 4, 7. — <sup>4)</sup> Joan. 14, 23.

nignum Numen ejusmodi mentes speciatim fovet, tutatur et regit, atque curat, *ut iis omnia cooperentur in bonum*<sup>1)</sup>. Cum enim eae neglecta sui cura se totas Creatori committant, omnem sollicitudinem prodigo sui jactu projicientes in illum; hoc ipso etiam Deus, qui nunquam se a creatura vinci permittit, singulari pariter oculo earum bono invigilat, *faciens vel cum ipsa tentatione proventum*<sup>2)</sup>.

Uno verbo: quod olim Dominus Abrahamo Isaacum immolaturus, idem etiam tali homini inlclamat: nempe *quia fecisti hanc rem, et non pepercisti*<sup>3)</sup> huic sinistrae affectioni tuae, ideo te multiplici benedictione etiamnum his in terris beatum reddam. Et profecta caelestis quaedam prudentia, singulare quoddam orationis donum, heroica in adversis constantia, stupenda in subitis casibus animi praesentia, multiplex animarum fructus, mira denique in virtutum exercitio agilitas propria ejusmodi mentis charismata sunt.

Jam autem compara haec omnia caeli dona cum illa delectatione, quam a tuis consanguineis, ab ista re creata, aut illis cuticulae commodis subinde percipis; et edic, nonne amentia sit, ob vilem, tenuem et brevem ejusmodi gustum tot tamque ingentibus summeque pretiosis animae deliciis, dotibus et ornamentis nuncium remittere? Si enim insania est, malle arcam circumferre lapidibus quam auro plenam; si stultitia est, oblatam nolle gemmam accipere, ne clausum manibus vitrum abjicere cogaris; quid erit, nolle creaturam relinquere, ut Creatorem possideas; et malle carere Deo, quam luto? Quid enim est illa appetitio et recula, cui cor tuum inordinato affectu adeo annexum adhaeret, nisi lutum et palea flammis digna?

O Domine! confusio cooperit faciem meam, dum hanc meam stultitiam considero. Ah! nugae nugarum fascinarunt mentem meam, eamque miserae servituti manciparunt. Sed

---

1) Rom. 8, 28. — 2) 1. Cor. 10, 13. — 3) Gen. 22, 16.

deinceps meliora. Decerno hanc pravam affectionem N. *sacrificare tibi in hostiam laudis*<sup>1)</sup>. Spes honorum per hoc sacrificium meique victoriam in vivis adhuc consequendorum acri mihi stimulo sit.

## Punctum III.

*Poenae secus incurrendae.* Hae sunt 1. jactura magnarum et plurium gratiarum, quae rebellibus ejusmodi animabus subtrahentur<sup>2)</sup>: 2. tentationes gravissimae, quarum furori eae relinquuntur: 3. inveteratus tepor, in quo usque ad mortem computrescere sinentur: 4. variae adversitates, quae exagitari permittentur, armante Deo omnem creaturam ad ultionem crudae illius repulsae, qua illi hujus vel illius N. rei sacrificium denegatur.

Praeterea supremum Numen tali homine, qui divino impulsui pertinaciter oblectatur, suumque cor Deum inter et mundum partiri cupit, non utitur tanquam instrumento

<sup>1)</sup> Psalm. 115, 17.

<sup>2)</sup> Sermo hic est de abundantiori gratiae supernaturalis auxilio. Si quis catholica de gratiarum distributione principia concinne proposita perlegere desiderat, eum ad Vol. V. Praelectionum Cl. P. J. Perrone S. J. a. §. 370—467 remittimus. Hic nobis sufficiat notare: Quum „Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire“ (1. Timoth. 2, 4.), voluntate seria et sincera, quantum ex ipso est, „patienterque agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti“ (2. Petri 3, 9.): et quum Christus Jesus omnium Redemptor et Salvator venit in hunc mundum, ut illuminaret „omnem hominem“ (Joan. 1, 9.) „qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus“ (1. Timoth. 2, 6.): ergo Deus, quantum ex ipso est, etiam omnibus auxilia gratiae vere sufficientia, quibus possint salvari, praestat: et „non deserit, si non deseratur, ut pie semper et iuste vivatur“ (S. August. lib. 1. de nat. et grat. cap. 2.); „imo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria ministrat, et noxia resecat... Dominus curam habet tui, securus esto. Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse“ (Idem Enarr. in Psalm. 39. No. 27). Concludamus ergo cum S. Prosp. (Resp. ad 15 Object. Vincent.): „Nemini Deus correctionis admittit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.“ *Qui proinde perit, sua culpa perit.*

ad operandum aliorum salutem. Ejus vox clamantis, seu exhortantis non erit *vox confringentis cedros*<sup>1)</sup>; quia non est *vox virtutis*<sup>2)</sup>, sed solum *aes sonans et cymbalum tinniens*<sup>3)</sup>.

Ad haec talis *sepulchrum erit dealbatum*<sup>4)</sup>, foris praeferens speciem boni Religiosi, intus autem plenum pravis affectibus, a quibus veluti pila sursum deorsum omnemque in gyrum agitabitur. *Ipsa oratio male peracta ei fiet in peccatum. Diabolus stabit a dextris ejus*, in omnem nocendi occasionem intentus. *Fient dies ejus pauci*, si non numero annorum, saltem meritorum. *Episcopatum ejus accipiet alter*; id est, illa gloriae stola, thronus et corona eidem in caelis parata, eo rejecto, nunc alteri conferetur. *Noluit benedictionem* huic sui ipsius victoriae annexam, *et elongabitur ab eo, dilexit maledictionem* ejusmodi cuticulae mancipiis intentatam, *et veniet ei*<sup>5)</sup>.

Contemptionses et dolores erunt *pars haereditatis* ejus<sup>6)</sup>, eo quod recusaverit Numini immolare illud punctulum honoris illasque illecebras corporis, quarum tamen sacrificium ab eo Deus tot impulsibus petiit. Insuper morbis in poenam gulae aliarumque sensualitatum diu graviterque vexabitur. Consanguinei, quorum amore vocanti caelo restitit, erunt ipsi oneri et probro. Ipsis benedictionibus ejus maledicet Dominus, id est, ipsae etiam virtutes ejus Superis minus gratae erunt; quia in iis invenitur voluntas propria, utpote quae exercitae extra illum, ad quem a Deo vocatus est, statum. Illud ferale fulmen: *Vocavi te, et renuisti: extendi manum meam, et non aspexisti: . . . nunc et ego ridebo, et subsannabo*<sup>7)</sup>: hoc, inquam, fulmen perenni tonitru reas circumstrepet aures, et irrequieto morsu conscientiam fodicabit.

1) Psalm. 28, 5. — 2) Psalm. 67, 34. — 3) 1. Cor. 13, 1. —  
4) Matth. 23, 27. — 5) Psalm. 108, 6 et seq. — 6) Psalm. 15, 5. —  
7) Prov. 1, 24 et 26.

## Affectus.

Credo, Domine Jesu, quod ille, qui amat patrem aut matrem plus quam te, non sit te dignus <sup>1)</sup>. Credo, quod nemo possit duobus dominis servire, Deo et mammonae <sup>2)</sup>, outiculae et gratiae. Credo, eum, qui non est tecum, contra te esse, et qui non congregat tecum, spargere <sup>3)</sup>; adeoque te ab eo, qui tibi denegat cor totum, nec dimidium accipere, et aversari illum, qui claudicat in duas partes <sup>4)</sup>, et tentat conjungere Christum et Belial, Arcam et Dagon.

Et hinc o Domine! timeo poenas illis intentatas, qui tibi ad perfectiora vocanti surdi resistant: qui tuum exemplum imitari, teque ducem propius sequi imbelles renuunt, et cor tecum partiri tenaces cupiunt. Vereor, ne etiam me attonent illa Sacrae Paginae fulmina: *Movebo candelabrum tuum de loco suo* <sup>5)</sup>; *auferam a te regnum Dei, et dabo genti (socio) facienti fructus ejus* <sup>6)</sup>. Timeo, ne etiam ego aliquando ab Angelo custode audire cogar illud Samuelis: *Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, ejus nutui repugnando, abjecit te Dominus* <sup>7)</sup>, *ne sis ex semine virorum illorum, per quos fiat salus in Israel* <sup>8)</sup>. Series gratiarum tibi destinatarum alteri dabitur meliori te. Haec, inquam, timeo, ne minaci voce Angelus custos etiam mihi inclamet. Quod enim innumeris accidit, etiam mihi evenire posset.

O! quis dolor olim animum cruciabit, dum mihi morituro, vel judicando ob oculos ponetur ingens ille gratiarum favorumque caelestium numerus, quibus me Deus dotasset, si eidem hujus vel illius N. rei sacrificium obtulissem; si vocanti obsecundassem, illa creatura me abdicassem, hanc de me victoriam retulissem. O maledicta affectio! tunc in-

1) Matth. 10, 37. — 2) Matth. 6, 24. — 3) Matth. 12, 30. —  
 4) 1. Reg. 18, 21. — 5) Apoc. 2, 5. — 6) Matth. 21, 43. —  
 7) 1. Reg. 15, 23. — 8) 1. Mach. 5, 62.

gemiscam, quae me Christo tam dissimilem reddidit, tot praemiis spoliavit et insuper tot poenis innodavit. O mi Iesu! tu in templo Solymeo exemplar fuisti mentis ad vocem livinam cereae, perfectae abnegationis sui animique omni terrena appetitione vacui. O quantopere aliquando tuum hoc exemplum me confundet!

At vero nunc statuo te imitari: fixum est, per hujus N. creaturae sacrificium, per hanc N. mei victoriam, per hunc N., quem a me petis actum heroicum, sanctiori vitae initium dabo. En me indifferentem ad omnia, ad quemvis statum, aut in electo jam statu ad quemvis perfectionis gradum, quemcunque demum me conscendere volueris. Solum notam fac mihi voluntatem tuam.

*Admonitio:* „Ad majorem primae meditationis crastinae fructum conferet plurimum, si hodie adhuc legatur §. I. Lectionis spiritualis pro die crastina assignatae.“

Legatur Thom. a Kemp. de imit. Christi lib. 3. cap. 32.

---

## DIES SEXTA.

„Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et Ego reficiam vos.

Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et invenientis requiem animabus vestris.

Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.“ Matth. 11, 28—30.

### MEDITATIO I.

## DE DUOBUS VEXILLIS CHRISTI ET LUCIFERI.

### Punctum I.

*Considera I. belli finem, quem Ducum uterque hac sua expeditione intendit. Lucifer enim habens iram magnam<sup>1)</sup>, et assidue quaerens, quem devoret<sup>2)</sup>, non venit, nisi ut mactet, et perdat<sup>3)</sup>, nosque mittat in lacum irae Dei magnum<sup>4)</sup>. Quippe cum ille non possit esse particeps nostrae gloriae, vult nos habere socios suae poenae: cum ille fuerit caelo expulsus, ferre nequit nos luteos homines rebellium thronos occupare. Igitur aeternam totius generis humani ruinam immani rabie appetit, irrequieto conatu urget, omni possibili arte tum per se tum per suos promovet, nilque intentatum relinquit, ut nos caelestibus illis sedibus extorres tartari ignibus mancipemur. Idque agit duplici odio inflammatus, inprimis Dei, quem debito honore sua-*

<sup>1)</sup> Apoc. 12, 12. — <sup>2)</sup> 1. Petr. 5, 8. — <sup>3)</sup> Ioan. 10, 10. — <sup>4)</sup> Apoc. 14, 19.



rumque creaturarum obsequio privatum cupit: dein et *hominis*, in quo Creatoris imaginem odit et aversatur, cuique felicem illam beatitatem invidet.

Contra vero Christus gloriae divinae ac salutis humanae reparationem unice spectat; *venit enim quaerere et salvum facere, quod perierat*<sup>1)</sup>: *venit, ut mortales vitam habeant*<sup>2)</sup>: *venit, dare animam suam redemptionem pro multis*<sup>3)</sup>; imo non solum multos, sed *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*<sup>4)</sup>. Hunc in finem *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamur divinae consortes naturae ac felicitatis: fugientes ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem*<sup>5)</sup>. Haec unica votorum ejus est meta: hic omnis laborum ejus atque aerumnarum est scopus, nempe *sanctificatio et redemptio nostra*<sup>6)</sup>. Quo facto monemur, non solum perfectionem propriam, sed etiam salutem alienam modo statui nostro conveniente pro viribus procurare.

Id enim suadet 1. *Luciferi rabies*, qua in mortalium perniciem omni conatu incumbit. Turpe enim foret, stygem ejusque asseclas plus agere ad perdendas tot animas, quam nos ad easdem salvandas. 2. Id a nobis poscit *exemplum Christi*, qui ut nos orco ereptos caelo insereret, triginta trium annorum spatio tot miserias et calamitates, tot injurias et supplicia eaque non minus infamia quam cruenta toleravit. Probrum quippe foret, nos illorum ruinam desiderare spectare, pro quibus Homo-Deus infami ligno affixus, duos inter latrones medius, suum emisit spiritum. 3. Tertium ad id nos impellens incitamentum est zeli animarum summa *excelsitas*, et ingens *utilitas*; quae omnia fusius in assignata pro praesenti die spirituali lectione loco repetitionis alias instituendae declarabuntur.

O mi Jesu! tibi servire, regnare est. Sicut jam olim

---

<sup>1)</sup> Luc. 19, 10. — <sup>2)</sup> Joan. 10, 10. — <sup>3)</sup> Matth. 20, 28. —  
<sup>4)</sup> 1. Tim. 2, 4. — <sup>5)</sup> 2. Petr. 1, 4. — <sup>6)</sup> 1. Cor. 1, 30.

sacro fonte lustrandus, ita nunc iterum renuncio satanae et omnibus pompis ejus. Renovo conceptum in meditatione de Regno Christi propositum. Fixum est: sequar te, quocumque ieris. Tuis sub signis merebor, et laborabo *sicut bonus miles Christi* <sup>1)</sup>). Non solum perfectioni propriae, sed etiam procurandae saluti alienae me sedulo impendam, indifferens ad omnem, quo id perficere me jusseris, modum, et quem mihi tempore electionis indicare dignatus fueris.

Punctum II.

Considera *armorum discrepantiam*, quois Ducum uterque bellum hoc gerere consuevit. Nam inprimis sicut olim spurium illud naturae monstrum Goliath *gladio, hasta et clypeo* <sup>2)</sup>) armatus in campum processerat; ita quoque Lucifer triplici milite stipatus in aciem progreditur, nempe *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae* <sup>3)</sup>). Avaros opibus, superbos honoribus, delicatos sensuum illecebris allicit et invitat. Divitiae, dignitates et deliciae sunt illicia, quois incautos nos auceps stygius suos in casses pertrahit. Hae illae sunt compedes, quois orens mortales turmatim in tartara praecipites dat. Haec illa sunt arma, quois Satan caelum impugnat, animas perdit, Deique regnum tam foede depopulatur.

Contra vero sicut olim David *in funda et lapide et baculo praevaluit adversus Philisteum* <sup>4)</sup>); ita quoque Christus paupertate, contemptu et aerumnis cinctus in arenam descendit suos hostes profligaturus. His tribus adnuculis utitur tanquam aptissimis debellando daemone instrumentis. Haec illius sunt arma, quois gloriam divini Patris reparare, hominumque salutem operari constituit.

Quis ergo christianus non summo odio aversetur terrae divitias, mundi honores, carnis illecebras? eum sint ille

<sup>1)</sup> 2. Tim. 2, 3. — <sup>2)</sup> 1. Reg. 17, 45. — <sup>3)</sup> 1. Joan. 2, 16. — <sup>4)</sup> 1. Reg. 17, 40 et 50.

hamus, venabulum et laqueus, quo Lucifer credulas mentes in perniciem trahit. E contrario quis non aestimet, amet appetatque contempiones, pauperiem et dolores; cum sint praestantissima procurandae beatitatis subsidia?

Praeterea hi tres Christi comites ejusdem cum particulis sanctae Crucis meriti, dignitatis ac pretii sunt; cum etiam illi sanctissimo Servatoris attactu et usu ad altiorem ordinem fuerint elevati. 2. Quin imo majorem hi, quam illae nobis afferunt utilitatem; per eos enim a vitiis abstrahimur, mundi vanitatem dedocemur, et Salvatori similes efficimur. 3. Ingens insuper sub his latet unctio et suavitas. Nam mentem summe tranquillat, animas super res creatas attollunt, intellectum caelesti lumine complent, voluntatem mira dulcedine inundant.

O mi Jesu! exime tandem aliquando mentibus humanis coevas eis opiniones, quae falso sibi persuasum habent, paupertatem, contemptum ac tolerantiam esse magnas hujus vitae miserias. Potius constantem nobis rerum illarum aestimationem insere, amorem instilla, ac desiderium inde, tanquam ad res a tua persona ad supernum ordinem sublimatas.

### Punctum III.

Considera *morum diversitatem*, quae Ducum uterque praeditus est. Lucifer fumanti et igneae insidens cathedrae, *venite*, torvum tuens vociferatur, *venite, impleamus domus nostras spoliis*<sup>1)</sup>, *et gloriemur in multitudine divitiarum*<sup>2)</sup>: *coronemus nos rosis: nullum sit pratium, quo non pertransea luxuria nostra; ubique relinquamus signa laetitiae nostrae*<sup>3)</sup>. *In caelum conscendamus, super astra Dei exaltemus solium nostrum, ascendamus super altitudinem nubium, similes simus Altissimo*<sup>4)</sup>. Ad ista

---

1) Prov. 1, 12 et 13. — 2) Psalm. 48, 7. — 3) Sap. 1, 8 et 9. — 4) Isa. 14, 13.

diabolus suos sequaces exstimulat: superbia, cuticulae amor, commodorum appetentia, habendi cupiditas omnium ejus instinctuum infelix principium et finis sunt. Turbatio, anxietas, inquietas, timor et desperatio omnium ejusdem motionum pedissequi comites sunt. Et ex his stygium anguem in herba latentem facile dignoscas licet.

Contra vero cum *Jesum nomino, hominem propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, omni denique sanctitate et honestate conspicuum*<sup>1)</sup>; *qui calamum quassatum non conterit, et linum fumigans non extinguit*<sup>2)</sup>; *qui non est tristis neque turbulentus*<sup>3)</sup>; *non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius*<sup>4)</sup>, *sed bonus et suavis est*<sup>5)</sup>, *creans laetitiam et gaudium*<sup>6)</sup>, *qui quasi lux splendens*<sup>7)</sup>, *in tenebris est lumen rectis*<sup>8)</sup>, *stillans super eos dulcedinem*<sup>9)</sup>, *et faciens pacem*<sup>10)</sup>; *cujus doctrinae hoc compendium est: abnega te ipsum*<sup>11)</sup>, *relinque omnia*<sup>12)</sup>, *renuncia omnibus, recumbe in novissimo loco*<sup>13)</sup>: abstine, sustine. Animi demissio, sui castigatio, paupertas rerum sunt ille scopus, quo immissi ab eo impulsus tendunt, quas laetitia, quies, serenitas, fiducia et fervor individuo nexu comitantur.

Proin sicut priora illa nigricantis genii signa existunt, ita haec posteriora boni Angeli indicia sunt. Jam autem haec spiritus discernendi ars in electionis negotio non minus utilis, quam necessaria est. Ipsa vero haec morum utriusque Ducis diversitas magno nobis incitamento esse debet, abdicato satana Christi vexilla sequendi.

### Affectus.

Credo, Domine Jesu! quod a Patre aeterno *constitutus*

<sup>1)</sup> Bern. serm. 25. in Cant. — <sup>2)</sup> Isa. 42, 3. — <sup>3)</sup> Ibid. 4. — <sup>4)</sup> Sap. 8, 16. — <sup>5)</sup> Sap. 12, 1. — <sup>6)</sup> Sap. 8, 16. — <sup>7)</sup> Prov. 4, 18. — <sup>8)</sup> Psalm. 111, 4. — <sup>9)</sup> Amos. 9, 13. — <sup>10)</sup> Isa. 45, 7. — <sup>11)</sup> Luc. 9, 23. — <sup>12)</sup> Matth. 19, 21 et 27. — <sup>13)</sup> Luc. 14, 10.

*Rex super Sion*<sup>1)</sup>, et *dux super Israel*<sup>2)</sup>, quod tu  
filius ille dilectus, quem nos ille audire, et cujus vestigia  
sequi jubet. Credo, quod *non sit in aliquo alio sa-*  
*s*<sup>3)</sup>, praeterquam in te, cui servire regnare est, et sub  
o praeliari triumphare est. *Tuam igitur militiam pro-*  
*eor, tibi nomen do, daemonei denuncio perpetuas ini-*  
*icitias, renuncio omnibus illius pompis ac voluptatibus.*  
*bsit, ut vili mercedula sollicitatus deficiam ad eum, a*  
*jus tyrannide tuo sanguine me redemisti*<sup>4)</sup>.

Credo, Domine, quia tu id affirmasti, *beatos esse pau-*  
*res: beatos, quos oderint homines, et ejecerint tanquam*  
*alum*<sup>5)</sup>; *beatos, quibus maledixerint alii, et quos per-*  
*cuti fuerint, et adversum quos dixerint omne malum*  
*entientes*<sup>6)</sup>. *Beatos* denique, *qui sufferunt tentatio-*  
*em*<sup>7)</sup>; *quoniam, quod est honoris, gloriae et virtutis*  
*ei, super eos requiescit*<sup>8)</sup>.

Contra vero credo, *vae fore divitibus: vae iis, qui*  
*turati sunt: vae, quibus benedixerint homines: vae, qui*  
*c habent consolationem suam; ibi enim esurient, et si-*  
*mt: lugebunt, et flebunt*<sup>9)</sup>. Haec firmissimo assensu  
edo; quia tu, nescius falli et fallere, id dixisti.

Et hinc vilipendo, aversor et fugio divitias, honores  
sensuum illecebras tanquam illicia orco propria et tuis  
oribus summe contraria. E contrario autem aestimo, amo  
appeto paupertatem; contemptus et aerumnas tanquam  
edia perfectioni obtinendae aptissima, a te sanctificata et  
l supernum quemdam ordinem elevata. Nam quid prod-  
it, divitem, honoratum, felicem in his terris vixisse, si  
e ratione ultimo fine meo frustratus, a Christi vexillo  
ofugus, et Lucifero succenturiatus damnor? Contra vero  
id nocet, contemptum, pauperem ac miserum hic tabuisse,

---

1) Psalm. 2, 6. — 2) 2. Reg. 5, 2. — 3) Act. 4, 12. — 4) S.  
prian. de duplici martyrio ad Fortunatum. — 5) Luc. 6, 20 et 22. —  
Matth. 5, 11. — 6) Jac. 1, 12. — 7) 1. Petr. 4, 14. — 8) Luc.  
24 et seq.

si hoc medio tanquam bonus Christi miles caelesti corona beor? Ah! pudet me mei: summo pudore suffundor, quod hactenus turpi errore deceptus, ea aestimarim, dilexerim et prensarim, quae tu tantopere vilipendis, odisti ac fugis. Et vicissim, quod ea mihi in pretio et amoribus fuerint, quae odio tibi ac horrore erant.

At propono posthac compensare neglecta. Cum ergo nec Deum amet, qui proximum non diligit, ejusque salutem procurat; statuo non solum acquirendae perfectioni propriae, sed etiam salutis alienae memet pro viribus impendere, et quidem etiam in statu vitam Apostolicam profitente; siquidem hunc me eligere supremum Numen voluerit; vel cum hunc statum jam elegerim, me tibi indifferentem offero ad quemvis modum utut arduum ac difficilem, quo me salutis animarum vacare jusseris. Sive dein id cupias a me perfici per missiones Indicas vel Europaeas: docendo pueros, aut visitando aegrotos: assistendo moribundis, aut inserviando pestiferis: haerendo assidue in sacro tribunali, aut catechesin tradendo juventuti. Ad omnia aequilibri animo sum. Solum tu doce me facere voluntatem tuam, et fac, ut sciam, quid me velis agere. Da, ut ex indicatis puncto tertio signis divinis instinctus a daemonis suggestionibus sedulo discernam.

*Denique petes per B. Virginem a Filio, postmodum per Filium a Patre divino gratiam, ut recipi queas et manere sub vexillo Christi per paupertatem et ignominiam<sup>1)</sup>. Gloria magna est, sequi Dominum<sup>2)</sup>.*

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 3. cap. 56 et 54.

<sup>1)</sup> In lib. exercit. ad finem hujus med. — <sup>2)</sup> Eccli. 23, 38.

L E C T I O

DE SCOPO EXERCITATIONUM PRAESENTIS DIEI.

§. I.

I. Postquam S. P. Ignatius proposito Christi exemplo sex praecipua aureae illius indifferentiae obstacula e medio sustulit, nobisque ostendit, serviendum esse Deo (Christum imitando), etiam in contemptu, aerumnis et paupertate, siquidem ita ille decreverit: nec non in quovis loco, munere et virtutis gradu, in quocunque demum id ei placitum fuerit: item in quovis statu etiam religioso, si ad hunc divina Majestas nos vocaverit; his, inquam, praemissis S. Pater ad altiora gressum promovet, et per meditationem de duobus vexillis nos etiam indifferentes reddit ad sectandum vitam Apostolicam, siquidem nos eam amplecti Supremum Numen voluerit.

Sicut enim in hesterna meditatione de mansionem Christi in templo, promptos nos esse docuit ad famulandum Creatori etiam in statu consilia evangelica sequenti seu religioso, siquidem Dei voluntas id a nobis exigit; ita quoque in praesenti de duobus vexillis exercitatione nos aequilibrans effici optat ad subeunda vitae etiam Apostolicae onera,posito, quod electionis tempore Numinis nutum id a nobis exposcere intellexerimus. Unde iterum elucet catenatus etiam hujus cum prioribus exercitiis nexus. Illi vero, qui huic vitae generi nomen jam dederunt, debent NB. suam indifferentiam extendere ad eligenda illa adminicula, per quae Deus eos huic suae tam excelsae vocationi *perfectius* satisfacere voluerit.

Est autem vita Apostolica status, cujus finis est non solum saluti et perfectioni propriae cum divina gratia vacare; sed cum eadem *etiam impense* in salutem et perfectionem *proximorum incumbere*. Ut autem S. Pater ad hunc am

plectendum (posito, quod Superi ad illum nos vocent), vel si eundem jam amplexi sumus, ut ad *sanctius* ejus obligationes, et quidem quo Deus voluerit *modo* implendas promptos nos atque indifferentes reddat, tria suggerit incitamenta, quae licet una cum fructu inde eruendo in meditatione prima jam attigerimus; tamen hic denuo utilissime (loco repetitionis alias, si per octidui angustias liceret, instituendae) fusius explicantur, et melius inculcantur.

II. Primum incitamentum est *rabies Satanae* in animarum perniciem summo nisu incumbentis. Hanc ut nobis S. P. Ignatius vivis coloribus depingat, ob oculos ponit Luciferum *in Babyloniae campo cathedrae igneae ac fumantem insidentem, qui convocatos daemones innumeros per totum orbem spargit ad nocendum, nullis civitatibus et locis, nullis personarum generibus relictis, et habitis ad eos concione omnes instigantem, ut correptis injectisque laqueis et catenis homines in orci barathrum deturbare conentur*<sup>1)</sup>. Nec mora: omnes praecipiti furore mox cunctas in oras effusi, diu noctuque irrequieti orbem circumcumeunt *sicut leones fame rugientes, et diducto rictu assidue quaerentes, quem devorent*<sup>2)</sup>. Quin imo etiam hominum non paucos in hujus foederis societatem pertrahunt, quibus tanquam emissariis ac proditoribus utuntur ad decipiendas eo facilius mortalium mentes.

Horrendum est videre, quam vaste *dilatet infernus animam suam*<sup>3)</sup> ad glutierendam immanem animarum multitudinem, quae nivium instar densata ruina ad inferos ruunt. Lamentabile est intueri, quantam ad eas perdendas sollicitudinem adhibeat orcus, qua alacritate et vigilantia, quibus artibus et dolis, quam arduis laboribus auctorati tartaro ministri stygium hoc opus urgeant. Terribile est cernere, quam praesidenti jactantia Leviathan sibi felicem rei successum promittat; dum, non contentus fluviiis Damasci et aquis

<sup>1)</sup> *In lib. exercit. parte I. hujus med.* — <sup>2)</sup> 1. Petr. 5, 8. — <sup>3)</sup> *Isa. 5, 14.*



urbidis Assyriorum, *fiduciam habet, quod et Jordanis, per quem mentes sanctae donotantur, influat in os ejus* <sup>1)</sup>).

Et nos tot animas ad imaginem Numinis creatas, divino sanguine redemptas, templa Spiritus sancti, filios Dei et heredes caeli turmatim tartareis ignibus mancipari, immissis sacco manibus, quieti sinamus? Et hoc agant Christiani, qui sciunt, et credunt vel unius animae pretium omnes mundi thesauros, regiones et gemmas immensum excedere. Ah! pudor est, promptiores esse daemones ad promovendam generis humani perniciem, quam nos ad procurandam ejus salutem. Probrum est, plus agere et pati haereticos ad homines damnandos, quam nos ad eosdem salvandos. Dedecus est, plus sudare et algere assecclas mundi pro amplificando terreni Principis regno, quam nos pro dilatando Christi imperio. Quid, quaeso, olim respondebimus Judici divino, hanc nobis desidiam exprobraturo?

III. Alterum incitamentum est *exemplar Christi* animarum salutem summo conatu procurantis nosque ad laboris societatem suaviter invitantis. Inprimis quid Christus egerit, ut nos salvaret, quantumque perpessus sit, abunde loquuntur crux, clavi, lancea, funes, spinae et flagella; quidque etiamnum eundem ob finem facere ac tolerare paratus sit, ipsemet S. Birgittae declaravit, dicens: *O amici mei! sic tenere diligo oves istas, ut si possibile esset, adhuc mori vellem propter quamlibet ovem speciali illa morte, qualem in cruce semel pro omnibus passus sum* <sup>2)</sup>). Idem repetit cap. 58. his verbis: *Ego, si possibile esset, pro unoquoque homine talem poenam exciperem, qualem semel in cruce pro omnibus recepi ad hoc, ut ad promissam hereditatem redirent* <sup>3)</sup>). Haec Christus animarum causa agere et pati in horas paratus est; et has ingenti numero perire sinamus, quin pigri vel digitum moveamus, aut pedem attollamus.

---

<sup>1)</sup> Job. 40, 18. — <sup>2)</sup> L. 1. revel. c. 1. — <sup>3)</sup> L. 1. revel. c. 58.

Praeterea quam potenti ipse quamque efficaci sua ad laboris hujus societatem nos invitet, S. P. Ignatius allata meditatione declarat, dum eundem nobis proponit: *amoeno juxta Hierosolymam campo valde speciosa forma et aspectu amabilem, electos Apostolos et ministros alios per orbem mittentem, ut omni hominum generi statui et conditioni doctrinam sacram et salutiferam pertiant, ac quemlibet juvare studeant*<sup>1)</sup>. Et certum lapidem induruisse oportet eum, cui hoc Christi eximium suavisque invitatio zelum animarum non persuadet.

IV. Tertium incitamentum est Apostolicae vitae *limitas et utilitas*. Ejus *excellencia* inde elucet, animarum zelotes sunt Dei adjutores teste Apostolo: *adjutores sumus*<sup>2)</sup>. Suffragatur S. Dionysius: *Dei tores sunt, qui conantur homines ad eum reducere nareque sanctimonia*. Jam autem, ut affirmat S. (Borromaeus, *in eo salutari officio Dei esse cooperari nihil certe in terris illustrius, nobiliusve nihil exoptest. Cum enim Verbi Dei praedicatores eo funmanere, quo Christus ipse perfunctus est, nihil ex Deo gratius neque homini gloriosius praestari potcerto habemus*. Ut proin merito S. Dionysius *omnium divinorum divinissimum esse, cooperari salutem animarum, et nullum (quae Gregorii Mententia est) omnipotenti Deo tale esse sacrificium est zelus animarum*.

Ad *utilitatem* vero ejus quod attinet, eam esse ex Evangelio constat. Si enim liberalissimum boni munerator Deus pro scypho aquae, pro haedae pauperi datae tantam mercedem promittit; quae dabit pro sanguine Christi per sacramenta tot propinato? Si extremo judicii die Deus benedicturus est illos, qui captivos liberarunt, nudos

<sup>1)</sup> Parte 2. med. de vexillis. — <sup>2)</sup> 1. Cor. 3, 9.

esurientes cibarunt; qua, quaeso, mercede remunerabitur illos, qui animas immortales e captivitate daemonis, e vinculis peccati, e rudentibus inferni extraxerunt, eas gratiae stola vestierunt, doctrinae cibo nutriverunt? Enimvero *fulgebunt hi sicut stellae in perpetuas aeternitates* <sup>1)</sup>, aliis gloria longe superiores.

§. II.

I. Ex his patet, quam aequum sit, ut in animum inducamus etiam statum vitae Apostolicae amplecti, siquidem Deum id velle tempore electionis intellexerimus. Vel si huic vitae generi jam nomen dedimus, ut statuamus ejus obligationes explere *modo* quodam *perfectiori*, postea electionis tempore determinando; plene indifferentes ad eligendum illum perfectionis in vita Apostolica gradum, in quo cognoverimus, supremum Numen velle, nos in electo hoc statu Christum imitari sibi que servire. Et hic est *fructuum primus* ex hac meditatione colligendus.

Ubi tamen notandum, S. Patrem nostrum per eam non solum intendere, ut desertis inimici castris ad Christi vexillum quomocunque seu extimo tantum pede transeamus; id enim in meditatione de regno Christi jam factum supponitur; verum mens ejus est, ut signis hujus summi et optimi Imperatoris arctius adscripti, assiduo conatu ad *sanctiora* tendentes decernamus, duces hunc nostrum *perfectiori modo* aemulari, ejus vestigia *pressius* sequi, eadem cum illo proelia *generosius* proeliari, et quidem iisdem omnino, quae ille usus est, armis. Utque illius in restaurando, quod orci fraudibus imminutum fuerat, Dei regno zelosi cooperatores effecti, omne hominum genus ad illius cognitionem et amorem adducere pro viribus studeamus.

Quem finem S. P. hic distincte nos concipere, semper prae oculis habere et in sacra hac militia ad eum pro ra-

---

<sup>1)</sup> Dan. 12, 3.

tione vocationis irretorto vultu nunquam non collineare cupit. Et hinc istam de duobus vexillis meditationem Sanctus Auctor nunquam vult omitti, omnibusque dari, etiam saecularibus, etiam vitam solitariam professis. Cunctis enim non solum perfectio propria, sed etiam salus aliena modo cuilibet statui congruo est procuranda. Et hiæ est fructuum primus, ut supra jam insinuavi, ex hac exercitatione decerpendus, nempe firmum animi decretum nos solum propriam, sed etiam alienam salutem ac perfectionem procurandi; et quidem eam *excellentiore* quodam modo procurandi, nempe ea, qua Deus voluerit, ratione, quamvis ille nos tempore electionis edocere dignatus fuerit.

II. *Alter fructus* est aucta magisque radicata aestimatio, amor et appetentia contemptus, paupertatis et aerumnarum; cujus propensionis acquisitio et augmentum princeps est hujus hebdomadae scopus. Ad hanc autem obtinendam ac solidandam quam efficacia praesens haec meditatio suppeditat adjumenta, ex sequentibus constabit. Nam hoc ipso quod daemon divitiis, honoribus et sensuum illecebris tanquam illicitiis utitur perdendis hominibus aptissimis; ex altera vero parte hoc ipso quod Christus contrario armorum genere, scilicet paupertate, contemptu et vitae asperitate eos ab exitio eximere, ac caelis inserere conatur; fieri nequit, ut salutis tum propriae tum alienae studiosa mens non magnum concipiat horrorem illarum rerum, quae praecipua Luciferi instrumenta sunt, damnandis mortalibus ab eodem inventa. E contrario non potest non summo affici ad illa media, quae ipsa carne vestita Patris aeterni Sapientia elegit, tanquam subsidia salvandis hominibus opportuniora. Exinde patet, quam dextre S. P. Ignatius per hanc meditationem nobis divitiarum, dignitatum et deliciarum horrorem, rerum vero his oppositarum amorem instillet.

Et certe non poterat Christus, destruendo Luciferi regno, his aptiora seligere arma; cum enim daemon per *concupiscentiam carnis et oculorum*, ac per *superbiam*

ze<sup>1)</sup> eos progressus fecerit, ut sub Christi adventum *ndus totus in maligno positus fuerit*<sup>2)</sup>, et mortalium nes, pauculis exceptis, hoc ipso triplici hamo stygios casses pertracti, sub ejus signis stipendia meruerint; usequens erat, ut Christus sanctioris militiae dux vexilla cillis, arma armis opponendo, honorum, opum et illece- rum appetentiam humili, paupere et aspero vitae cultu bellare contenderet.

Et profecto quam feliciter hoc belli genus eidem suc- serit, eventus docet; hac enim arte opera diaboli de- auxit, regnum Dei restituit, ingentem orco stragem intulit, sque has virtutes non solum aestimabiles sed etiam ama- es ac desiderabiles reddidit. Quis enim militum Christi d armorum genus non summe aestimet, amet atque appe- , quo Salvatorem tam feliciter usum intelligit et laeta- ? Hinc constat, quam efficax haec meditatio incitamen- a suppeditet ad concipiendam illarum rerum aestimatio- n, amorem et desiderium, quas mundus spernit, odit et ret; ac proin, quod prono nexu consequitur, quam apte ; disponat ad appetenda semper perfectiora, adeoque um blande nos inducat ad tertium humilitatis gradum , tempore conscendendum.

III. *Tertius* denique *fructus* ex hac exercitatione col- endus est proxima animi comparatio ad magnum electio- negotium. Ad hoc enim feliciter expediendum necessaria discretio spirituum, seu diversorum animi motuum no- a, ut ea imbuti falsos a veris, malos a bonis discernere, stium fraudes eo certius detegere, eorumque strategemata cautius eludere noscamus. Ad hanc autem plenius ob- endam meditatio haec lucidissimam facem praefert. Nam ceiferi cathedra, ignis, fumus, tenebrae, torvitas, minae, bies claro nobis indicio sunt, illas motiones internas, ae alta subsellia prensant, concupiscentiae ignem subduunt,

---

<sup>1)</sup> 1. Joan. 2, 16. — <sup>2)</sup> 1. Joan. 5, 19.

vanitatis fumum afflant, intellectui tenebras offundunt, quietem turbant, pusillanimes, timidos, tristes nos et reddunt, orci genio suam genesin debere.

Contra vero amoena Christi modestia, ejus de animi, collectio mentis, suavitas oris, vultus serenitasque tranquillitas manifesto nobis indicio sunt, illos impulsus, qui nos modestos, humiles, collectos, serenos atque tranquillos efficiunt, e caelo suam ori trahere.

Ubi insuper ad duo attendendum erit, 1. ad *res* quam eligendam impellimur: 2. ad *modum*, quo ad electionem incitatur. Si nos instigari sentiamus et malas, vel indifferentes quidem sed tamen periculosa amori proprio valde gratas, cuticulae commodas, et hinc blandientes: vel si quis incitetur ad rem quidem factam, simul tamen experientia doctus deprehendat, modi motionem animo turbationem afferre, tenta creare, anxietatem, diffidentiam, obscuritatem officii indicium sat evidens est, hos esse sibilos stygii seraphim cathedrae illi igneae insidentis.

IV. Ad ista autem facilius discernenda plurimum ducit notitia illius ordinis, quem daemon in nobis impudens observare consuevit. Plerumque enim perditioni nunc initium facit a cupiditate divitiarum tanquam a re per se conjuncta necessitati corporis, et obligatione sustentationis familiae. Dein postquam mortales hoc obtentu seducti corraserunt, eos vafre inducit, ut bona, quae superimpendant procurandis honoribus, emendis dignitatibus amplificando statui<sup>1)</sup>. Inde mox gradum facit ad superbia eos invitando, ut status prioris obliti se aliis praefertunt altum sapiant, sublimia presentent, aliosque contentent. Ex hoc autem minus ordinato divitiarum, honoris et

1) „Sicut ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia enascitur, quae impinguat mentem divitiis, dum elevatur *superbientis*.“ S. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 25.

riae excellentiae appetitu omnia reliqua oriuntur vitia praecipue sensualitatis seu appetentiae illecebrarum<sup>1)</sup>.

§. III.

I. Ceterum haec meditatio de duobus vexillis est una x praecipuis exercitiorum, non secus atque illa de tribus ominum classibus; proin nunquam et nemini omittenda, ne illis quidem, qui de vitae statu jam deliberarunt<sup>2)</sup>. Relationem subdit Directorium ita loquens: *Haec enim licet ideo stricte necessaria istis non sint, sicut iis, qui de voto vitae statu deliberaturi sunt; non potest tamen dubitari, quin valde utilia etiam illis sint, ut animentur ad eam perfectionem, cujus ipsorum saltem status ac conditio capax est*<sup>3)</sup>. Inde patet, quantopere a mente i. P. N. aberrant illi, qui hanc materiam vel penitus omittunt, vel solum obiter peragunt.

II. Praeterea discrimen, quod inter contemplationem e regno Christi, et istam de duobus vexillis intercedit, a sequentibus consistit. 1. In illa enim divinus Rex noster solum sua nobis consilia de inferendo hostibus bello denuntiat: *in animo est mihi: conditiones iis, qui suis sub ignis militare decernunt, non nisi summam proponit: Quicumque igitur comitari me velit, paratus sit*<sup>4)</sup>: de inimicis tantum generatim pronuntiat, omnes esse debellandos; quin tamen eos speciatim designet, quin arma suppeditet, ac doceat bellandi modum. Paucis: ibi exercitus

---

<sup>1)</sup> De modo, quo tentatio peragitur, audiatur S. Gregor. M.: *Sciendum, inquit, nobis est, quia tribus modis tentatio agitur: suggestionem, delectationem et consensum. Et nos, cum tentamur, plerumque a delectationem aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus.* Homil. 16. in Evangel. Adludit S. Dr. ad fomitem peccati vitiosasque nimis passiones, „contra quas pugnamus, non ut penitus vincamus, sed ne vincamur.“ Seneca. — <sup>2)</sup> Direct. c. 34. n. 3. — <sup>3)</sup> Ibid. — <sup>4)</sup> In sed. de regno Christi.

ne dum educitur in campum, ne dum acies extenditur lumque ibi non tam geritur, quam paratur. In hac meditatione proditur in arenam, explicantur vexilla, instruitur, designantur hostes, quinam sint impugnediuntur arma, queis sint profligandi: designatur eos vincendi, ac de iis triumphandi.

2. Fructus ex priori illa contemplatione colli; non erat nisi generale quoddam propositum imitandi Christi dissimulando adhuc, quo in statu, quibus in rebus, ratione ejus vestigia sectari velimus; cum generali quod indifferencia ad omnem generatim modum, quo id non qui Deus voluerit. In hac vero posteriori de duobus his meditatione ad ipsum jam modum, quo illud generale propositum executioni mandandum sit, singillatim desumus, et insuper statuimus, Deo servire Christumque tari non tantum in primo statu solummodo praecepto servante, nec etiam tantum in secundo statu consilia gelica adimplente; sed insuper in statu vitam Apostolice profitente; siquidem tempore electionis id a nobis super Numen expetere agnoverimus, cum quodam animi ac propensione ad pauperiem, contemptum, aerumque labores huic vitae generi annexas, tanquam ad arma et hostibus vincendis aptiora.

3. Illa prior exercitatio nos solum remote ad electum disponit; haec autem proximius jam animum comparat eligendum illum statum, aut in electo jam statu ascendendum illum virtutis gradum, seu ad reformandum modo vitam, quo Creatorem id cupere intellexerimus tamen notandum, quod haec meditatio non jam sit electio, sed solum praeparatio ad electionem; quam quid eligendum sit, nonnunquam animo meditantis quasi objiciatur. Quae lumina, licet iis impraesent diutius immorandum haud sit, negligenda tamen minime

III. Porro in hoc exercitio Deus S. Patrem nos ut ipse postea retulit, et ex ejus ore acceptum Ad



P. N. Everardus Mercurianus Praepositus Generalis <sup>1)</sup> narrare consuevit, in hoc, inquam, exercitio Deus S. Ignatio detexit, ac delineavit totam ideam, institutum ac finem Ordinis nostri, simulque eum edocuit nomen, quod eidem indere deberet, nempe Societatis Jesu, id est, militum contra Luciferum sub Christi vexillo militantium <sup>2)</sup>. Ut proin haec duorum ducum vexillorumque similitudo non tam sit effectus ejus genii militaris, quam ostenti caelestis, illum per hanc allegoriam futura edocentis, caelique voluntatem declarantis; quae omnia certe hujus exercitationis excellentiam atque utilitatem abunde demonstrant. Nihilominus non minoris momenti sequentem de tribus hominum classibus meditationem esse, ex dicendis patebit.

#### §. IV.

I. Nam, postquam generosum animi decretum concepimus Deo serviendi Christumque imitandi in eo vitae statu, quem nos ille amplecti voluerit, et in electo jam statu tendendi ad illum perfectionis gradum, ad quem nos eluctari omnium Creator desiderarit: jacto, inquam, hoc fundamento, superest, ut etiam statuamus eligere *media* statuto huic exequendo et corrigendis moribus aptiora. Nam memoratum paulo ante propositum, post consideratas mature, quas hucusque attulimus, veritates, plurimi animo efformant; at vero *media* genuina et efficacia illud executioni mandandi pauci arripiunt.

Et hoc est stygium illud strategema, quo daemon subdole utitur ad evertendum omnem sacrae hujus solitudinis fructum. Sunt enim, qui se hoc ipso jam resipuisse putant, eo quod recipiscendi necessitatem agnoscunt, non distinguentes inter desiderium correctioris vitae et ipsam morum correctionem. Alii, nescio quam sanctos se jam esse ar-

<sup>1)</sup> Electus 1573, successit S. Francisco Borgiae, et ab ipso S. P. Ignatio magni aestimatus.

<sup>2)</sup> Lud. de Palma pag. 179. in praxi Exercitiorum.

bitrantur, eo quod magnam de sanctitate ideam et aestimationem conceperint, confundentes excelsam de perfectione ideam cum constanti ejusdem praxi. Aliud enim est virtutis notitia, aliud exercitium.

Huic malo ut medeatur S. P. Ignatius, divino prorsus consilio traditis hucusque exercitationibus hanc de *tribus hominum classibus* subjungit commentationem; cujus finis est nobis persuadere, ut non contenti illo generali decreto, sanctius posthac Deo serviendi, vitam reformandi, Christumque imitandi perfectiori, quam hactenus, modo; ut, inquam, hoc generali decreto minime contenti, indifferentiam nostram insuper extendamus ad eligenda illa etiam *media*, quae exequendo huic proposito, et consequendo illi, ad quem vocamur, majoris perfectionis gradui aptiora et efficaciora fuerint visa; quaeque a nobis adhiberi Deus vult.

Non enim sufficit indifferentes nos esse ad quemlibet vitae *statum*, et in electo jam statu ad quemlibet perfectionis *gradum*, nisi insuper aequilibras pariter simus ad quaevis etiam *media*, per quae Deus nos generalia haec proposita exequi, vitamque in melius mutare voluerit. Quid enim juvat, si statuas tendere ad sanctitudinem, nisi etiam in eas viam, quae sola te illuc perducet? Frustra quis optat pervenire ad finem, si conducentia ad illum adminicula respuat.

Scopus proin hujus meditationis est firmum animi decretum eligendi illa quoque adminicula, per quae supremum Numen nostram nos salutem ac perfectionem operari determinate decreverit, cum plena ad quodvis eorum indifferentia, ita ut non tantum indifferentes simus ad ipsam *rem* perficiendam, sed etiam ad rei perficiendae *modum* et *medium*, qui ultimus est ac summus aureae illius, quam hucusque tanto conatu inculcavimus, aequilibratae gradus. Est autem secunda haec meditatio nondum ipsa jam horum mediourum *electio*, sed solum praevia ad eam animi comparatio.

II. Porro in dicta exercitatione S. P. N. tres homi-

nam classes distinguit. *Primi* volunt quidem perfecti evadere, mores corrigere, vitam in melius mutare, imo id nunquam velle desinunt; interim tamen idonea rei perficiendae media adhibere vel omnino renuunt, vel noxia procrastinatione usque ad mortem differunt. Sunt ii quidem viri desideriorum, sed non operum: magni sunt in ideis seu intentione, sed nulli in praxi et executione; quia *nulla* adhibent adminicula propositis exequendis accommoda, vel saltem iis reipsa uti identidem procrastinant. Sic e. g. existunt, qui humilitatem quidem desiderant; sed tamen omnia, quae ad eam obtinendam juvare possunt, remedia rejiciunt, loca vilia, abjecta munia, infimos gradus, ultima subsellia horrent et aversantur.

Alius illo Evangelii effato territus: *Vae vobis divitibus*<sup>1)</sup>; item: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*<sup>2)</sup>, vellet quidem Christum in paupertate perfectiori modo imitari, ut autem illas suas reulas, commoda, pecunias, utensilia aliaque vana et superflua a se abjiciat; sibi imperare nequit.

Tertius cognoscit equidem mortificationis suique refrenandi necessitatem; ut autem carni aegre faciat, gulae hoc vel illud deneget, merendulis nuntium remittat, cuticulam flagello, cilicio, duriori lecto, breviori somno statis temporibus constanter maceret; hoc, ut agat, amor proprius vetat. Denique alius virtutis necessitate, praestantia, utilitate captus eidem acquirendae se totum impendere statuit; omnino vult fieri sanctus, et quidem magnus sanctus; sed tamen id exequi differt in finem studiorum, ad initium missionis, in tempus sacerdotii, aut ultimae probationis. Reperire tandem est nonnullos, qui a Deo vocati statum religiosum, aut vitam Apostolicam amplecti cum tempore quidem decernunt; hujus tamen propositi executionem ad calendae graecas remittunt.

---

<sup>1)</sup> *Luc. 6, 24.* — <sup>2)</sup> *Luc. 14, 33.*

Omnes hi similes sunt homini pigro, qui vult, et non vult: militi picto, qui stricto ense minacem ictum semper intentat, quin tamen unquam feriat, viatori lasso, qui in montis apicem eluctari quidem cupit, nunquam tamen, ejusdem radici assidens, in pedes sese erigit. Contenti hi imaginariis melioris vitae desideriiis, atque inanibus sanctimoniae ideis, nunquam manus operi admovent, optima proponentes nihil exequuntur; sancti vere mirabiles, qui id esse cupiunt, quod fieri absque miraculo nequeunt, scilicet perfecti sine labore et illata sibi vi. Nam, *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te*<sup>1)</sup>.

III. Secundae classis homines arripiunt quidem *aliqua* consequendo fini media, sed non ea, quae deberent: gressum quidem aliquantum promovent, sed extra viam: sterili proposito haud equidem contenti, aliquam quoque operi admovent manum; at vero ut id agant omni eo, quo Deus id expetit, modo, ut indifferentes sint non solum ad *omnem* vitae *statum*, et in electo jam statu ad *omnem* perfectionis *gradum*; sed ut insuper aequilibres sint ad quaevis *media*, quae illos Deus ad sanctimoniae culmen deducere cupit, v. g. ad omnem locum et munus, quantumvis incommodum et vile, ad tolerandos quosvis contemptus et aerumnas etiam graves, ad experiendos omnes paupertatis effectus etiam sanitati noxios, ad exuendum omnem ad consanguineos affectum, ad sacrificandam hanc vel illam rem creatam, ad patrandum hunc vel illum actum heroicum et quae his similia sunt; enimvero hoc opus, hic labor est: hic omnes infremunt sensus, hic tota natura horret, et rebellis ad arma conclamat.

Cum autem nihil omnino agere, et omnia Deo negare nimis rusticum foret, subdola vafricie cor partiri, compositionem facere, et mediam inire viam decernunt, aliquid gratiae amorique divino, sed tamen etiam sibi amorique

---

<sup>1)</sup> S. Augustin.

proprio aliquid, imo potiore partem concedendo. Hinc aliquos defectus emendare, quosdam virtutum actus exercere, in uno vel altero vim sibi facere, appetitum domare, voluntatem frangere, intellectum subjicere statuunt. Ut autem securim ad radicem ponant: ut illam, quam Numen expetit, affectionem sacrificent, illudque dominans vitium extirpent: ut in hoc vel illo se generosi vincant, seque divinae Majestati ad quidvis sine exceptione paratos offerant; hoc, inquam, ut agant, a se obtinere languidi nequeunt: hic timidi gratiae limites ponunt: *hucusque o mi Deus! hucusque; sed non plus ultra*, familiaris eisdem tessera est. Uno verbo: facere quidem aliquid statuunt, non tamen ea, quae fieri ab eis Caelum cupit: progredi quidem in virtutis semita satagunt, sed non per eam, quam Deus monstrat, viam. Et hinc etiam parum aut nihil proficiunt; quia non tam spectant *effectum*, quem haec admicula afferent, quam *affectum*, quo ipsi in ea feruntur.

IV. Tertia classis est eorum, qui *nulla* respuunt media, nullamque illorum dilationem admittunt: qui ad praefixum perfectionis gradum eluctari statuunt eo ipso et non alio, ac quo eorum Conditor voluerit, modo; nempe per illa ipsa, quae Deus designaverit, *media*. Hinc omnem cordis divisionem abhorrentes accurate observant additionem quintam ex viginti a S. P. Ignatio mox exercitiorum initio positam, dum videlicet *magno ac liberali animo totum studium et arbitrium suum offerunt suo Creatori, ut de se suisque omnibus id statuatur, in quo ipsi potissimum servire possint juxta ejusdem beneplacitum*, cum efficaci decreto nihil eidem negandi, nullos gratiae limites ponendi, nil excipiendi aut limitandi; sed omnia generose sacrificandi, omnia agendi et vitandi, quaecumque sibi sacrificari, quaecumque fieri, vel vitari supremum Numen voluerit, cum omnimoda indifferentia ad quodvis illuc conducens medium.

Isti ergo homines eorum ex numero aegrotantium sunt, qui non solum serio sanari cupiunt, sed insuper nullum

recusant pharmacum, quo caelestis medicus eos uti voluerit: qui rejecta omni partitione toti Deo vivere cupiunt, iudifferentes non solum ad omnem vitae statum, et in electis jam statu ad omnem perfectionis in eo gradum utut sublimem et arduum; sed etiam ad omnia prorsus *media*, per quae Deus illos ad propositum sibi scopum tendere statuerit.

Atque ut omnia paucis complectar, *prima et secunda classis inter se differunt per hoc, quod utraque habet quidem voluntatem quandam infirmam et remissam excedendi affectum ad hanc vel illam rem v. g. ad pecunias, honores, commoda, locum, munus, consanguineos etc., sed prima classis nulla unquam adhibet media, nec cogitat de mediis. Secunda vero aliquid amplius facit; quia adhibet quidem aliqua media, sed quae ipsi placeant, non autem juxta Dei voluntatem ac beneplacitum; et ideo videtur sibi parata, omnia alia facere praeter illud, ut privetur re illa, quam amat. Tertia porro etiam ad hoc parata est, si Deo ita placeat, idque tantum inquirat, an placeat?*<sup>1)</sup>

Horum omnium figura nobis est Naaman Syrus, cuius factum sacrae Paginae 4. Regum 5. referunt. Volebat is a lepra sanari; nam *profectus est ad regem Israel, et stetit ad ostium domus Elisei*<sup>2)</sup>; sed tamen praescripto a Propheta lavationis medio uti initio noluit: *putabam, quod egrederetur ad me, et stans invocaret Dominum, et tangeret locum leprae*<sup>3)</sup>. Postmodum lavari quidem voluit, sed in fluminibus Damasci, non autem in Jordane: *numquid non meliores sunt fluvii Damasci omnibus aquis Israel?*<sup>4)</sup> Donec tandem a servis suis persuasus, assignatum ab Eliseo adhibuit medium: *descendit, et lavit in Jordane, et mundatus est*<sup>5)</sup>; relicto nobis exemplo, neminem voti damnandum, nisi illata sibi vi in tertiam se classem transferre conetur.

<sup>1)</sup> Direct. c. 29. n. 5. — <sup>2)</sup> 4. Reg. 5, 5 et 9. — <sup>3)</sup> Ibid. 11. — <sup>4)</sup> Ibid. 12. — <sup>5)</sup> Ibid. 14.

Consideratis tribus his hominum generibus sedulo perpende, cuinam tu annumerari merearis, et adminiculo sequentis meditationis ad ultimam eluctari contende; simulque mirare providam S. P. Ignatii prudentiam, qui nos stupenda prorsus solertia pedetentim ad summum illum indifferentiae gradum perducit, qui ad felicem electionis successum praerequiritur. Praeterea miram hujus meditationis cum prioribus connexionem ac praecipue *efficaciam* obstupesce, ob quam merito praecipuis ac nunquam omittendis accensetur. Nam, ut testatur Directorium, *tota haec meditatio eo tendit, ut ostendat animae, quam turpe et perversum sit, si non solum exuere nolit inordinatas cupiditates, sed si velit quidem eas exuere, at eo tantum modo velit, quo ipsi libet, non quo Deo*<sup>1)</sup>.

## §. V.

Quibus omnibus miro artificio ad electionem comparatur, utpote ad quam rite instituendam praecipua haec conditio est, *ut, qui ingreditur electionem, studeat esse liber ab omni affectu inordinato, et plane ad omnia indifferens; et ad hoc inclinatus, ut sanctum Dei beneplacitum sequatur, quodcumque illud esse cognoverit*<sup>2)</sup>. Quam apte autem allatae hucusque exercitationes huc omnes collinearint, in aprico est.

Ut autem aurea haec indifferentia animique comparatio altiores in mentibus nostris firmioresque radices agat, vult S. Pater, ut electurus *non modo non magis propendeat ad terrena retinenda; sed ut insuper, quoad fieri potest, voluntatem suam inflectere conetur ad id, quod perfectius est, nempe in eam partem, qua plurimum subtrahitur sensualitati et proprio amori*<sup>3)</sup>. Ratio est, quia *sicut virga incurva flectenda est in contrariam partem, ut deinde manens in medio fiat recta*<sup>4)</sup>; ita et mens humana

1) Direct. c. 29. n. 6. — 2) Direct. c. 23. n. 3. — 3) Ibid. n. 4. — 4) Direct. c. 30. n. 2.

vitioso pondere ad honores, delicias et opes inclinata, in adversam partem nempe ad amorē contemptus, paupertatis et aerumnarum est incurvanda, ut optatum inter ea aequilibrium obtineat.

Quin imo S. P. Ignatius in Notando meditationi de tribus hominum classibus subjuncto, suadet, *ut, ubi affectum sentimus e. g. paupertati perfectae adversantem, et ad divitias magis inclinantem, ut, inquam, ad eum elidendum petamus a Deo, renitente licet carne, ut ad paupertatem ejusmodi sectandam nos eligat: servata tamen interea desiderii nostri libertate, qua liceat convenientiorem divino servitio viam inire.* Tantum autem abest, ut per istam propensionem electionis libertas impediatur, ut potius plurimum perficiatur, et voluntas expeditior reddatur ad amplectendum id, quod Deum velle intellectus electionis tempore cognoverit.

Et quamvis S. Auctor hanc ad perfectiora inclinationem per omnes secundae hebdomadis exercitationes, proposito Christi exemplo, nobis instillare omni vi contenderit; tamen id nullibi efficacius et majori cum molimine agit, quam in exercitio de *tribus Humilitatis Gradibus*, quorum tertius in eo consistit, *ut quis, si etiam Dei laus par foret, ad majorem tamen imitationem Christi, potius eligat cum eo paupere, spreto et illuso pauperiem, contemptum et insipientiae titulum amplecti, quam opes, honores et sapientiae aestimationem.* Jam autem quam aptum haec consideratio medium sit ad hanc animi ad perfectiora propensionem acquirendam, quamque arctum ea cum prioribus habeat nexum, res ipsa sat aperte loquitur: ut proin S. Pater per hanc exercitationem requisitae ad electionem vitaeque reformationem dispositioni ultimam quasi manum imponat.

Ubi simul attendenda est mira peritissimi Auctoris industria, qua nos ad pretiosum adeo perfectionis gradum sensim sine sensu et quasi aliud agendo perduxit. Si enim



rtium hunc Humilitatis Gradum statim initio proposuisset, si arduitate territi mox omnes timidum pedem retraxisse-  
us. Id ergo ne fieret, in meditationibus de regno et vita  
hristi, et de duobus vexillis aestimationem nobis, amorem  
que etiam appetentiam contemptus, paupertatis et dolorum  
detentim instillare, sicque ad sectanda perfectiora nos  
nimare paulatim aggressus est, ut nempe excelsis cogita-  
onibus filiorum Dei gradatim imbuti, tandem promptiori  
ltu tertium hunc sublimem adeo humilitatis gradum con-  
enderemus, in quo absolutissima indifferentia, adeoque  
perfectissima animi ad electionem comparatio consistit.  
aec enim ad sanctiora propensio optatae aequilibrati adeo  
on officit, ut potius ad eam obtinendam summe conducat  
prosit. Sicut dum virga incurva in oppositam partem  
flectitur, haec inflexio tantum abest, ut impediatur aequi-  
orem virgae rectitudinem neutrum in latus propendentem,  
potius eam plurimum promoveat.

Porro circa hoc exercitium notandum est 1. quod hi  
*es Humilitatis Gradus non dentur pro certa hora ali-  
jus meditationis*<sup>1)</sup>; et hinc etiam ego illos solum pro  
ateria considerationis assigno. Et quamvis ibidem dicatur,  
*rtium hunc Humilitatis Gradum toto die mente revol-  
endum esse extra meditationem*; tamen mox subjungitur;  
*tiam in meditatione opportuno tempore eum expendi  
osse*<sup>2)</sup>. Propterea etiam in meditatione tertia dicti Gra-  
us excellentia per modum repetitionis aliquanto tempore  
enuo recolenda proponitur.

2. Quamvis tribus hisce Gradibus tota vitae Christia-  
ae perfectio comprehendatur; illos tamen S. Pater noster  
otius nominavit Gradus Humilitatis, quam alterius virtutis,  
um quia summam subjectionem quoad omnia Dei praecepta  
squirunt; tum quia supremum mundi honorumque con-

---

1) Direct. c. 29. n. 8.

2) Direct. ibidem.

temptum supponunt, et heroicam propensionem ad quamvis infamiam ac vilipensionem subeundam exigunt.

3. Cum S. P. Ignatius cupiat, nos dictos *tres Humilitatis modos per totum diem indentidem revolvete, nec non colloquia ibi dicenda crebro agitare*<sup>1)</sup>; hinc hodierno die subcisivis temporibus quam fieri potest saepissime atque ardentissime ad tertium hunc Gradum sublimari petamus inprimis a B. Virgine, dein per hanc a Filio, et demum per hunc a Patre aeterno, dicendo e. g.: O Maria, humilitatis magistra! exora mihi tertium Humilitatis Gradum. O Jesu humillime! qui dixisti: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*<sup>2)</sup>, eleva me ad tertium Humilitatis Gradum. O Pater aeternae! amore Filii tui, qui *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*<sup>3)</sup>, da mihi tertium Humilitatis Gradum.

4. Ultimus hic se humiliandi modus, seu Humilitatis Gradus est centrum omnium exercitiorum et scopus omnis sacrae hujus solitudinis. Nam omnia cum eo, veluti cum quadam basi cohaerent, et illic tanquam suum ad centrum tendunt. Omnes enim praecedentes meditationes hebdomadis primae et secundae ad hunc Gradum conscendendum nos disponunt et perducunt; sequentes vero hebdomadis tertiae et quartae commentationes nos in eo conscenso confirmare et stabilire satagunt.

5. Praeterea haec exercitatio est quasi anacephalaeosis omnium considerationum praeteritarum, uti et propositorum ac conclusionum hactenus factarum, nec non compendium quoddam et summa omnis hactenus intenti fructus, uti ex pomeridiana consideratione (quae a prandio ob exercitium electionis media hora citius incipienda est) clarius patebit. Ex his autem concludere licet, quanto cum fervore huic de tribus Humilitatis Gradibus exercitio nos impendere de-

<sup>1)</sup> In lib. exercit. post medit. de transitu Domini ad Jordanem notando tertio. — <sup>2)</sup> Matth. 11, 29. — <sup>3)</sup> Phil. 2, 7.

eat; et quantopere a mente S. P. Ignatii recedant illi luctores, qui de eo ne mentionem quidem faciunt.

---

MEDITATIO II.

DE TRIBUS HOMINUM CLASSIBUS.

Punctum I.

Considera *improbis* hominum *primae* classis, qui leno lumine illustrati, quid faciendum sibi sit, clare agnoscunt, idque effectui a se dari etiam optant; verumtamen res executioni mandatur, conatum adhibent nullum, nulla eligunt media, remque omnem de die in diem usque in horam mortis exequi differunt.

Jam autem quanta haec improbitas est? scire bona, quae tibi sint agenda: nosse motiva, ob quae sint agenda: allere modum, quo sint perficienda: abundare mediis, quibus utuntur in proximum deducenda; utque perficiantur, etiam in votis abesse; et tamen nihil agere, residem et inertem stertere, omnia pigrum negligere, atque instar lignei viarum indicis idem semper teporis luto infixum haerere; id enimvero mihi haud parum maligni sui que omnino socordis indicium est. Quid enim? an non gravis in se ipsum impietatis argueretur aegrotus ille, qui sanari quidem enixe cuperet, omnem tamen medicinam respueret, vel eam sumere idem procrastinaret? Talis autem quisvis est, quicumque ex numero primae classis est.

Verumtamen vae homini scienti et non facienti; nam *volitarius iudicium erit illi*<sup>1)</sup>. Si enim Christus *non venisset, et in his exercitiis locutus ei non fuisset, minus peccatum haberet*<sup>2)</sup>. At vero nunc post agnitas has ve-

---

1) Marc. 12, 40. — 2) Joan. 15, 22.

ritates aeternas, post detectam virtutis semitam, post tot lumina et instinctus, tamen pristini torporis semitam decurrere, assuetis defectibus etiam deinceps addictum vivere: eundem post exercitia, qui ante, nec hilo meliorem existere; id enimvero idem est ac illi terrae similem esse, *quae supervenientem super se bibens gratiarum imbrem, tamen non nisi spinas et tribulos profert*, et quae propterea *maledicto proxima est*<sup>1)</sup>.

O benignissime Jesu! magna enimvero perversitas est has Evangelii veritates credere, et tamen ita vivere, ac si de earum veritate prorsus dubitarem. Heu! quid olim respondebo Judici divino fulminanti voce mihi dicturo: *De ore tuo te judico, serve nequam*<sup>2)</sup>. En! haec scivisti, et haec fecisti: haec tua fides, et hi tui mores. O auctor vitae! ne permittas, ut tot lumina majoris mihi caecitatis, totque favores gravioris damnationis causa et origo existant.

#### Punctum II.

Considera *imprudentiam* summe noxiam hominum *secundae* classis, qui virtuti obtinendae illa solum adhibere volunt media, quae ipsis, non quae Deo placent; quique ex eorum numero aegrotantium sunt, qui illa tantum pharmaca admittunt, quae palato sapiunt, non quae sanant et prosunt. Agnoscunt quidem correctioris vitae necessitatem, execrantur ipsimet morum suorum a fide discrepantiam, fixum est iis Deo servire imitando Christum, hunc in finem statuunt etiam *aliqua* adhibere media; at solum illa, quae amor proprius, non quae Dei voluntas eligenda suadet.

Quam imprudens autem, imo quam noxia sit tenax ejusmodi et pervicax cum Creatore agendi ratio, patet ex damnis, quae inde emergunt. Nam I. actum est de intento per haec exercitia fructu, actum de illo majoris, ad quem

<sup>1)</sup> Hebr. 6, 7 et seq. — <sup>2)</sup> Luc. 19, 22.

eamur, perfectionis et annexo huic sublimioris beatitudinis gradu. Actum de tot gratis secus conferendis; de animarum manipulis alias per nos colligendis; si divinae ei auscultantes apta ad id instrumenta evasissemus.

2. Tales in poenam hujus repugnantiae postea pertrantur labi in gravissimas tentationes, multiplices defectus, veteratum teporem; imo praesens non raro periculum currunt perdendae salutis. Exemplo nobis sit Adolescens, qui a Servatore nostro ad magnum sanctitatis culmen verbis invitatus fuit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*<sup>1)</sup>.

Juvenis hic omnia mandata a juventute sua custodierat; volebat Creatori perfectius servire: *quid adhuc tibi deest?* auebat scire Dei circa se voluntatem: *Master, quid boni faciam?* Nihilominus ut possessiones suas relinqueret, pecunias pauperibus distribueret, Christumque proximius sequeretur, id sibi imperare nequibat: *iiit maerens*. Et en: non desunt Auctores, qui de ejus re valde timent, respicientes illud Christi effatum: *Quam difficile tales in regnum caelorum introibunt: facilius est camelum per foramen acus transire*.

Proh Deum immortalem! primam innocentiae stolam huc illibatam servaverat: perfectus esse optaverat: *Christum eum intuitus etiam dilexerat*; et tamen quia ad excelsiorem sanctimoniam vocatus vocationi obsequi renuit, sua ad altiorem perfectionis gradum eluctari noluit, saluamque suam alio, quam quo Deus decreverat, modo aliisque mediis pro suo libitu eligendis operari voluit, forsanternum periit, ac modo fortasse ardet in tartaro, qui tuisset inter primarios Ecclesiae Sanctos lucere in caelo. *Id haec quis non paveat?*

3. Hac ratione non solum non evitatur, sed plurimum getur difficultas, qua tales territi virtutis tramitem de-

<sup>1)</sup> Matth. 19, 21 et seq.

serunt. Nam caelestis illa unctio, quae laborem leniisset, fugatur: gratia, quae debiles portasset, subtrahitur: praemii spes, quae ardua mitigasset, plurimum imminuitur. Contra vero Deus, cum ejusmodi partitionem aversetur, et totum, non partem, habere cupiat, spargit, teste Augustino, amaritudines super illicitas cupiditates eorum, vias illorum spinis sepiit, eaque ipsa, quae fugerunt, adversa ultor immittit, resque ita disponit, ut longe plura ipsis patienda occurrant in semita teporis, quam tolerare debuissent, gradiendo per callem fervoris. O quis ergo aures obturare ausit Numini ad perfectiora selectis ab aeterno mediis vocanti?

Punctum III.

Considera *felicitem* hominum tertiae classis, qui ea prompti adminicula seligunt, quae universorum Dominus eos amplecti cupit, et quae proin omnium efficacissima sunt ad obtinendum finem intentum. Hi solum Numinis servitium spectantes, cum plena ad quodvis medium indifferentia non nisi caeli nutum expectant, quo vix intellecto, mox pleno cursu in ejus amplexum feruntur. Omnem cordis partitionem, omnem naturam inter et gratiam pactionem abhorrentes, in electo vitae statu toto nisu ad illum, quo vocantur, perfectionis gradum non per alia quam per assignata a Deo media eluctari conantur.

Quanta vero haec felicitas sit, inde elucet, quod tales I. in hoc etiamnum mundo vivant beate ob charismata, quae modo quodam morali, anticipato munere, eorundem mentibus a caelo communicantur, quaeve quatuor gloriosorum corporum dotes aemulantur, nempe *claritas* quaedam intellectus in cognoscendis veritatibus aeternis: *agilitas* voluntatis in exercendis operibus bonis: *subtilitas* memoriae in formandis caelestibus ideis: et quaedam animi, ut ajunt, *impassibilitas*, ex assidua appetituum refraenatione orta.

2. Ejusmodi animae tam copioso deliciarum torrente in aë adhuc lacrimarum valle inundantur, ut tot tantisque voluptatibus ferendis jam impares, eisdem modum a caelo non ardentem petant; sancteque fateantur, omnes tolerantias, labores et aerumnas in virtutis palaestra pluribus vicibus exantlatas, unica ejusmodi guttula centuplici foenore compensari.

3. Denique tales singularis Providentia Numinis specialiter fovet, tutatur et regit. Providis Dei brachiis insertos vivinus *Amor in sinu suo portat*<sup>1)</sup>, *quasi pupillam oculi custodit*<sup>2)</sup>, variosque eventus ita sapienter moderatur, ut *ipsis omnia cooperentur in bonum*<sup>3)</sup>, ipsi non raro lapsus. O quam merito igitur beati dicuntur illi, quibus haec sunt!

Fructus ex hac meditatione colligendus est firmum animi secretum non solum serviendi Deo, imitando Christum in eo, ad quem nos vocaverit, vitae statu: et in electo jam statu non solum tendendi ad illud perfectionis culmen, ad quod nos ille invitarit; sed etiam illuc eluctandi per illa determinate media, per quae nos Deus illuc perducere voluerit; nec non corrigendi mores in iis singillatim punctis, et ea ipsa methodo, in quibus et qua supremum id jusserit Numen, nihil excipiendo, nullam divino lumini remoram ponendo; id quod perfectissima ad electionem hodie instituentiam animi comparatio est.

### Affectus.

O Domine, *terribilis in consiliis super filios hominum!*<sup>4)</sup> *Timeo mihi a judiciis tuis*<sup>5)</sup>; quia sunt *abyssus multa*<sup>6)</sup>. Iesu! quid respondebo tibi, caelum et terram veluti testes contra me evocanti illis Isaiae verbis: *Judicate inter me et vineam meam* (hanc animam): *quid amplius debui*

---

1) Num. 11, 12. — 2) Deut. 32, 10. — 3) Rom. 8, 28. — 4) Psalm. 65, 5. — 5) Psalm. 118, 120. — 6) Psalm. 35, 7.

*facere, et non feci*<sup>1)</sup>? *Vocavi* eam ad sublimem perfectionis gradum, viam edocui, media suppeditavi; *et renuit*: debuisset fieri sancta ob conditionis excelsitatem: potuisset fieri sancta ob exercitiorum efficacitatem; et en! *expectata, ut faceret uras, fecit labruscas*<sup>2)</sup>. Ad haec quid respondebo tibi?

Ah! merito *pavore et tremore concutiuntur omnia ossa mea, et expavescit anima mea valde*<sup>3)</sup>, dum expendo tuum illud effatum: *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo, et cui commodaverunt multum, plus petent ab eo*<sup>4)</sup>. Heu me miserum! si hic ipse exercitiorum libellus, qui mihi debuisset esse clavis ad caelum, fieret scala ad interitum? si mihi foret suspensa e collo mola asinaria, quae me eo profundius in infernum demergat? *O Deus salutis meae*<sup>5)</sup>! tantum a me malum averte! da, ut posthac ad perfectionem per illa ipsa, queis tu volueris, media tendam; ne forte etiam me attonet tuum illud terribile fulmen: *Ecce! ego extendam manum meam super te, et auferam a te justificationem tuam*<sup>6)</sup>. *Auferetur a te regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*<sup>7)</sup>.

Id ergo ne fiat, execror *improbitalatem* hominum primae classis, qui solo inani velle contenti, *nulla* adhibent media. Aversor insuper *imprudentiam* hominum secundae classis, qui cum Deo avare paciscentes *aliqua* quidem, non tamen ea, quae deberent, applicant media. Contra vero appeto et ego *felicitatem* hominum tertiae classis, qui ad omnia aequilibras, ea solum quae Deus expetit, seligunt *media*. Itaque en! etiam me paratum ad omnia praecipue ad haec N.

*Testis mihi sit Deus, et testis Christus ejus*<sup>8)</sup>; qua serviam Creatori meo in eo, quo voluerit statu: et in electo jam statu tendam ad illum, quem mihi designaverit perfectionis gradum; et quidem per illa ipsa, quae ipse

<sup>1)</sup> Isa. 5, 4. — <sup>2)</sup> Isa. 5, 2. — <sup>3)</sup> De imit. Chr. l. 3. c. 14. —

<sup>4)</sup> Luc. 12, 48. — <sup>5)</sup> Psalm. 17, 47. — <sup>6)</sup> Ezech. 16, 27. —

<sup>7)</sup> Matth. 21, 43. — <sup>8)</sup> 1. Reg. 12, 5.



determinaverit, *media* tendam. Nihil excipio, nullos gratiae limites pono; obluetur licet caro, obmurmurent licet sensus, frustra sunt; quod tu volueris, fiet: solum *doce me facere voluntatem tuam*<sup>1)</sup>.

„Dein hanc indifferentiae gratiam animique ad quidvis promptitudinem in triplici colloquio petes 1. a. B. Virgine, 2. per hanc a divino ejus filio, 3. per hunc ab aeterno illius Patre. Quodsi in te aliquam a perfecta paupertate, tui contemptu et aerumnis repugnantiam; contra vero erga divitias, honores, commoda propensionem senseris, multum conferet ad illam superandam, si in his colloquiis a Deo flagites, ut te vocet et instiget, renitente licet carne, ad eligendum id, a quo maxime abhorres. Hac enim ratione, voluntatem scilicet ad id, quod sensualitati contrarium est inclinando, ad auream illam, quae hic quaeritur, indifferentiam, et ad connexum ei tertium Humilitatis Gradum facilius pervenies<sup>2)</sup>.“

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 3. cap. 27 et 55.

---

#### CONSIDERATIO

### DE TRIBUS HUMILITATIS GRADIBUS.

Cupit S. Pater, ut, *antequam electionum materiam aggrediamur, prius ad capessendam germanam doctrinam affectum nostrum disponamus, apprime considerando, ac per totum diem identidem revolvendo tres sequentes modos Humilitatis*<sup>3)</sup>. Et merito; nam ad electionem bene faciendam requiritur purus ab omni non solum *graviter* aut *leviter* vitiosa, sed etiam quomodocunque sinistra affectione animus, cum plena ad quidvis indifferentia; haec autem ob corruptae naturae ad ima semper pronae vitium nunquam obtinebitur sine forti ad altiora et perfectiora inclinatione<sup>4)</sup>. Ista ergo propensio ut in gradu sublimiori

---

<sup>1)</sup> Psalm. 142, 10. — <sup>2)</sup> Lib. exercit. in notando statim ad finem hujus medit. Item Direct. c. 30. n. 2. — <sup>3)</sup> In lib. exercit. notando tertio ante tres Gradus Humilitatis. — <sup>4)</sup> Direct. c. 23. n. 3 et 4.

acquiratur, hujus considerationis est scopus, in qua ob finem praedicti tres modi attentius expendendi proponitur.

I. *Primus Humilitatis modus hic est, ut me; subdam divinae legi observandae; utque ne mundum totius oblato mihi dominio, vel extremo vitae crimine abjecto, transgrediar ex deliberato malum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati talis vinculo nos obliget<sup>1)</sup>*; ita ut malim cum contempto, paupere et afflicto pariter contemptum, rem et afflicto vivere, quam cum lethali noxa divitiis, honoribus et deliciis gaudere. Et hic gradus fructus ex prima exercitiorum hebdomade collectus, ut conscendamus, incitamento nobis sunt 1. *peccati vitas*, quae summa est ob offensae foeditatem, offensam, offensi majestatem. 2. *Poenae* ob illud Legem Protoparentibus et Christo inflictae atrocitas. 3. *penarum* propterea in tartaro subeundorum *divina aeternitas*: quae omnia meditationum secundae diei mentum erant.

Accedit 1. *rei aequitas*; nam *mortalem justum subditum esse Deo*<sup>2)</sup>. 2. *Obligationis inevitabilitatem* secundum illud Ecclesiastae effatum: *Deum time, et data ejus observa; hoc est enim omnis homo*<sup>3)</sup>; ad hoc naturaliter seu essentialiter obligatur omnis homo. 3. *Observationis utilitas*; sicut enim *peccatores dantur malum; ita et justis retribuuntur bona*<sup>4)</sup>. 4. *plurimum SS. Martyrum*, qui ne peccarent, *tentati sunt, lapidati sunt, in occisione gladii mortui sunt*. 5. Denique summa est hujus gradus ad salutem *necessitas* *enim peccantibus relinquitur terribilis spectatio judicii et ignis aemulatio*<sup>5)</sup>; *ubi peccatores accipient damnationem*<sup>6)</sup>.

1) S. Ignat. in lib. exercit. — 2) 2. Mach. 9, 12. — 3) 12, 13. — 4) Prov. 13, 21. — 5) Hebr. 11, 37. — 6) 10, 26. — 7) Luc. 20, 47.

Jam vero equid hunc gradum conscendisti? esne paratus omnis potius *famae, honorum, sanitatis et vitae* jacturam subire, quam graviter peccare? Age, si mortifero perimine summam dignitatem, ingentes divitias votorumque aetam adipisci, si a diuturna infirmitate aut propinquo mortis discrimine te liberare posses, an malles illis carere, haec vero tolerare, quam lethali noxa divinam Majestatem offensere, et a commendata hactenus indifferentia vel latum sanguinem recedere? ... Aut si ita comparatus animo es, *medic*, quam firmo pede huic gradui insistas? an non forsitan illa tentatio inde te denuo deturbabit?

Pro certo habe, nisi quis implacabili eoque radicato et nunquam cicurando mortiferae labis odio flagret; imo nisi quis ad solam occasionem peccandique periculum simultaneo terrore percussus mox expallescat et velut ad subitum daemoneis conspectum contremiscat, actum est de sanctiori servitio Dei et propiori imitatione Christi: actum de inculcato hucusque aequilibrio et majori per illud obtinenda perfectione: actum denique de omni intento per haec exercitia fructu. Ad hanc igitur regulam tanquam ad lapidem Lydium tuam a graviore delicto aversionem examina, et *aptissima* quaeque illi vitando *media* arripe.

II. *Secundus Humilitatis Gradus majoris est perfectionis, et in eo consistit, ut ubi aequalis est divinae laudis et salutis meae occasio, aequè propensus sim ad divitias et paupertatem: ad honorem et ignominiam: ad longam vel brevem vitam; ita quidem, ut nulla vel humanae quantaecunque felicitatis vel propriae mortis conditione proposita, adducar unquam, ut culpam non solum lethalem nullam, sed nec venialem decernam admittere*<sup>1)</sup>.

Ut proin malim cum Christo egenam, abjectam et aerumnosam vitam ducere, quam per venialem noxam cunctis dignitatibus, opibus ac voluptatibus abundare. Haec animi

<sup>1)</sup> In lib. exercitiorum.

comparatio fructus est primae exercitiorum diei prae illius meditationis, quae a S. P. Ignatio fundamentum scribitur, ut ex dicendis patebit.

Porro motiva ad illum impellentia sunt tria, quae tamen lectio nunc est omittenda, cum consideratio longior sit. 1. Secundum data in prima exercitio fundamentum principia, *debemus absque indifferentia habere circa res creatas omnes* (S. Ignatii verba sunt *ita ut quod in nobis est, non quaeramus sanitatem, quam aegritudinem; neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi praeferamus.* contra hanc indifferentiam ageret ille, qui per levem mortem honorem contemptui, divitias egestati, sanitatem mortem vitam morti anteponeret. Ergo nisi jactum mortis exercitiorum initio fundamentum evertere, haustumque hunc fructum perdere velimus, debemus secundum hunc Hieronymi Gradum conscendere; id est, debemus malle contingere aegrotare et mori, quam tenui piaculo mentem foedari per venialem naevum ab inculcata hactenus indifferentia deflectere. Secus actum est de praecipuo exercitii scopo.

2. Illa, quae ibi (nempe in fundamento) enarrata sunt, videlicet *divitiae et paupertas, honor et ignominia, brevitatis et longitudo vitae* solum sunt media attingendum creationis finem; et quidem sunt media ea solum utilia, quatenus conducunt ad dictum finem. media autem indifferentes nos esse oportere, et in eorum delectu et usu a solo creationis fine moveri nos debere ipsa ratio dictat. Ergo aequae propensi esse debemus ad divitias ac paupertatem, ad honorem atque ignominiam longam ac brevem vitam. Jam autem qui leviter persequitur ut inopiam, contemptum et morbos effugiat; vel ut honores acquirat, aut sanitatem et vitam conservet, a requisita ad electionem aequilibritate recedit, a suo ultimo saltem aliquatenus deviat, contra dictamen rationis

igit, et ex medio finem constituit. Id igitur agere qui porret, ad secundum hunc gradum eluctetur necesse est.

3. Praeterea ad veniale universim fugiendum impellere nos debet hujus culpae malitia, quae est enormis; 1. quia post mortale est malum in orbe maximum. 2. Quia Deus incredibili illud odio aversatur. 3. Quia secundum probabilem Theologorum sententiam nulla creatura pura condigna illud satisfactione expiare potest. 4. Quia actus virtutum corrumpit, charitatis fervorem diminuit, ad lethalem noxam disponit. Accedit, quod ejus poenae sint gravissimae tum in hoc, tum in altero mundo. Ex his legitimo nexu concluditur, avernale hoc monstrum cane pejus et angue vitandum esse, et omni odio execrandum; *ita quidem ut nulla vel humanae quantaecunque felicitatis vel propriae mortis conditione proposita, quis adduci se sinat, ut culpam licet venialem tantum decernat admittere.*

Jam vero *scrutare Jerusalem in lucernis*<sup>1)</sup>, et vide, quam magnus hujus naevi animum insideat horror? Percutere ex temetipso: quid si levi mendacio molestam pauperiem, gravem infamiam, lethalem morbum vel mortem ipsam a me amoliri, aut honorificum quoddam munus, vel centum aureos aut longaevam valetudinem acquirere possem, nonne mentirer? An periunde est contemni atque honorari, egere atque abundare, sanum vivere atque aegrotum mori? Age, quid reponit conscientia? ... Et tamen hic gradus non est nisi secundus primae hebdomadis fructus. En! ad quam sublimem perfectionis gradum S. P. Ignatius per sua exercitia nos ducat, et quam mirabilis inter ea nexus intercedat.

III. Tertius Humilitatis altissimae modus, qui reliquos omnes sua pulchritudine et pretio absorbet, in eo consistit, ut *etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret*, id est, etiamsi per honores et divitias aequae facile salvari, et

<sup>1)</sup> *Soph. 1, 12.*

creationis meae finem obtinere possem, ac per paup et contemptum, ut tamen *potius eligam cum paupere, spreto et illuso pauperiem, contemptum sapientiae titulum amplecti, quam opes, honores pietiae aestimationem; idque solum ob majore imitationem*<sup>1)</sup>. Tertius hic gradus est fructus heb secunda, praesertim meditationum de regno Chi duobus vexillis, ubi scilicet toti ad Servatorem pe imitandum exarsimus ob majoris cum illo similitudi siderium<sup>2)</sup>.

Motiva hunc nobis gradum persuadentia sunt seq  
1. *Exemplum Christi*, qui nostri causa et amore viam paupertatis, contemptus et dolorum, *propositoq gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*<sup>3)</sup> nempe ad parem erga illum amorem etiam nos i eundem in his ipsis rebus proximius sequi studeremu

1) In lib. Exercit. de tribus grad. humil.

2) Tertius Humilitatis gradus ex Suaresio de Relig. tom. 4 c. 5. ostendit *majorem amorem et reverentiam* ad Christum d Praeterea illa *via est securior ad merendum* etc. Quare r satis pro rei necessitate et praestantia gradus ille commendari qui, ait J. Diertius, *castissimum erga Jesum Christum amorem complectitur*. Ceterum adnotat P. A. Gaudier Introd. ad solid. „Suppositionem B. P. Ignatii intelligi debere, si aliquando (scilicet Dei laudem parem fore). Nam ubi est major Christi i ibi est consequenter major Dei gloria; unde quando est dubit sit major Dei gloria, in contemptu, an in honore, tutius omn pro regula sequi Christi exemplum, et crucem amplecti.“ Erq tertia humilitas eligit actu paupertatem et opprobria, dummod Dei gloria non exigat, ut divitias et honores retineas vel a Quod si autem major Dei gloria exigit, seu obedientia carita commoda honoresque admittantur, semper memores Christi cruc ipsos honores, retineamus affectum sincerum imitationis Chr quantum ex parte nostra est, rejiciamus bona haec omnia cum ptione, quod non vellemus ea acceptare, nisi esset evidenter Dei gloria. Sic poterimus et moderate uti iis bonis, nec ab illi et proximo aedificationi esse nostra illa modestia et animi mode Consulatur P. A. Gaudier loco mox citato. Id unum tamen se monendum, ut quisque sibi caveat, ne amore proprio inord affectu seductus, declinet a conformitate ad Christum, et perdit

3) Hebr. 12, 2.

antum tunc, quando divitiæ et honores fini nostrae creatio-  
is adversantur; sed etiam casu, quo illi aequae ac inopia,  
crumnae et despectus ad propositum finem consequendum  
conducerent, atque par in utrisque ad acquirendam per-  
fectionem momentum foret.

Enimvero omnis humani sensus expertus sit oportet, cui  
tam mirabile Christi exemplum hujus gradus amorem non  
persuadet. Quid enim? ergone Rex regum et Sanctus  
sanctorum nostri causa factus sit *vir dolorum*<sup>1)</sup>, *oppro-  
brium hominum*<sup>2)</sup>, *egenus et pauper*<sup>3)</sup>, *non habens, ubi  
caput reclinet*<sup>4)</sup>; et homo peccator vilisque argilla *ducat  
in bonis dies suos*<sup>5)</sup>, *et intumescat superbia*<sup>6)</sup>? . . .

Quae haec paradoxa? scire, honores, delicias et opes  
illa esse venabula, quibus mortales a daemone in orbem  
raccipitantur; contra vero contemptus, dolores et egesta-  
tem illa esse adminicula, quibus in caelis inferuntur; credere,  
Christum ideo vitam pauperem, asperam et humilem ele-  
gisse, ut nobis despectus, egentiae et asperioris cultus  
lesiderium instillaret; contra vero voluptatum, divitiarum  
et dignitatum vilipensionem inderet atque ingeneraret; haec  
omnia, inquam, scire, imo et credere; et tamen spreto  
Christi exemplo mammonae, mundo et carni addictum vi-  
vere: quae ille amat, odisse, ac de eo in tertio Humilitatis  
gradu imitando ne cogitationem quidem admittere; idque  
facere Christianum, qui teste Gregorio Nysseno deberet  
esse alter Christus; imo et Religiosum, qui vi suae Re-  
ligionis deberet esse viva Christi crucifixi imago; haec  
certe tam probrosa, infidelis, ingrata et discordans inter  
se fidei et vitae dissensio est, ut omnem excusationi locum  
adimat. Sola haec antithesis nostram socordiam ita con-  
fundit, ut, si vel guttula generosi sanguinis in venis fluat,  
ad hujus prototypi imitationem inflammari nos oporteat.

---

<sup>1)</sup> Isa. 53, 3. — <sup>2)</sup> Psalm. 21, 7. — <sup>3)</sup> Psalm. 69, 6. — <sup>4)</sup> Luc.  
9, 58. — <sup>5)</sup> Job. 21, 13. — <sup>6)</sup> Dent. 17, 13.

Quid enim? ergone minus in nobis efficere possit ex eo Salvatoris quam in milite ducis? Finge amatum ducem in hostiles muros primum eluctari, mox omnis citus praeceuntem pleno impetu sequetur; et solos Ch nos insequi Christum pigeat? Absit a nobis tam ignavia.

Igitur *eja Fratres, pergamus simul*, et generosa eluctemur in tertium Humilitatis gradum; hunc enim consensuros promissimus generatim in contemplationis regno Christi, ac dein speciatim in meditatione de d vexillis. *Inceptum est, retro ire non licet, nec querere oportet. Macti proin animis! Jesus erit nobis. Erit adjutor noster, qui est dux noster et praecursor. En! rex noster ingreditur ante nos; hunc ergo sumus viriliter, nec inferamus crimen gloriae nostrae fugiamus a cruce, seu a tertio humiliandi nos modo*

2. Qui ad hunc tertium Humilitatis gradum non eluctatur, ille nec secundo, quin nec primo diu firmo insistet. Licet enim talis obfirmaverit animum, nulla imo nec levi noxa saltem pleno cum sensu etiam opes et dignitates ac cuticulae commoditates se con nandi; tamen nemo est, qui non sole clarius videat, cillimum esse mediis in divitiis, honoribus corpor commodis ab ejusmodi defectibus saltem diu sibi ca Adeoque ad tertium eniti debere illum, qui secundo primo firmiter insistere cupit.

Timendum enim jure merito est, ne in poenam negl hujus ad sanctiora vocationis divina nobis uberiora au subtrahantur, gratiarum series transferatur, provide specialis filum praescindatur, periculosae tentationes gra que lapsus permittantur, et denique ne illud quoque fu intentetur: *Vocavi te ad tertium Humilitatis gradum renuisti; jam et ego ridebo, quin et subsannabo,*

<sup>1)</sup> Thom. a Kemp. l. 3. c. 56.



tibi id, quod timebas, acciderit; cum in te irruerit repentina calamitas et interitus quasi tempestas ingruerit, ridebo, et subsannabo<sup>1)</sup>). Id ergo ne fiat, Christum ad hunc nos gradum vocantem prompti sequamur.

3. Ex hoc ultimo se humiliandi modo tanquam ex radice universa Societatis nostrae forma ac pleraeque Constitutiones sunt enatae, praesertim regula 11. Summarii, qua jubemur, *omnino et non ex parte abhorre ab omnibus, quae mundus amat, et amplectitur, nempe honores, famam, magni nominis aestimationem in terra: ac admittere, et concupiscere totis viribus, quae Christus Dominus noster amavit, et amplexus est, nempe contumelias, falsa testimonia, injurias.*

Quin imo in examine generali pro admittendis ad Societatem cap. 4. §. 44 et 45 vult S. Fundator candidatos interrogari, *an hujusmodi desideria in se sentiant? Et si quis propter humanam debilitatem et miseriam in se hujusmodi tam inflammata desideria non sentiret, interrogari talem cupit, an certe desiderium in se sentiat, hujusmodi desideria in se sentiendi? Sique affirmando responderit, interrogari eum ulterius jubet, an decreverit, paratusque sit, hujusmodi injurias, illusiones et opprobria, in Christi insignibus inclusa, patienter cum Dei gratia ferre?* Jam autem si haec Ignatius a candidatis et ieronibus exigit, quid non exspectabit a veteranis et professis? Quam monstrosa igitur res foret, eos de hac regula implenda ne cogitare quidem, imo vix illius notitiam habere, eamque veluti piam tantum speculationem neglectui habere; cum tamen in ea consistat spiritus Societatis, ab eaque dependeat totius Ordinis vigor, felicitas incolumitasque.

Ex his omnibus abunde patet, quam merito tertius hic gradus dicatur *thesaurus* in exercitiorum agro absconditus, *margarita* quantovis pretio comparanda, *medulla viae illu-*

<sup>1)</sup> Prov. 1, 24 et seq.

minativae, *compendium* doctrinae Evangelicae, *summa* omnis perfectionis et *fons* largissimis gratiarum fluentis exuberans; item *mysterium*, in quo latet abscondita Dei Sapientia, de quo Christus ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*<sup>1)</sup>.

Haec certe efficacia omnino incitamenta sunt tertium Humilitatis gradum generose conscendendi, et imponendi hac ratione aptatam coronidem illi heroicae dispositioni, quae ad electionem requiritur, et quae consistit in plena ad quidvis indifferentia, per hanc ipsam ad perfectiora propensionem certius obtinenda. Hac ergo instructi magnum electionis negotium secundum subjectam praxin forti animo aggrediamur, et quidem tempore considerationem inter et meditationem medio v. g. hora tertia vel media quarta. Prius tamen huic considerationi subjungantur ea ipsa colloquia, quibus supra meditatio de vexillis, et illa de tribus hominum classibus terminatur.

Porro puncta, quae in deliberationem venient, supponuntur jam antea selecta fuisse ac praeparata. Plura paradigmatis instar in hesternae lectione §. III. n. 3. fuerunt assignata. Ubi tamen denuo notandum (quod jam saepius inculcavi), primum electionis argumentum esse solidam *emendationem seu reformationem totius vitae status* sive morum, posthac executioni mandandam per *media* efficaciora jam nunc determinanda: nec non tertium Humilitatis gradum, determinando scilicet, quibus in rebus, quibusve mediis in praxin is sit deducendus.

---

<sup>1)</sup> Matth. 11, 25.

---

EXERCITIUM ELECTIONIS PRACTICUM,  
SEU  
MODUS INSTITUENDAE ELECTIONIS.

*Praeludium 1.* Per vivum fidei actum crede Deum tibi intime praesentem, teque creatum esse ad illi serviendum, et quidem eo, quo ille voluerit, modo.

*Praeludium 2.* Re, circa quam deliberatur, in medium coram Deo prolata, pete gratiam agnoscendi et adimplendi ejus beneplacitum circa illam rem vel faciendam vel omittendam.

*Praeludium 3.* Eliciaturs actus indifferentiae ad utrumlibet, ad rem scilicet vel praestandam vel intermittendam; nil spectando, nisi ultimum creationis finem, majorem Dei gloriam et executionem divinae voluntatis.

*Ceterum eligens colligat se totum intra se, et toto tempore, quo durat haec deliberatio, claudat sensus, claudat animum omnibus aliis rebus, nihilque velit audire vel videre, quod non de sursum sit<sup>1)</sup>.*

I. Exercitium voluntatis, quod a S. Patre vocatur secundum tempus.

Anima cum profunda mentis demissione ferventique desiderio divinam voluntatem agnoscendi et exequendi, offerat se Deo diversis vicibus modo ad unam, modo ad alteram rem, dicendo: *Domine, vis, ut hoc agam*, aut *eligam?* ... vel *visne, ut illud alterum exequar*, aut *eligam?* ... imitando aulicum, qui praesentat principi suo genus aliquod cibi, ut exploret, an ei arrideat, observando interim in secreto cordis internos, quos quis ad alterutrum senserit, animi motus, suspenso hunc in finem omni trium animae facultatum (quoad licuerit) exercitio, ut durante hoc mentis silentio divina vox eo facilius percipiatur.

*Notandum 1.* Si ad unam potius quam ad alteram partem interius impelli te senseris, examina hos motus ad

---

<sup>1)</sup> Direct. c. 23. n. 5.

regulas de motibus animae discernendis, seu de pleniore spirituum discretionem infra ponendas. 2. Si nullum omnino motum internum senseris, imo licet aliquem senseris, progredere ad

## II. Exercitium intellectus, quod S. Pater vocat tertium tempus.

I. Hic perpende rationes tam pro una parte militantes, quam contra eam pugnantem, nempe tam commoda quam incommoda, tam adminicula quam discrimina salutisque obstacula, quae ab alterutro speranda sunt vel timenda. Et hae rationes coram Deo pondere Sanctuarii, semoto omni terreno affectu, librentur, ac SS. Trinitati vel approbandae vel rejiciendae offerantur.

II. Post haec percontare ex temetipso, 1. quid circa rem propositam faciendum vel omittendum suaderem amico? 2. quid in articulo mortis, 3. quid in iudicio, 4. quid per totam aeternitatem elegisse optabo? His rite expensis ipse fac, quod alteri consuleres, et quod fecisse olim ad extrema perductus desiderabis.

III. Curandum tamen summopere erit, *ut, quidquid affectionis (sive multum sive parum sit) erga rem eligendam persentiscis, ex solius Dei amore et intuitu proficiscatur*<sup>1)</sup>. Cavendum proin erit, *ne ullas admittas rationes, quae non sint e caelo, id est, ne ullas admittas, quae sapiant carnem et sanguinem, aut aliquid humanum ac terrenum; quia omnia manare debent ex uno principio, quod est desiderium gloriae Dei et exequendae ejus voluntatis*<sup>2)</sup>, nec non majoris cum Christo similitudinis consequendae.

Ad hoc autem plurimum conducet tertius Humilitatis gradus. Ponamus enim, quod in certa quadam materia

<sup>1)</sup> In lib. Exercit. in modo posteriori bene eligendi regula 1. —

<sup>2)</sup> Direct. c. 23. n. 5.

post diligentem rationum discussionem par utrinque appareat ad ultimum finem consequendum commoditas; tunc enimvero incertus animi haerebit is, qui sapientia tertii Humilitatis gradus est destitutus. Et fortassis fucata ac vana livitiarum ac dignitatum species eum ad se alliciet. At is, qui lumine illo vere divino tertii Humilitatis gradus est instructus, statim amplectetur illam partem, qua Christo, optimo Imperatori suo, similior erit. Inde collige, quantum hic gradus bonam electionem promoveat.

*Quod si tamen praeter amorem divinum, etiam motivum aliquod humanum accederet, quod eodem animum inclinaret, si illud non repugnet legi Dei ac voluntati, et ex sua natura bonum sit, utputa consolatio propria et quies spiritualis, ratio valetudinis, aut aliquid ejusmodi, non propterea improbanda esset electio. Haec tamen impellens humana ratio oportet semper esse minus praecipua, et etiam minus praecipue movere; debetque haec ipsa ad Dei amorem referri<sup>1)</sup>.*

IV. Libratis ergo mature in utramque partem rationibus, ac depurgato ab omni sinistra affectione mentis oculo, demum determina, quid circa rem propositam agere vel omittere, quidve eligere vel rejicere velis. Quo decreto fiat sequenti modo:

### III. Conclusio Electionis.

I. In conspectu totius curiae caelestis, coram throno SS. Trinitatis totum electionis negotium concludes, dicendo: quia judico, hoc N. esse Numinis voluntatem, idque credere ad majorem ejus gloriam ob has et has rationes tertii temporis, item ob hos impulsus secundi temporis, deo eligam, aut faciam hoc N. vel omittam. 2. Hoc animi decretum B. Virgini et per eam Christo offeres confirmandum et benedicendum, vocando eos in testes facti propositi.

<sup>1)</sup> Direct. c. 23. n. 5.

3. Sanctos Caelites invitabis ad agendas tecum honorum omnium Fonti debitas grates pro manifestata tibi sua voluntate; eosque implorabis, ut tibi impetrent gratiam pro eadem implenda necessariam, electo hunc in finem speciali Patrono.

II. Fiat dein pro libitu oratio vel vocalis vel mentalis, sub qua attendes, num mens tua immissis motionibus et illustrationibus confirmetur in electione, an haec infirmetur. Si prius, erit signum bonae electionis. Si secundum, tunc videndum, num hae motiones sint a bono an malo spiritu? Si a malo, non est mutanda electio; sin autem a bono, de novo electionis exercitium erit repetendum. Si vero sub oratione nihil notabile accideret, signum erit, Deum velle, suam voluntatem per solum intellectus discursum inveniri nobisque innotescere.

III. Quod si forte contingat, ut quis secundo tempore, id est, sub exercitio voluntatis in aliquam rem inclinetur, tertio vero tempore seu sub exercitio intellectus in alteram dissimilem vel contrariam rem impellatur; tunc si rationes tertio tempore intellectum moventes essent graves, iis erit standum: cum enim certum non sit, an motio illa, secundo tempore voluntatem impellens, sit a Deo, securius erit sequi ductum intellectus gravi ratione moti. Contra vero si rationes, quae tertio tempore intellectum in oppositam partem movent, essent debiles; motiones vero secundi temporis voluntatem in oppositum impellentes (postquam secundum regulas infra ponendas rite fuerunt examinatae) viderentur esse a Deo, electio secundi temporis posteriori praeferenda erit<sup>1)</sup>. Ceterum inter pia opera aliis praeferenda sunt illa, quae sunt majoris momenti, necessitatis, utilitatis, perfectionis: item ea, quae sunt diuturniora, magis universalialia, et cujusvis statui magis propria, quaeque minus dilationem patiuntur. *Sequentes regulae poterunt legi alio tempore commodo.*

---

<sup>1)</sup> *Direct. c. 28. n. 9.*

## IV. Regulae discernendi Spiritus.

I. Si te ad unam potius quam ad alteram partem impelli senseris, vide, num hi motus te consolatione, laetitia, pace repleant, magisque te ad sectandam virtutem accendant; an e contrario potius te distractionibus, turbatione, nausea, taedio, tristitia obruant, pravas motiones excitent, teque in perfectionis studio tepescere faciant? Posterioris notae impulsus daemonem habere auctorem in comperto est. 2. Attende, num sentias tibi ab Omnipotente promitti tantum pecuniae spiritualis seu virium, quantum ad exequendum, quod moliris opus, exigetur. Ejusmodi enim superna pollicitatio, opisque suffecturae spes divinae vocis indicium est. Observa, num hi instinctus perseverent, pergantque movere ad bonum *semper et constanter*? Nam inconstantia signum mali est et levis spiritus.

II. Praeterea (ut Auctor nobis S. P. Ignatius est) observabis quoque principium, medium et finem horum animi motuum. Ad eorum *initium* seu originem quod attinet, animadvertite, num eosdem sentire incipias, quando fervore accensus, consolatione perfusus, pace beatus, suavi malacia frueris; an assurgant tempore amaritudinis, tristitiae, teporis vel alterius pravae affectionis, quae rebeli tumultu animi tranquillitatem turbet. Item num tempore non suo, sed impertinenti in animam irruant? dum nempe alio opere vel negotio, ab obedientia injuncto, occuparis, quocum hae motiones non solum nullam habeant connexionem, sed nec conjungi queant, ita ut ei rite exequendo, impedimento sint. Praeposterus ejusmodi impetus e caelo non est; cum nil caeleste inordinatum sit. 2. Dein *medio* tempore, quo tales impulsus durant, observa, num interiori quiete voluntatem tranquillent, et intellectum superna claritate illustrent; an potius hunc tenebris obscurent, illam vero taediis inquietent? 3. Denique sub eorum *finem* attende, num mentis fluxum relinquunt salutarem stimulum, qui te impellat ad

perfectionis semitam alacrius decurrendam, ad actiones quotidianas perfectius peragendas, ad refrærendos sensus, mentisque collectionem accuratius conservandam; an te caelestium nausea, virtutis fastidio, tristisque acedia afficiant, dissipent, affligant, tepidumque reddant? Primum boni erit genii, alterum vero mali indicium. 4. Ad hæc caelestes impulsus sacrae Paginae et Theologiae placitis, receptis Ecclesiae moribus, familiae Religiosae usibus, status nostri obligationibus et ministeriis consentanei sunt ac conformes. Iidem quoque nostrae indoli et ingenio, naturae viribus et habilitati, nec non conditioni, officio, aetati semper accommodati sunt et aptati.

III. Pro faciliori hactenus dictorum intelligentia declarandum superest, quid sit consolatio, et quid desolatio? *Consolatio* est spiritualis quaedam passio data supernaturaliter, cujus natura est, ut cum praesens est, facile exercentur actus virtutum, imo cum delectatione et gustu ac cum inflammatione affectus. Contra vero facit, ut opera carnis desipiant, et insuavia videantur. Ejus *effectus* sunt pax et quies quaedam interior, gaudium spirituale, lumen et clarior cognitio rerum divinarum, lacrimae, mentis elatio in Deum, spes in Deo fixa, sensus rerum aeternarum, conversio ad caelestia, calor sancti amoris, quae omnia a Spiritu sancto sunt. Cavendum tamen hoc casu erit, ne tempore consolationis votum ullum emittatur. *Desolatio* contra est tristitia, perturbatio animi, spes in rebus vel personis, amor rerum infimarum, ariditas, depressio et evagatio mentis in res hujus mundi, quae omnia a malo spiritu sunt. *Direct. c. 27. n. 3.*

#### A d m o n i t i o .

„Cum secundum Directorii doctrinam tertius Humilitatis Gradus etiam in meditatione opportuno tempore expendi possit<sup>1)</sup>, ut nempe

---

<sup>1)</sup> *Direct. c. 29. n. 8.*



ejus praestantia altius animo imprimatur, mensque ad illum expetendum eo vehementius inflammetur; cumque insuper electionis negotium tractari possit, *etiam dum quis versatur in meditationibus et orationibus consuetis*<sup>1)</sup>; eam ob causam in proxima meditatione praerogativas tertii Humilitatis modi profundius rimandas propono, ita tamen, ut non nisi media praescriptae horae pars iterato electionis exercitio impendatur; ut nempe *eligens experiatur, utrum durent eaedem motiones, an vero aliae contrariae succedant?*<sup>2)</sup> Sic enim fiet, ut in laudato gradu necdum bene discussa melius penetrentur: et in electionis negotio necdum rite stabilita solidius confirmentur.“

---

MEDITATIO III.

DE PRAEROGATIVIS TERTII GRADUS  
HUMILITATIS.

Punctum I.

*Ejus generosa excelsitas.* Quid enim magis heroicum, quam, *etiamsi laus Dei par foret et aequale meritum*, tamen malle cum Christo spreto, paupere et afflicto contemni, egere et pati, quam deliciis, honoribus et divitiis frui? 2. Quid generosius quam malle cingi corona spinea, aureae praeferenda, solum ob majorem cum Christo similitudinem? 3. Quid sublimius, quam horrere ac fugere, quae mundus tam avidè amat, et quaerit; contra vero amare et quaerere, quae ille tam sollicitè fugit, tanque acriter reversatur? Si enim vir bonus cum mala fortuna compositus dignum Deo spectaculum est, quid erit ille, qui rerum penuriam, famae jacturam, corporis molestias non solum cum Jobo patienter tolerat, sed cum Apostolo etiam provocat? O Domine! da, ut non degenerem ab excelsis cogitationibus filiorum Dei.

---

<sup>1)</sup> *Direct. c. 30. n. 6.* — <sup>2)</sup> *Ibid. n. 7.*

est, teste S. Augustino, *bonum pacis, ut in rebus nihil gratius soleat audiri, nihil delectabilius con et nihil utilius possideri*. 2. Est proxima centr felicitatis et gloriae, nempe Christo; cum ei si eadem cum illo veste induatur, eodem atque ille cibo tur, eadem cum illo sorte beetur, eodem atque ill a divino Patre habeatur. 3. Est delictum cordis dulcis paradisi, ubi ille sub arbore crucis cum summa cum familiaritate stupendas inter delicias n gaudet. 4. Est aptissimum promovendae Dei glo strumentum; nam *quae stulta et infirma sunt eligit Deus, ut confundat fortia*<sup>1)</sup>. Quid autem stultum aut magis infirmum est in oculis mundi tertius Humilitatis gradus? *Jam vero quod stul Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum* (uti est sectator tertii Humilitatis gradus), *for hominibus*<sup>2)</sup>, seu aptius dilatandae Dei gloriae ins tum est. O! quis tantam felicitatem non omnibi appetat?

### Punctum III.

*Ejus utilitas.* Nam tertius hic gradus est sec salutem via; cum nos eximat innumeris periculis nos honores, deliciae et opes obnoxios reddunt. aptior et brevior ad perfectionem semita; cum omni affectu animam exuat, summis eam virtutibus orne ducat ad similitudinem cum Christo, in qua mori formitate vera omnis sanctitas consistit. 3. Den

---

<sup>1)</sup> 1. Cor. 1, 27. — <sup>2)</sup> 1. Cor. 1, 25.

fertilissimus ad merendum campus tum ob continuam patiendi materiam, quam paupertas, contemptus et aerumnae uberrima scaturigine suppeditant; tum ob perennem virtutem sublimissimarum praxin, quibus exercendis hic status plurimam occasionem praebet. 4. Praeterea talis anima in sinu divinae Providentiae laeta dormit: mundo superior angelisque proxima caelestem in terris vitam ducit; cumque nil velit, quam quae Deus, semper votorum compos vivit, et iis ipsis charismatum praerogativis gaudet, quas plenam ad quidvis indifferentiam individuo nexu comitari alibi diximus. 5. Demum fidenter exspectat adimpletionem divini illius promissi: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis*<sup>1)</sup>; cum enim tertium hunc gradum conscendendo, Christum perfectius sit secuta, secura sperat, se centuplo in hac vita, ibi vero felicitate aeterna fore beandam.

### Affectus.

Credo, Domine, *beatos esse pauperes spiritu: beatos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: beatos, quibus maledixerint homines, et dixerint omne malum mentientes*<sup>2)</sup>). Haec omnia firmissimo assensu credo, quia tu infinite sapiens et verax id affirmasti. O quam magnus in tertio Humilitatis gradu thesaurus latet, quem *abscondisti a sapientibus, et solum parvulis revelasti*<sup>3)</sup>). O quantas tibi debeo grates, quod ejus mihi notitiam contuleris.

Tenero affectu veneror et amplector contemptus, aerumnas et paupertatem tanquam particulas tuae crucis a te sanctificatas et mire sublimatas. O quam sero eorundem pretium agnovi! . . . Sed defleo caecitatem meam, qua hucusque nugas nugarum aestimavi, amavi et appetii; contra

1) Matth. 19, 29. — 2) Matth. 5, 3 et seq. — 3) Matth. 11, 25.

vero illa sprevi, odi et fugi, quae sola tibi in an-  
erant.

At posthac saniora. *Non enim est discipulus  
magistrum, nec servus supra dominum*<sup>1)</sup>. Cum e-  
Dominus et Magister *in labore et aerumna, in fa-  
siti, in frigore et nuditate*<sup>2)</sup> a juventute tua v.  
probrum foret, ab his me servum et discipulum ab-  
quae tibi ad mortem usque perpetui comites erant.  
*mihī gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Chrī*  
posthac paupertas summus mihī thesaurus, abjectio s-  
dignitas, afflictiones mihī posthac deliciae erunt.  
*Sponsabo eas mihī*<sup>3)</sup>; labor et dolor, inopia et conte-  
ditissima mihī dos erunt.

„Repetatur jam exercitium electionis eodem, quem supra te  
modo vel super eadem materia, vel super novis et distinctis a-  
bus punctis. Sequens praeterea actus tum sub meditatione tum  
alias saepius eliciatur: O Domine! malo cum Christo contempto, 1  
et afflicto pariter contemptum, pauperem et afflictum vivere  
1. per lethale peccatum, 2. imo quam etiam per venialem no-  
vitiis, honoribus et deliciis frui. 3. Quin idem malo, etiam  
peccato, et cum pari merito Deique laude iisdem gaudere poss-

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 2. cap.  
Matth. cap. 5. — 7, 29.

1) Matth. 10, 24. — 2) 2. Cor. 11, 27. — 3) Gal. 6,  
4) Osee. 2, 20.

## DIES SEPTIMA.

„Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.“

Isai 53, 5.

### MEDITATIO I.

## DE IIS, QUAE CHRISTUS PASSUS EST IN HONORE, NEC NON DE MODO, QUO RA EST PERPESSUS AD NOSTRAM INSTRUCTIONEM.

### Admonitio.

„Mysteria patientis Christi ita sunt contemplanda, 1. ac si cruentae tragoediae coram praesens adesses: 2. ac si Jesus pro te solo mittere ac tantum, 3. et ob tua solummodo peccata a te singillatim commissa hos cruciatus toleret; 4. eosque singulariter benevolo erga te affectu divino Patri pro te nominatim offerat <sup>1)</sup>. Ceterum fructus ex sequenti meditatione colligendus est major firmitas in tertio Humilitatis gradu heri jam conscenso, seu est confirmatio propositi, posthac servandi Deo potius contemptum quam honoratum solummodo majoris cum Christo similitudinis ergo. Cumque ea prolixior sit, poterit punctum ejus primum pridie legi.“

<sup>1)</sup> Cfr. Catechism. Rom. part. 1. cap. 5. de art. 4. quaeat. 10 et 11. — Attendat quisque habeatque sibi, quaeso, persuasissimum, omnium praesentissimum atque praestantissimum remedium et auxilium contra tentationes ceterosque animae morbos et pharmacum esse Do-

tuit iniectus. 1. Nam cui colapnus hic impactus est virgineus ille Servatoris vultus, *in quem desiderant prospicere*<sup>1)</sup>: fuit Homo-Deus, Rex regum, Sanctus sum, omniumque supremus Judex. 2. Dein qui col infregit, fuit homuncio vilissimus, satelles gregarius, liumque ingrattissimus, nempe Malchus<sup>2)</sup>, cui Christus ante in horto abscissam a Petro auriculam salutifera denuo integram restituerat. 3. Denique colapnus il Christo impactus in faciem, et quidem manu catapl in conspectu principis Sacerdotum et Seniorum popl datum responsum caelesti sapientia plenum.

Merito hic mirantur SS. Patres, quod dehiscens non subsiderit, sol obscuratus non fuerit, et caelorum eversi non corruerint ad tanti facinoris spectaculum profecto divinae lenitatis miraculum fuit, quod non arefacta sit, aut percussa lethali lepra sacrilega man

---

minicae Passionis meditationem. „Nihil, inquit S. Augustin. se ad frat. in erem., tam salutiferum nobis est, quam quotidie c quanta pro nobis pertulit Deus et Homo“; et alibi: „In omni inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi.“ „Quid tam inquit S. Bernard. serm. 62. in Cantic., ad curanda conscient

Nempe, o mi Jesu! impune contemni voluisti, ut nos despectum amare doceres.

*Secundo.* Christus fuit *illusus*. Hic tria sunt perpendenda, 1. quis, 2. a quibus, 3. quomodo illudatur. Nempe aeternus Dei Filius, gloria divini Patris, delictum caeli, *qui non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo*<sup>1)</sup>, hic illuditur non solum a vilissima plebe et mortalium impudentissimis in domo Caiphae, et dein a faece militum in atrio Pilati; verum insuper ab Herode in sua regia, quin et a scribis et sacerdotibus in Calvariae clivo, ut scilicet jure is despici crederetur, cui potestas saecularis et ecclesiastica, summi et infimi, docti et indocti sociato contemptu insultarent; et quidem illuditur modo ejus majestati, innocentiae, sanctitati, sapientiae morumque gravitati summe contrario; nempe ei oculos velando, alapas dando, fustes impingendo, crines evellendo, in faciem spuendo, milleque alias cum eo insolentias veluti cum ludicro et theatri rege exercendo. O caeli! en ille, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi*<sup>2)</sup>, is ut stultus deridetur, veste alba ut mente captus induitur, per plateas ut amens raptatur, catenis ut bestia vincitur, coeno ut lixa sordidatur, sputis ut scurra oppletur. O admirandum demissionis simul et patientiae prodigium! O quantopere illud nostram impatientem nimis superbiam confundit!

*Tertio.* Christus *Barabae* fuit *postpositus*. Hic denuo tria occurrunt expendenda, videlicet quis, cui, et in quibus circumstantiis fuerit postpositus. Nempe infinita majestas vilissimo homuncioni, bonorum omnium largitor rapacissimo latroni, auctor vitae crudeli parricidae; et quidem fuit postpositus in re gravissimi momenti; ubi agebatur de infami morte in patibulo crucis subeunda; idque unanimi et publica totius populi, totius nobilitatis, omnium legis doctorum,

---

1) Philipp. 2, 6. — 2) Coloss. 2, 3.

*Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam?*<sup>1)</sup> O m  
quid hic amplius admirer, num hominum protervae  
crudelitatem, an vero tuam patientem adeo humilita

*Quarto.* Christus innocens falsissimis fuit ca  
atrocissime *diffamatus*, nempe ut blasphemus, daemo  
haereticus seu Samaritanus: ut potator vini, eversor  
seductor plebis: ut ambitiosus, rebellis, seditiosus,  
regem diceret, vetaret dari tributa Caesari, omnem  
lum commoveret, gentem Judaicam subverteret. U  
derandae veniunt criminationum falsitas, crimi  
improbitas, testium malignitas, judicum iniquitas,  
tutum oppositarum ex Christo elucentium notissim  
evidentia. Enimvero si unquam alias, hic certe si  
apicem conscendit impudens calumniandi libido; cur  
ciora vulgari haud possint. Et haec sparguntur  
*qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus  
ejus*<sup>2)</sup>, *imo qui bene omnia fecit*<sup>3)</sup>, *et pertransi  
faciendo et sanando omnes*<sup>4)</sup>. O mi Jesu! vere es  
brium hominum, abjectio plebis, peripsema mundi et  
simus virorum, imo vermis et non homo. Ut paucis  
centum et et nota omnis contemptus, telamque te



Punctum II.

Admirare *silentium*, quo ista passus est Christus. Quis non putasset, a divina Justitia ultores angelos esse invocandos, fulmina intorquenda, *omnemque creaturam irmandam esse ad ultionem*<sup>1)</sup> tam horreni facinoris? Vel saltem quis non judicasset, Christum suam innocentiam caelesti eloquentia, detectis aemulorum technis, orbi palam demonstraturum? At pepercit, siluit, quievit *et factus est sicut homo non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum, nec habens in ore suo redargutiones*<sup>2)</sup>.

Verum, o mi Jesu! en! adsunt gravissimae loquendi, loque tuendi rationes. Nam 1. evidens est accusationum falsitas; *querebant enim falsum testimonium, et non inveniunt*<sup>3)</sup>. 2. Aperta est testium discordia: *non erat conveniens testimonium illorum*<sup>4)</sup>. 3. Perspecta judici tua innocentia est: *nihil invenio causae in hoc homine*<sup>5)</sup>. 4. Manifesta eidem Judaeorum invidia est: *sciebat, quod per invidiam tradidissent eum*<sup>6)</sup>. 5. Summa quoque illius te absolvendi pronitas est: *quaerebat Pilatus dimittere eum*<sup>7)</sup>. Nihilominus (o silentium prodigiosum!) *non respondit ei ad ullum verbum*<sup>8)</sup>.

Jam vero Christus innocentissimus accusabatur de criminibus atrocissimis, et accusabatur a principibus iisque sacerdotibus et in lege peritis, quorum erat de vero Messia iudicium ferre: et accusabatur coram iudice ethnico in legitimo (ut videbatur) foro, praesente omni plebe. Agebatur non tantum de sua, sed etiam de discipulorum totiusque novellae Ecclesiae existimatione: agebatur de doctrina ab ipso hucusque tradita, et a discipulis in posterum praedicanda: agebatur de vita summos inter cruciatus amittenda. Periclitabatur non solum honor Christi ejusque divinae

---

1) Sap. 5, 18. — 2) Psalm. 37, 14 et 15. — 3) Matth. 26, 59. — 4) Marc. 14, 59. — 5) Luc. 23, 4. — 6) Marc. 15, 10. — 7) Joann. 19, 12. — 8) Matth. 27, 14.

Matris, sed etiam, ut videri poterat, gloria aeterni Patris; et tamen siluit: *Jesus autem tacebat*<sup>1)</sup>. Et siluit, licet objectas accusationes tam facile diluere potuerit: siluit, licet accusatorum scelera, invidiam et odium in lucem protrahere tam evidenter potuerit: siluit, licet a Pilato mitem sententiam merito sperare potuerit. Denique siluit etiam in aula Herodis, licet ab eo, utpote illius videndi avido, et de ejus praesentia laeto omnia sibi fausta ominari potuerit.

Certe non videntur posse concurrere circumstantiae, in quibus secundum humanae prudentiae regulas quis arctius obligetur ad famam suam tuendam, quam istae fuerint; et tamen siluit Christus; *ille autem tacebat*. Ut nempe suae famae bonaque existimationis, quae ipsi prae omnibus creaturis in eminenti gradu summa et maxima debebatur, perfectum Deo sacrificium offerret: ut omni moda sui quoad honorem annihilatione divini Patris gloriam amplius extolleret augetetque, nosque ad sui imitationem pelliceret. O Silentium adorandum! quod plures jam animas in adversis pariter pie elingues reddidit. Pone Domine, *ab pone custodiam ori meo, ut non declinet cor meum ad excusandas excusationes*<sup>2)</sup>.

### Punctum III.

Execrare *impatientem loquacitatem*, qua nos similia patimur. Hic jam adeste, o quaeruli Adae filii, et defixo in hoc Christi exemplum obtutu linguam in adversis moderari discite. Agite, comparemus nostram innocentiam cum innocentia Christi: objectas nobis accusationes cum accusationibus Christo objectis: nostras nos excusandi et purgandi rationes cum his, quas habuit Christus; conferamus damna ex nostro silentio nobis timenda cum illis, quae silens subiit Christus; et fateamur, impatientem nostram

<sup>1)</sup> Matth. 26, 63. — <sup>2)</sup> Psalm. 140, 3.

oquacitatem nosque excusandi pruritum heroico Christi silentio ingenti rubore confundi.

2. Dein expendamus, quantas gratias quamque singulares ejusmodi silentium nobis conferre soleat durante vita; quam magnum afferre solatium in morte; quantam creare felicitatem in caelo. Num nunc poenitet S. Joannem a cruce, S. Petrum Martyrem, S. Joannem Franciscum Regis, S. Magdalenam de Pazzis aliosque plurimos ad gravissimas impactas sibi calumnias siluisse? O quam tenero affectu suo huic silentio nunc benedicunt!

3. Quid quod saepe saepius nos excusando, famamque nostram tuendo, non solum eandem non salvemus, sed potius magis denigremus; dum ob hanc ipsam impatientiam nostram ab aliis vilipendimur, et virtutis opinionem, silentii meritum, animi pacem gloriaeque augmentum prodige perdimus? Nempe justo Dei judicio *qui timet pruina, irruet super eum nix; et qui fugit arma ferrea, irruet in arcum aereum*<sup>1)</sup>.

#### Punctum IV.

Exhorresce *superbam ambitionem, qua honorari cupimus, et contemni fugimus*. O caeli! quale hoc monstrum! Jesus atrocissime in faciem caeditur, impudentissime ab hominum faece illuditur, omnium sceleratissimo postponitur, et quidem cum discrimine vitae postponitur; et nos terrae vermiculi peccatique mancipia nec vocula laedi sustinemus, ad minimum quemque contemptum in iras et lamenta erumpimus, aequalibus et sociis postponi in re nullius momenti dolemus. Ah! pudeat nos sub duce tam humili adeo superbos commilitones esse. Potius statuamus, tertio humilitatis gradui, quem heri jam conscendimus, firmo ac constanti pede insistere: optemus haberi ut peripsema mundi: gaudeamus rideri, ac vilipendi, omnibusque posthaberi presemus.

---

<sup>1)</sup> Job. cap. 6, 16.; item cap. 20, 24.

enim pro me es vilior, tanto mihi es carior. O qui admiratur, quis digno amore complectatur summam Bonitatem, qua voluisti annihilari, ut me elevares: et servi accipere, ut filium Dei me faceres: esse opprobrium hominum, ut aeternae gloriae me participem redder quousque tuus erga me te impulit amor?

Pater aeternae! mihi debetur omnis contemptus peccavi, ego ille sum, qui superbia mea divinam Majestatem lacessivi. In me ergo irruant omnes contemptus injuriae. *Quid enim mali fecit iste?*<sup>1)</sup> Verum, mihi tam indigna tu pateris, ut me mundi vanitatem de deposito mentis fastu, humilia sapere doceres.

Proin credo, *vanitatem esse, honores ambire, altum statum se extollere*<sup>2)</sup>. Credo, *in omnibus honoribus vanitatem esse et afflictionem spiritus*<sup>3)</sup>. *beatos esse, quibus maledixerint homines, et diabolus omne malum mentientes*<sup>4)</sup>; mihi que firmiter perire habeo, animam contemptam, derisam et nihili habitam in statu omnium felicissimo, quia tibi proximior ac se redditur.

quod sectari oportuit, *dicendo malum bonum, et bonum malum, ac ponendo tenebras lucem, ac lucem tenebras*<sup>1)</sup>. At posthac meliora.

In posterum contemptus erit *funiculus hereditatis meae*<sup>2)</sup>, et votorum meta: patienti silentio, imo et cum gaudio solempni perferam omnes despectus et injurias, omnes abjectiones et calumnias; sique deinceps propositi immemor denuo superbia efferrī me permiserō, contentus sum, *ut induar pudore, et operiar sicut diploide confusione*<sup>3)</sup> in poenam tam stultae appetentiae.

O Domine, *vilior fiam, plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis*<sup>4)</sup>. *Da mihi propter te amare contemni, et nesciri in hoc saeculo*<sup>5)</sup>; *quia elegi abjectus esse in domo Dei mei*<sup>6)</sup>. *Pone, Domine, ostium circumstantiae labiis meis*<sup>7)</sup>, ne impatienti loquacitate me silentii merito privem. Gratias tibi maximas rependo pro omnibus per vitae cursum immissis despectibus; quin imo etiam *laetatus sum pro diebus, quibus me humiliasti*<sup>8)</sup>. O! Quis mihi det despici et annihilari pro te, qui amore mei te *exinanivisti formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo*<sup>9)</sup>.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imit. Christi, lib. 3. cap. 41.

---

LECTIO  
DE FRUCTU EXERCITATIONUM  
HODIERNAE DIEI.

§. I.

I. In tertia Exercitiorum hebdomade, cui praesens haec dies impenditur, *stabilitur et confirmatur electio vitae*

---

<sup>1)</sup> Isa. 5, 20. — <sup>2)</sup> Psalm. 104, 11. — <sup>3)</sup> Psalm. 108, 29. —  
<sup>4)</sup> 2. Reg. 6, 22. — <sup>5)</sup> Thom. a Kemp. l. 3. c. 15. — <sup>6)</sup> Psalm.  
83, 11. — <sup>7)</sup> Psalm. 140, 3. — <sup>8)</sup> Psalm. 89, 15. — <sup>9)</sup> Ephes. 2, 7.

*melioris jam facta, et voluntas perfectius posthac serviendi Deo: proposito tanto ac tali exemplo, quale est passio Domini et Salvatoris nostri*<sup>1)</sup>). Quibus Directorii verbis declaratur 1. *fructus* per hodiernas exercitationes intentus: 2. *medium*, quod ad illum obtinendum a S. Patre adhibetur. Ille est stabilis in peracta heri bona electione constantia: istud consistit in tenera Christi aerumnarum memoria; ambo sunt insigne S. P. Ignatii prudentiae argumentum; cum nec scopus utilior potuerit praefigi, nec adjuvamentum aptius illi consequendo ab eodem eligi.

Quod scopus utilior haud potuerit praefigi, patet tum ex arduitate rei *electae*, tum ex instabili genio *eligentis*, quae simul sumpta proximum pariunt periculum, factam heri electionem inconstanti levitate denuo rescindendi, conceptamque correctioris vitae ideam rursus obliterandi; adeoque omnem speratum per exercitia fructum pessumdandi, omnemque impensum hactenus laborem suo fine frustrandi.

Cum enim ex una parte tertius Humilitatis gradus res valde ardua sit, et constantia in exequendis sanctionibus propositis martium requirat robur; ex altera vero parte cum mutabilis nostra indoles semper ad ima feratur, et laboris assiduitate absterrita a coeptis desistere lassa consueverit; hinc tenella adhuc in bono mens magno in discrimine versatur, ne missas ad aratrum manus denuo retrahat, ac retro respiciens, arreptam sanctitatis semitam transfuga deserat.

Ingens quippe, S. Xaverio teste, intervallum intercedit inter affectum et effectum, inter desideria et opera, inter boni intentionem et rei propositae executionem. Aliud longe ex ejus mente est flexis ad oratorium genibus inter caelestes Favonios et gratiarum Zephyros sola imaginatione in Indias navigare; aliud conscensa navi inter maris pro-

<sup>1)</sup> Direct. c. 35. n. 1.

t annexas navigationi miserias illuc reipsa proficisci. est inter affluentes e caelo delicias ad omnes con- et opprobria, ad omnes aerumnas et labores, ad inopiam sortisque aleam in meditatione Deo se um offerre; aliud haec omnia actu perferre, reipsa i, ipso facto tolerare. Ingens denique discrimen inter eos, qui rebus omnibus instructi, aut in et extra omne periculum positi, Deo confidunt, et os, qui rebus etiam necessariis spoliati, et capitis ni expositi, Dei praesidio nituntur<sup>1)</sup>.

um se id expertum esse alibi fatetur magnus Indo- ostolus, Romam Societati in hunc sensum scribens: *m omnem in Deo spem locatam habeo, cupioque, n in me erit, Christo Domino obtemperare, ad- i: qui voluerit animam suam salvam facere, per- n. Quae quidem sententia cogitanti facilis est, anti non item. Ubi enim tempus incidit, cum vita da est, ut eam in Deo invenias, cum mortis um intenditur, sic ut facile prospicias, si Deo , vitam esse amittendam; tum vero nescio, quo it, ut, quod antea praeceptum dilucidum videba- credibili involvatur obscuritate. Nam ne doctis- xidem viri tam praeclarae sententiae vim conse- r; sed ii duntaxat, quos singulari beneficio Deus terior Magister instituit. Atque in ejusmodi rebus apparet, quantum tandem nostra imbecillitas sit: fragilis et infirma humanae naturae conditio sit<sup>2)</sup>, propositi executionem venit, et manus cum hoste nda est. Tunc enim rei exequendae difficultates, rius solum obscure, cumulatim, et quasi per opticam uria luce et variis involutae umbris depingebantur; um executio operis instat et urget, per interposita ce proprio microscopia horrendum intenduntur, augen-*

urselinus lib. 3. epist. 4. — 2) Turselinus lib. 2. epist. 3.

tur et amplificantur; ita quidem, ut immanes cameli *monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo* nobis esse videantur, quae tamen non nisi muscae sunt tenues locustae.

Hujus rei triste monumentum ipsi nobis Apostoli exstiterunt; licet enim affirmarint cum Petro: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: et licet *similiter omnes discipuli dixerint*<sup>1)</sup>; tamen paulo post Petrus Christum negavit, reliqui vero relicto eo omnes fugerunt. Nempe in coenaculo carcerem, catenas, mortem solum optare contemplantur; at vero ubi in horto ad rem ventum est ipsae etiam Ecclesiae columnae instabiles nutabant. Tantum videlicet humanae indolis mutabilitas est.

Pari levitate non raro etiam illi, qui in exercitiis solum limes perfectionis aedificium moliri videbantur, paulo post labili arenae leves inaedificasse deprehenduntur; ita quidem ut *obscuratum esse aurum, mutatum colorem optimum ac dispersos esse sanctuarii lapides* ipsimet lamenta cogantur<sup>2)</sup>; atque post aliquot menses conceptorum in sacra solitudine propositorum vix ulla amplius memoria existat praeterquam in rejectis quibusdam chartulis, quibus ea obiter inscripta fuerunt, tanquam in posthumis nostrae inconstantiae monumentis. Adeo insolens nempe nostra in bono instabilitas est.

Huic igitur tam noxio ac tristi malo, utpote quod intento per sacrum hunc secessum fini adeo maligne adversatur, quodque instar illius *vermis, qui percussit Jonathederam, et exaruit*<sup>3)</sup>, optimam correctioris vitae spei in suo mox semine enecat, adurit et pessumdat; huic, inquam, malo ut dexter occurrat Ignatius, per hodiernae exercitationes nos in sanctis, quae heri electionis temporis concepimus, animi decretis, praecipue in tertio Humilitat

---

<sup>1)</sup> Num. 13, 34. — <sup>2)</sup> Matth. 26, 35. — <sup>3)</sup> Thren. 4, 1.  
<sup>4)</sup> Jon. 4, 7.



gradu tanquam in primario exercitiorum fructu atque omnium functionum centro confirmare, ac stabilire contendit; quo utiliore scopum, ut ex dictis patet, praefigere is haud potuisset. Et quidem id efficere Ignatius satagit proposito Christi patientis exemplo, quo efficacius solidandae virtuti, firmandaeque in bene coeptis constantiae incitamentum excogitari nequit.

II. Nam *avaritia, sensualitas et superbia* sunt ille *leo in via, et leaena in itineribus*<sup>1)</sup>, quibus potissimum absterremur a prosequenda perfectionis semita; seu (quod idem est) vitiosa opum, commodorum honorisque appetentia est ille *draco magnus et rufus*<sup>2)</sup>, qui stygia ingluvie insidiatur bonis, quae anima electionis tempore conceperat, propositis, ne executioni mandentur. Triplici autem huic constantiae hosti penitus profligando, aptiora instrumenta haud facile reperientur, quam Christi patientis arma seu assidua ejus *egestatis, dolorum ac contemptuum* meditatio, ut ex dicendis constabit. Et hinc S. Pater Ignatius sicut priori hebdomade ad meliora decernenda, atque ad conscendendum tertium Humilitatis gradum nos induxit constituto ante oculos exemplo vitae Christi privatae; ita nunc quoque tertia hac hebdomade ad perseverantiam atque ad exequenda pie hactenus decreta nos animat, proposita Christi patientis historia, utpote in qua *omnes ejus virtutes*, praecipue paupertas, demissio et patientia, *multo insignius et excellentius elucent, multoque efficacius nos ad illius imitationem, invictamque in bono constantiam invitant*<sup>3)</sup>.

Hic enim caelestis Dux noster reipsa nunc praestat, quod in meditatione de regno Christi facturum se promiserat; nempe se semper primum in acie futurum, se in perferendis laboribus, vigiliis, contemptu, pauperie et aerumnis semper antesignanum fore. Item bellum, quod in

---

<sup>1)</sup> Prov. 26, 13. — <sup>2)</sup> Apoc. 12, 3. — <sup>3)</sup> Direct. c. 36. n. 1.

meditatione de duobus vexillis carni, mundo et daemone indixerat, nunc in tertia hac hebdomade summa vi infert, manus cum hoste reipsa conserit, atque rebellis appetitus, sensuum et amoris proprii dominatum in nobis victricibus armis actu expugnat. Praeterea se nobis praebet absolutissimum tertiae hominum classis exemplum, cum paupertatem et opprobria, dolores et aerumnas non tantum desideret, sed reipsa etiam amplectatur, eosque perpetuos comites, ut fit in tertio Humilitatis gradu, sibi stabili foedere societ. Quae omnia eo ordinantur, ut proposito tam potenti Dei-Hominis exemplo in nobis confirmetur spiritus tertii Humilitatis gradus, vi cujus ob majorem Christi imitationem desideremus cum eodem abjecto, paupere et afflicto pariter contempti, pauperes et afflicti constanter vivere, ne sub capite spinoso membra audiamus delicata.

Quantae autem efficaciae tenera aerumnarum a Servatore exantlatarum memoria sit ad praedictum finem consequendum, quamque praesens insuper ea remedium existat contra inconstantiae vertiginem, inde patet, quod mira vi polleat tum difficultates nos absterrentes mitigandi, tum necessarios nobis ad eas animos suppeditandi. Quos enim a bono absterret arduitas laboris in colenda virtute subeundi, hi Dei-Hominis tolerantias meditando *sugent mel de petra oleumque de saxo durissimo*<sup>1)</sup>, quo viae sanctioris asperitas plurimum lenietur. Iis vulnera Christi erunt *caverna maceriae et foramina petrae*<sup>2)</sup>, ubi eorum profunditatem et latitudinem metiendo ad firmitatem in virtute potenter excitabuntur.

Et profecto vecordis ille animi sit oportet, qui consideratis, quas Christus in honore et fama passus est injuriis, tamen adhuc honorari ambit, despici horret, et illi idolo: *Quid dicent homines?* timidum genu flectit, eique more Israelitarum, qui Ammonitarum deo Moloch suos filios

---

<sup>1)</sup> Deut. 32, 13. — <sup>2)</sup> Cant. 2, 14.

jugularunt, concepta hucusque pientioris vitae proposita victimas immolat: qui perpensis, quae amantissimus Salvator in corpore pertulit, doloribus et aerumnis, cuticulam fovet, sensibus blanditur, aegre carni facere timet, et ob cultus asperioris molestias ab altiori perfectionis gradu absterri se sinit.

Certe sola haec comparatio, cum fidei, rationi et aequitati recta opponatur, pio nos rubore suffundet, illasque res, quas mundi genius amat et appetit, amplius odisse docebit, contra vero ardentius amare et prensare ea, quae ille aversatur et fugit. Quae animi dispositio plurimum conducet, ut electo heri tertio Humilitatis gradui stabili sede insistamus, ac delineatam correctioris vitae ideam in praxin nunquam labefactanda firmitate reducamus. Itaque (ut concludit Directorium) *magnus hic*, nempe in tenera Christi patientis memoria ejusque aerumnarum crebra consideratione, *thesaurus reconditus lutet. Unde videmus Sanctos omnes in hac potissimum parte se exercuisse, ut apparet ex libris, quos scriptos reliquerunt*<sup>1)</sup>; cum nihil tum ad imitandum Christum tum ad perseverandum in bono nos fortius animet roboretque.

III. Ex his patet, S. P. N. nec *scopum* utiliorem potuisse huic tertiae hebdomadi praefigere, quam hanc ipsam in electo heri altioris sanctimoniae gradu constantiam, nec *medium* id obtinendi efficacius eligere, quam Christi patientis memoriam. Hunc ob finem in prima hodiernae diei meditatione proponuntur *injuriae* a Christo in fama perpressae, ut nempe ad omnes superbiae assultus immoti persistamus, et nullo minuendi honoris periculo nos ab arrepto meliori tramite retroagi sinamus. Secunda autem contemplatio considerandas exhibet *aerumnas* a Christo in sacrificio suo corpore nostra causa exantlatas, ne scilicet amor cuticulae, sensuum illecebrae, et cura valetudinis, qui alter

---

<sup>1)</sup> *Direct. c. 35. n. 1.*

constantiae scopulus est, pie decreta denuo pessumdent, nosque in transversum agant.

His omnibus ingens pondus addet tum consideratio pomeridiana, quae felicitatem animae *contemptae* et *afflictae* ob oculos ponet: tum meditatio ultima, quae in Christo crucifixo trium ejusdem comitum, paupertatis nempe, demissionis, et abnegationis triumphum proponet, ac tertium Humilitatis gradum in throno crucis regnantem exhibebit; ubi victrix Servatoris constantia salutiferae trabi tribus clavis affixa instabilem mortalium mutabilitatem summo rubore suffundit. Unde elucet incomparabilis nexus, quem pariter hodiernae exercitationes tum inter se, tum cum praecedentibus, tum cum intento per exercitia scopo ac fine habent.

## §. II.

I. Ut autem per has meditationes optatus colligatur fructus, in singulis hisce mysteriis attendendum erit ad sequentia sex puncta, nempe ad *personam*, quae patitur, ad *cruciatus*, quos patitur, ad eos, *a quibus* et *pro quibus* patitur, denique ad *causam*, ob quam, et ad *modum*, quo amantissimus Salvator noster tam dura et acerba patitur.

1. In *persona* Christi Domini, qui tot aerumnas sustinuit, consideranda est iuprimis summa ejusdem *dignitas*; est enim *splendor gloriae Dei*, et *figura substantiae ejus* <sup>1)</sup>, *aequalis Deo* <sup>2)</sup>, *princeps regum* <sup>3)</sup>, *Dominus angelorum* <sup>4)</sup>, *cui data est omnis potestas in caelo et in terra* <sup>5)</sup>. Dein expendenda est *innocentia* illius ac *sanctitas* infinita, qua utpote Sanctus sanctorum non solum nunquam peccavit, sed nec peccare ob unionem hypostaticam potuit: *qui bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et*

---

<sup>1)</sup> Hebr. 1, 3. — <sup>2)</sup> Philipp. 2, 6. — <sup>3)</sup> Apoc. 1, 5. — <sup>4)</sup> 1. Petr. 3, 22. — <sup>5)</sup> Matth. 28, 18.

antos loqui<sup>1)</sup>; et quem mundus non nisi mira facientem vidit, ac mala patientem, donec suspenderetur in ligno<sup>2)</sup>. Denique attendendi sunt tituli, ob quos ille ad nos intime pertinet. Est enim pater noster et redemptor, pastor et rex, frater et sponsus, dominus et magister. Uno verbo: est os ex ossibus nostris, et caro ex carne nostra<sup>3)</sup>.

Enimvero cui ad ista cor pio sensu non colliquescit, is Solymorum petris durior est, quae scissae sunt ac comminatae, quando passa est petra haec viva, Christus: *petra autem erat Christus*<sup>4)</sup>. Quippe quo dignior et sanctior est persona, quae patitur, quoque proximius illa nos attingit, eo intensior esse solet commiserationis affectus. Quem ergo ista ad compatiendum non permovent, is humana sub forma tigridem alit.

2. In *cruciatibus*, quos pertulit Jesus, considerata sunt eorum *multitudo* et *atrocitas*. Nam passus est in *omnibus* animae facultatibus, in omnibus corporis sensibus, in omnibus membrorum articulis, ossibus, nervulis; et in *omni* passus est *omnes*, quorum tunc capax erat, dolores, atque *acutissimos* summeque intensos tum ob instrumentorum dicitatem, tum ob tortorum ferocitatem, tum ob *humani* teneritudinem.

Praeterea passus est *in omni genere boni*, nempe in *omnibus* *facultatibus*, cum non solum vivus non habuerit, sed nec moriens, quo nuditatem terneret: *in honore*, cum fuerit saturatus opprobriis: *in infamia*, cum fuerit diffamatus ut Samaritanus et seductor,

blasphemus et magus: *in corpore*, cum non fuerit nisi *humilis*, livor et plaga tumens: *in sanitate*, cum a planta pedis usque ad verticem capitis non fuerit in eo sanitas: *in vita*, cum suspensus in ligno clamans voce magna emiserit spiritum: denique *in anima* per agoniam in horto,

<sup>1)</sup> Marc. 7, 37. — <sup>2)</sup> August. in Psalm. 49. — <sup>3)</sup> Gen. 2, 23.  
<sup>4)</sup> 1. Cor. 10, 4.

3. Ad *persecutores* quod attinet, a quibus U patitur, horum praecipue expendenda est tum *capi crudelitas*. Nam inprimis omnis conditionis et stat mines conjurata rabie contra eum insurgunt; quippe Herodes eidem illudit, *judex* Pilatus eum condemnat, et Caiphas summi *sacerdotes* reprobant, *Scribae et risaei* accusant, *cives* Barabhae postponunt, *militi* prendunt et subsannant, *carnifices* flagellant, *spironant*, atque in crucem agunt, *plebs* incondito e ad mortem exposcit, unus *discipulorum* prodit, alter omnes deserunt. Ubi notandum, plurimos ex his n lum generalibus beneficiis, sed etiam singularibus gr Servatore fuisse affectos. His accessit potestas tenel avernalium seu daemonum, qui omni quo eis licuit in eundem saevierunt. Ipse Pater divinus in horto o non exaudivit, in cruce morientem dereliquit.

Quid quod Christi persecutores non tantum *multi*, sed etiam *crudeles*. Nam naturalis eorum stygio rancore, odio et invidia potenter accendebatur emersis ex orco furiis horrendum exstimulabatur, fe

*impietas*; sunt enim rebelles, qui legis divinae jugum prae-  
terve excutiunt: sunt ingrati, qui redemptionis tam copiosae  
beneficium potissimam partem frustrantur: sunt impii, qui  
*filium Dei sibimetipsis denuo crucifigentes*, eundem per  
merita peccata ostentui habent<sup>1)</sup>. Et tamen horum amore  
multa et dira sustinet Christus, non pro perditis orci  
enjis, sed pro vilibus homunculis sustinet, quos hoc ipso  
in insigni favore in sui perniciem abusuros praevidit, et  
videm eo ipso tempore sustinet, quo eorum immanitas  
idem funes, verbera, carceres, flagella, spinas, clavos et  
rucem parat: quo eorundem furor, *crucifige, crucifige*, ex-  
lamat: quo eorum rabies divinum cruorem sitiens, crude-  
ter vociferatur: *Sanguis ejus super nos*<sup>2)</sup>. Certe hic  
omnia rerum adjuncta confluisse videntur, quae Redemptio-  
is magnanimitatem, redemptionis excelsitatem et redempti-  
onem malignitatem poterant exaggerare.

5. *Causa* seu finis, ob quem talia tantaque pro nobis  
ertulit Christus, post gloriam Patris erat nostrum bonum,  
empe ut divinae justitiae pro peccatis nostris satisfaceret,  
ijecta nobis a daemone vincula confringeret, in libertatem  
liorum Dei nos assereret, genus humanum innumeris vul-  
eribus saucium suo sanguine sanaret, mediis ad salutem  
ecessariis instrueret, ad caelum duceret; gratis ditaret,  
xemplis instrueret, nosque divino Patri conciliatos, remo-  
s, quae obstare poterant impedimentis, gloriae aeternae  
articipes redderet. Id autem ut efficeret, media elegit  
orsus stupenda; ut enim nos super astra extolleret, se  
isum exinanivit: ut nos caelestibus donis cumularet, se  
isum terrenis omnibus spoliavit: ut nos avernalibus tor-  
ientis liberaret, se ipsum cruciatibus subjecit. O Pelica-  
um vere divinum! qui se ipsum vulnerat, ut nos sanet:  
e sanguine privat, ut eo nos alat: se morti obicit, nobis

---

<sup>1)</sup> Hebr. 6, 6. — <sup>2)</sup> Matth. 27, 25.

ut vitam tribuat; cui princeps patiendi causa hominum salus et commodum est.

6. Denique modus, quo haec cruciamenta pertulit Christus, eminens prorsus fuit et perfectus. Nam passus est *libenter*, oblatus est, quia ipse voluit <sup>1)</sup>; *desideranter*, baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur <sup>2)</sup>; *silenter*, ille autem tacebat <sup>3)</sup>; *patienter*, nam corpus suum dedit percutientibus, genas vellentibus, faciem increpantibus et conspuentibus <sup>4)</sup>.

Praeterea omnes praecipuas hac occasione virtutes et quidem in gradu heroico exercuit, nempe *paupertatem* spiritus, cum nudus in cruce fuerit mortuus: *humilitatem*, cum amplexus sit omne genus opprobriorum: *mansuetudinem*, quia sicut agnus coram tondente se obmutescens nec querebatur, nec resistebat, nec indignabatur: *fortitudinem*, cum velut adamas permiserit peccatores supra dorsum suum fabricare <sup>5)</sup>: *obedientiam*, cum sit factus obediens usque ad mortem <sup>6)</sup>: *charitatem*, quia majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis <sup>7)</sup>: denique *amorem inimicorum*, dum morituriens pro ipsis oravit, dicens: *Pater, dimitte illis* <sup>8)</sup>.

Ut nil dicam de summa ejus *miseriordia*, quam exercuit in coena praebens corpus suum in cibum, et sanguinem in potum: item in horto restituendo auriculam Malcho: dein in cruce, promittendo Dismae paradisum; nil de ejus *constantia*, qua in cruce perseveravit, usque dum emisit spiritum; licet Judaei clamarent: descendat nunc de cruce, et credimus ei <sup>9)</sup>: nil de ejus ingenti *desiderio* plura patiendi, quod abunde manifestavit illa voce: *sitio* <sup>10)</sup>.

O dulcissime Jesu! quis poterit *comprehendere*, *quae sit latitudo et longitudo, sublimitas et profundum* <sup>11)</sup> illa-

<sup>1)</sup> Isa. 53, 7. — <sup>2)</sup> Luc. 12, 50. — <sup>3)</sup> Marc. 14, 61. — <sup>4)</sup> Isa. 50, 6. — <sup>5)</sup> Psalm. 128, 3. — <sup>6)</sup> Philipp. 2, 8. — <sup>7)</sup> Joann. 15, 13. — <sup>8)</sup> Luc. 23, 34. — <sup>9)</sup> Matth. 27, 42. — <sup>10)</sup> Joann. 19, 28. — <sup>11)</sup> Ephes. 3, 18.



virtutum a te passionis tempore exercitarum. Vere *fusio operit faciem meam*<sup>1)</sup>, cum meum patiendi motum tuo confero. O divine Magister, doce etiam me *re secundum exemplar, quod mihi a te, praesertim monte Calvariae monstratum est*<sup>2)</sup>.

Ex his denuo ad oculum patet ratio, ob quam S. Pagnatius hanc quoque hebdomadem viae illuminativae numeret; cum Christus in hac omnium maxime suis virum radiis nos illuminet, suisque heroicis ac illustribus exemplis ad proficiendum in spiritu animet. Praeterea dolor et mors ejus sunt fons gratiarum ad acquirendam perfectionem necessariorum, simulque incitamentum potentissimum ad eam altiori in gradu obtinendam. Hinc merito ista haec hebdomas ad statum proficientium viamque illuminativam refertur.

II. Ex his sex punctis, nempe *quis, quid, a quibus, pro quibus, quare, et quomodo* patitur, ex his, inquam, sex punctis in hodiernis meditationibus rite ponderis suapte natura tanquam rivuli suo ex fonte emanabunt mentes affectus videlicet: 1. *compassionis* erga Christum propterea adeo tormenta tanta cum charitate nostra causa tollentem: 2. *odii atque horroris peccati*, utpote quod nisi divino sanguine elui condigne potuit, et a caelestis patris in ipso etiam Filio tam acerbè castigatum fuit: 3. *admirationis* bonitatis ac sapientiae Dei, quae medium ad nos inveniit, Justitiam et Misericordiam tam mirum modum conciliandi, quo et illi plene satisfaceret, et simul haec in conspectu peccatorum perfecte triumpharet, hominumque corda ad se sui inflammaret atque ad se alliceret. Quid enim *is commendat charitatem Dei erga nos, quam quod, adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus sit*<sup>3)</sup>. 4. *Spei* salutis consequendae; *si enim, cum peccati inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filii*

) Psalm. 68, 8. — 2) Exod. 25, 40. — 3) Rom. 5, 8.

*ejus; multo magis nunc reconciliati, salvi erimus*<sup>1)</sup>. Nam sanguis Christi est nobis arrha tum divinae erga nos charitatis tum aeternae beatitudinis; qui enim dedit, quod est plus, nempe Filium, dabit etiam, quod est minus, videlicet caelum. 5. *Amoris Dei sic diligentis mundum, ut Filium suum unigenitum daret*<sup>2)</sup>; et quidem in mortem tam cruentam daret, et pro rebellibus mancipiis daret, haec ipso tam insigni beneficio ingrattissime abusuris. 6. *Zeli animarum, utpote quas Deus tanti aestimavit, tanto cum affectu amavit, et tam magno pretio emit*<sup>3)</sup>.

Circa hos tamen affectus duo sunt notanda; 1. necessarium haud esse, ut hodie in qualibet meditatione *omnes* eliciantur, sed poterunt modo hi, modo illi alternis vicibus pro re nata assumi. 2. Non *solis* his affectibus nec *dis* immorandum esse. *Debent enim, ut notat Directorium, simul etiam curari alii affectus, qui sunt utiliores ad profectum nostrum spirituale*<sup>4)</sup>. Quales sunt illi, qui tendunt ad solidam vitae correctionem per constantem Christi imitationem in tertio Humilitatis gradu. Huc enim toto conatu tendendum, huc voluntas toto nisu impellenda, et per congruos affectus omni vi inflectenda est. Per has enim affectiones securis ad radicem ponitur, per has stygio serpenti caput conteritur, amor vitiosus expellitur, spiritus mundi fugatur; contra vero spiritus Christi cordibus inseritur, et intentus per exercitia fructus obtinetur.

Et hinc sex relatis supra affectibus, compassionis, om̄i, admirationis etc. etc. amor proprius non adeo aversatur; quia etiam opum, honorum ac voluptatum cupidae menti adeo difficile haud accidit Christo compati, de peccatis dolere, Dei bonitatem admirari, spem salutis concipere, benignum adeo Numen amare, aliorumque salutem zelare; at vero longe aliter res se habet cum illis affectionibus, quae

<sup>1)</sup> Rom. 5, 10. — <sup>2)</sup> Joan. 3, 16. — <sup>3)</sup> Direct. c. 35. n. 10. — <sup>4)</sup> Cap. 35. n. 4.

nos ad Christum in contemptu, paupertate et aerumnis imitandum animant, atque ad tertium Humilitatis gradum sublevant. Cum enim ejusmodi affectus illi cuniculi et arietes sint, quae abditissima et fortissima amoris proprii, superbiae ac sensualitatis claustra perrumpunt, subruunt atque evertunt; hinc corrupta natura ab his praeprimis abhorret, ab his sibi prae aliis timet, earumque vim subdola eludit, et omni astu evitat.

Verum ob hoc ipsum contra audentius obnitendum et in hodiernis meditationibus triplici illi affectui, nempe sui ipsius abjectioni et odio rerumque terrenarum practico contemptui totis viribus ac potiori tempore erit immorandum. Ne vero pluribus intentus minor sit ad singula sensus, juverit in contemplatione prima praecipue actibus humilitatis, in secunda ut plurimum actibus mortificationis suique odio sese impendere, in tertia vero eorundem repetitioni potissimum tempus consecrare.

III. Ut autem etiam exercitium intellectus optatum referat fructum, sequentes industriae erunt observandae: I. Oportet nobis Christi tolerantias ita vivaciter proponere, quasi praesentes illi mysterio adstaremus, omniaque coram agi cerneremus, quasi flagellorum ictus, Judaeorum clamores, Servatoris aliorumque dicta et voces audiremus, verberum plagas, coronae punctiones, clavorum immissionem sentiremus, potum felle et aceto mixtum gustaremus, rigorem et asperitatem funium et catenarum tangeremus, quasi denique sputorum et carcerum foetorem odoraremus, squalorem videremus, molestias toleraremus. In summa, efficiendo, ut etiam nos *sentiamus in nobis, quod sensit Christus Jesus* <sup>1)</sup>; et optando, ut nostram quoque *animam pertranseat gladius compassionis et doloris* <sup>2)</sup>; *si enim compatimur, et conglorificabimur* <sup>3)</sup>. *Certa enim atque*

---

<sup>1)</sup> *Philipp. 2, 5.* — <sup>2)</sup> *Luc. 2, 35.* — <sup>3)</sup> *Rom. 8, 17.*

*secura est exspectatio promissae beatitudinis, ubi est participatio dominicae passionis*<sup>1)</sup>.

2. Debemus semper ob oculos nobis ponere benevolum illum Christi patientis erga nos affectum, quo ille summis in cruciatibus quemlibet nostrum singillatim in animo sibi praesentem habuit, quo pro quolibet nostrum speciatim suos dolores divino Patri obtulit, cum animi comparatione eos pro nobis etiam solis perferendi, si nostra id salus postulasset. Considerandae sunt ergo aerumnae Redemptoris ita, ac si eas pro quolibet nostrum peculiariter, unice et tantum tolerasset, exemplo Apostoli dicentis: *Tradidit semetipsum pro me*<sup>2)</sup>; nota: *pro me*, non pro nobis, sed *pro me*; non aliter ac si solus Paulus divinae Passionis objectum fuisset. Praeclare more suo id ipsum S. Chrysostomus monet<sup>3)</sup>. *Hic est, inquit, affectus et sensus servi fidelis, ut beneficia Domini sui, quae communiter data sunt, quasi sibi soli praestita reputet, et quasi ipse sit omnium debitor, et pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit Apostolus, qui mortem Domini, quae universo impensa est mundo, sibi soli praestitam dicit; quasi enim de se solo loquens ita scribit: Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

3. Praeterea identidem cogitandum erit, Christum haec passum esse propter nostra peccata, non solum Adami, sed nostra, a quolibet nostrum singillatim commissa, secundum illud Isaiae 53, 5. *Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra;* dicendo v. g. en! o infelix! hoc N. et istud N. nominatim patratum a te flagitium ei sudorem sanguineum expressit, flagellis discerpsit, spinis coronavit, in crucem egit, aliosque cruciatus infixit. Ejusmodi enim animadversiones sciendis affectibus aptissimae sunt, praesertim doloris. Quando

<sup>1)</sup> S. Leo 1. serm. 6. Quadrag. — <sup>2)</sup> Gal. 2, 20. — <sup>3)</sup> Lib. 2. *compunct. cordis.*

nim filii Adae pio intuitu *aspicient, quem ipsi suis sceleribus confixerunt, plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt, sicut doleri solet in morte primogeniti* <sup>1)</sup>).

4. Praeterea tertius Humilitatis gradus prae oculis semper est habendus, et hodiernae meditationes applicandae erunt iis determinate punctis, per quae et in quibus Christum in tertio hoc gradu imitari electionis tempore decrevimus.

### §. III.

I. Universim denique pro meliori hujus hebdomadis successu sequentes *additiones* erunt in praxin deducendae: 1. Sancta quaedam mentis Christo compatiens tristitia erit fovenda, arcendo omnes laetas quantumvis pias cogitationes. Cum enim ipsi quoque Servatori passionis suae memoria in horto moerorem crearit, par est, nos quoque ejusdem cruciatus meditando cum ipso tristari, et tenerum compassionis affectum animo nutrire, proficiscentem tum ex amore erga Christum, tum ex dolore de peccatis tanquam causa ejusdem mortis; ne scilicet is etiam nobis exprobrare possit illud regii Vatis: *Sustinui, et aspexi, qui simul contristaretur, et non fuit* <sup>2)</sup>). Hunc in finem vela seu cortinae fenestris erunt obducendae, cum cubiculi obscuritas ad id multum conducat. Quin imo nullae aliae per diem etiam temporibus succisivis cogitationes erunt admittendae praeterquam de illo mysterio, de quo illo medio die vel iam meditati fuimus, vel adhuc meditaturi sumus. Et hinc orabit in promptu habere aliquas sententias sacrae Scripturae, aliasve ad *Domini* passionem et *Matrem dolorosam* pertinentes, quas interdum mente recolas <sup>3)</sup>. V. g. Illud: *Crucifixi fige plagas cordi meo valide; . . .* vel: *Fac me tecum pie flere, crucifixo condolere, donec ego*

<sup>1)</sup> Zach. 12, 10. — <sup>2)</sup> Psalm. 68, 21. — <sup>3)</sup> Direct. c. 35, 11.

vixero; ... vel: *Passionis fac consortem et plagas recolorere*<sup>1)</sup>).

2. Opera poenitentiae erunt augenda atque intendenda. Aequum enim est, ut dolores Christi contemplando etiam nos *mortificationem Jesu in corpore nostro circumferamus*<sup>2)</sup>; utque secundum Petri sententiam *Christo pariter in carne etiam nos eadem cogitatione armemur*<sup>3)</sup>; Justitiae scilicet divinae per nos irritatae satisfaciendi.

II. Hanc ob causam ad finem hujus hebdomadis in libro exercitiorum traduntur regulae ad victum temperandum, tum quia temperantia in cibo et potu praecipuum est poenitentiae externae objectum, tum quia veri Christi imitatores esse non possumus, nisi ejus exemplo (a quadraginta enim dierum jejunio praedicationem auspicatus est) etiam nos capitale hoc vitium debellemus<sup>4)</sup>. Nam ut constat ex contemplatione de regno Christi, nemo potest Salvatorem rite sequi, nisi superata non tantum carnis, sed etiam sensuum rebellione; hos inter cum gustus seu gula postro mus haud sit, patet, sine hujus coërcitione neminem genuinum Christi imitorem fore. Porro ad id plurimum conducunt sequentes regulae a S. P. Ignatio propositae, quarum breve hic compendium subnecto.

1. A pane minus abstinendum quam a reliquis alimentis. 2. Circa potum magis attendenda est abstinencia quam circa panem. 3. Circa pulmenta et edulia potissimum abstinenciae ratio versetur. Et hinc cibis ordinariis vescendum, delicatis vero parca utendum. 4. Cavendum, ne super-

<sup>1)</sup> Eccles. in festo Matris dolorosae. — <sup>2)</sup> 2. Cor. 4, 10. —

<sup>3)</sup> 1. Petr. 4, 1. — <sup>4)</sup> Egregie S. Athanas. lib. de Virginib.: „Videmus inquit, quid faciat jejunium? Morbos sanat, distillationes corporis arsiccat, daemones fugat, pravas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat, denique ad thronum Domini hominem sistit. Et ne putet haec temere dici: habes hujus rei testimonium in Evangeliiis a Salvatore prolatum. Cum enim quaesivissent discipuli, quonam modo immundi spiritus ejicerentur, respondit Dominus: *Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et jejunio.*“

ndos cibos animus quodammodo totus effundatur, et *vide* vescamur aut *festine*; sed appetitui semper donates, tum mensuram victus, tum sumendi modum una eremus.

*Media* ad tollendam cibi potusque immodicum usum haec: I. ut ante prandium vel coenam et quacunque hora, ubi nulla esuries sentitur, victum proximum definiamus ad mensuram certam, quam deinde vel propria aviditate vel instigatione inimici unquam damus; sed potius vincendi utriusque causa de illa nihil etiam subducamus.

2. Expediit inter comedendum sibi fingere, quasi videamus Jesum Christum cum suis discipulis vescentem, observo, quem teneat edendi et bibendi modum. Possunt et varietatis gratia aliae adhiberi meditationes interendum, quarum praecipua est attentio ad sacram, si qua actionem, ut sic abstracta mente cibus ipse et vescenditatio parum sentiatur. Ceterum quanto plus de contente victu sibi quis ademerit (vitatio interim valetudinis rursae gravi periculo), tanto celerius mensuram cibi et justam reperiet.

3. Legenda insuper hodie sunt monita ipso exercitiorum ore observanda, quae habentur introductionis parabo IV. Vel si tempus non suppeteret, saltem percur-ejusdem §. IV. Numerus IV., ubi breve compendium additionum exhibetur, quae hodie pariter observandae

Ceterum sicut fructus praecedentis meditationis erat, cum Christo *spreto contemptum* pariter quam honorem vivere; ita quoque fructus ex sequenti exercitatione gerendus est firmum animi decretum cum Christo *afflictis aerumnosam*, quam miseriis ac doloribus vacuum id vitam, et quidem etiamsi par utrinque meritum ne gloria foret, solum ob majorem cum Christo siminem. Ex quo patet, universum hodiernae diei labora praecipue eo tendere, ut Christi patientis exemplo

animati, in electo heri tertio Humilitatis gradu amplius stabiliamur et confirmemur.

III. Porro S. Pater noster in tertia hac hebdomada nullam amplius indifferentiae hactenus inculcatae mentionem facit; cum enim haec solum necessaria fuerit ad electionem rite peragendam, hac peracta, nulla jam ejus denuo incandae necessitas est; proin solum in electa correctionis vitae idea, per tertium Humilitatis gradum executioni mandanda, solidamur. Quia vero ad perseverandum in dicto gradu necessaria est magna aestimatio, amor et desiderium trium illorum Christi comitum, nempe paupertatis, castitatis et aerumnarum, hinc etiam in tertia hac hebdomada ad ea magis aestimanda, amanda et desideranda per exemplum Christi patientis potenter incitatur, cujus imitatio etiam in his magis arduis rebus princeps hujus hebdomadae fructus est.

Postquam enim in meditatione de regno Christi generatim decrevimus, eundem imitari, quo Caelum voluerimus modo; et postquam in meditatione de duobus vexillis stetitimus, eum sequi per vias etiam difficiliore, id est, in sublimiori perfectionis gradu, siquidem ad talem nos vocare Superis placuerit; denique postquam electionis tempore cognovimus, Caelum velle nos Deo servire imitando Christum in tertio Humilitatis gradu; rerum nexus postulat, ut in facta electione per nova incitamenta confirmemur. Ex his cum omnium efficacissima Christi patientis historia supeditet, ejus mysteria S. P. Ignatius divino consilio hodie meditanda proponit, ut eorum contemplatione tres Christi comites magis aestimare, amplius amare et ardentius desiderare discamus. Quam apta autem huic fini consequendo haec media sint, ipsa res abunde loquitur.

---



MEDITATIO II.

**E IIS, QUAE CHRISTUS PASSUS EST  
IN CORPORE, NEC NON DE MODO, QUO  
A EST PASSUS AD NOSTRAM INSTRU-  
CTIONEM.**

Punctum I.

Considera dolores, quos Christus est passus in corpore. *Primo* fuit *flagellis* crudelissime discerptus. Cruciam hunc fuisse immanem, colligitur 1. ex *teneritudine temporis* ejus<sup>1)</sup>, utpote quod erat adeo subtilis ac delicatus, ut teste S. Bonaventura in Christo callosa alioquin dum durities delicatior ac sensibilibior exstiterit, quam apud nos sit tenera oculorum ac pupillarum compages. Accedit, quod illius sacratissimum corpus ob praevium sudorem sanguineum fuit magnopere debilitatum, per agoniam lethalem inde fatigatum, et per noctis illius vigiliam atque aerum-  
is viribus penitus exhaustum.

2. Ex *carnificum furore*, qui erant suoapte ingenio udeles et efferi, oblata a sacerdotibus pecunia ad ferocem animati, orci furiis a daemonibus truculenter agitati, alii aliis semper bini succedentes, ne scilicet tortorum insitudine dolorum acerbitas leniretur. Triginta paria tamen rabie efferatarum tigridum fuisse, S. Magdalenae de *scissis* revelatum legimus.

3. Ex *flagellorum qualitate*, quae erant virgae viles et spinosae: scuticae ex nervis bovum confectae: tenulae ferreae aculeis obarmatae, quibus cutis horrenum lacerabatur, carnes frustatim avellebantur, costarum sa immaniter nudabantur.

4. Ex *verberum numero*, quorum ad sex millia fuisse

---

<sup>1)</sup> Cfr. Catechism. Rom. part. 1. cap. 5. de art. 4. q. 12. n. 2.

inflicta S. Bernardus asserit <sup>1)</sup>, ita ut nulla corporis a vulnere immunis exstiterit. Ex his collige, quam cruciamentum senserit Christus ex tot tamque crudelium flagellorum ictibus, tanta vi tantoque cum furore a totis tortoribus tam delicato corpori inflictis.

O mi Jesu! Pilatus adeo atrociter flagellari te jussit ut Judaeos ad tuam commiserationem adduceret; ego te in corpore saucium, et quidem pro me et ob mea peccata saucium video, et tamen silice durior nec lacrimularum copioso sanguini, nec suspirium tam immenso amorem impendo; quin imo pelliculam adhuc curo, carni et sensibus blandior, licet hi tot plagarum crudelis causa exstiterint.

*Secundo. Spinis coronatus est.* Acerbissimum pro hoc tormentum fuit 1. ob *spinarum* aculeos, magnitudinem duritiem ac multitudinem. Nam erant ita acutae, ut in cranium penetrarint: ita durae, ut nulli obstaculo cessante ita copiosae, ut potius pileum seu tegumentum quam coronam constituerint, et septuaginta plures vertici inhaeserint.

2. Ob *capitis* subtilitatem, utpote quod inter externas corporis partes membrorum omnium delicatissimum est, in quo natura omnes quinque sensus velut in sede collocavit, et ubi quilibet etiam tenuis dolor membranarum, nervulorum et fibrillarum teneritudinem acutissime sentitur.

3. Ob immanem *carnificum* robustissimorum feritum qui omni illa vi in caput adegerunt, impactis fustibus sive intruserunt, et inflictis crudissime alapis earum cruciatum exasperarunt.

4. Ob iteratam ac summe violentam *vestium detractionem*, qua vulnera in flagellatione accepta, et inducentium adhaerentia summo cum dolore refricata fuerunt.

---

<sup>1)</sup> S. Birgitta Christi flagellati plagas 5475 numerat. S. Gerardi flagellorum 5466 ictus colligit. Non aspernamur ista, sed nequaquam certa ducimus.

O mi *Jesu!* spinis tu cingeris, et ego rosis coronari ptem! tu *super dolorem vulnerum tuorum* <sup>1)</sup>) novum su-  
braddi sinis; et ego quamvis molestiam a me amoliri sol-  
sitate satagam! Absit sub capite spinoso membrum me esse  
clicatum; etiam per dumeta praeceuntem te sequar. Non  
alum immissos a te morbi dolores patienter perferam, sed  
nam voluntariis cruciatibus castigabo corpus meum, et in  
arvitutem redigam.

*Tertio. Crucem suam ipse bajulat.* Hic quoque  
labor Servatori aerumnosissimus fuit 1. ob oneris trabalis  
amane pondus: 2. ob viae longitudinem et asperitatem:  
3. ob montis Calvarii acclivitatem: 4. ob virium debilitatem.  
arte quam magnus hic fuerit labor et dolor, inde affatim  
statet, quod nudos pedes ingenti hoc trunco onustus ad ob-  
ios lapides identidem impegerit, plateas expresso ex vul-  
sibus sanguine ubertim rigaverit, humeros male dolatam  
anc trabem portando horrendum vulneraverit; quod denique  
manibus aliis doloribus superior, solum huic ita succubuerit,  
t postquam saepius toto corporis et crucis pondere in  
tram et genua procidit, tandem bajulum comitem admit-  
tre debuerit.

O mi *Jesu!* haec tu perfers amore mei, et ego laboris  
tgiens non nisi ignavam commodus presso vitam, atque  
diversorum impatiens non nisi molles duco dies. At pudet  
e mei. Posthac laborabo, quantum per vires licuerit;  
atque, quidquid tibi lubuerit. Mortificationis crucem tuo  
templo animatus etiam ego feram *generose* et *constanter*.  
labor et dolor, agere et pati gemini erunt poli, circa quos  
lea omnis vita deinceps circumrotabitur.

#### Punctum II.

Considera *modum*, quo hos tam immanes cruciatus  
lerat Christus, nempe 1. *patienti cum silentio*. Immen-

---

1) Psalm. 68, 27.

sum excedebatur praescriptus per legem plagarum numerus et tacet: milites eum spinis coronant ex mera insolentia nulla ad id facta a Pilato potestate, et silet: ipsi soli conferenda imponitur, non item aliis duobus, qui cum eo debantur nequam, nec tamen conqueritur.

2. Patitur cum summa *promptitudine* ac *desiderio* plura perferendi; nam eo ipso tempore, *quo supra dorsum eius fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam*<sup>1)</sup>, *et dinumeraverunt omnia ossa ejus*<sup>2)</sup>, in Davidis repetiit: *Ego in flagella paratus sum*<sup>3)</sup>. In dolorosissimae coronationis tempore *exarsit* ejus erga: *amor sicut ignis in spinis*<sup>4)</sup>, qui *nunquam dicit: Sicut fecit*<sup>5)</sup>. Vix crucem a longe conspexit, mox exclamavit: *o beata crux! tantopere amata, toties expetita, tam desiderata.*

3. Patitur cum *amore* summo erga divinum Patrem, cujus regnum haec tolerando restauravit: erga suos inimicos, quibus ex animo ignovit: erga nos peccatores, quibus suum cruorem in lytrum obtulit; erga te singillatim quem sibi speciatim illo dolorum tempore menti praesentem habuit, benevolo obtutu respexit, et praeveniente occurrere meritum charitate ab innumeris discrevit, et ante totum mundum dilexit; licet praeviderit, te hoc ipso sanguinis balneo usurum, tanto ardori non nisi injurias repensurum, quod imo gravissimis etiam sceleribus eundem offensurum; quidem eo amoris excessu te dilexit, ut sibi carnem statim avelli, spinis caput perforari, crucis gravissimum jugum imponi permiserit. Ferreus es, si divini hujus sanguinis liquor adamantinum cor non emollit; si tanto Christi amore non incenderis ad odium tui, qui huic carnifici non parum causae dedisti.

---

<sup>1)</sup> Psalm. 128, 3. — <sup>2)</sup> Psalm. 21, 18. — <sup>3)</sup> Psalm. 37, 18  
<sup>4)</sup> Psalm. 117, 12. — <sup>5)</sup> Prov. 30, 16.

Punctum III.

Perpende *fructum* hinc eruendum. Huc ergo jam adiunt illi proprii commodi aucupes, illa cuticulae mancipia, gnavi illi laborum osores, illi denique delicati sanitatis lololatrae, qui hujus conservationem obtendentes, tam solcite averruncant, quodcunque corpori aegre facit, et tam studiose procurant, quidquid sensualitatem fovet, quibusque tantum honoratum est unica votorum meta. Intueantur hinc necem suam flagellis immaniter discerptum, spinis acerbissime cinctum, sub crucis pondere penitus fatiscentem; aspiciant Regem suum, sub cujus vexillo se carni bellum illaeros heri sponponderunt, hunc, inquam, contemplantur toto corpore cruentatum; viribus omnino exhaustum, doloribus acerbissimis obrutum, proprio sanguini innatantem. Ah! si Christus sua commoda, vitae quietem atque sanitatem eo, non nos, modo attendisset, quo nostra nunc loco salus foret? nisi illius erga nos amor haec omnia nobis sacrificasset, nostroque bono posthabuisset, ubi nunc nostrae redemptionis abundantia esset? Si eadem aliis, quae nobis nunc nima sensa hac in re fuissent, nonne caelum Sanctorum maximis vacuum, et Ecclesiae thesaurum ingentibus meritis repletum doleremus?

Et sane videmus, poena talionis nullos pluribus mortibus affligi, imo et morbis cruciari, quam hos ipsos sanitatis suae nimium studiosos cultores; contra vero nullos saniori valetudine frui, quam illos, qui commodorum, sanitatis et vitae incuriosi, se prodige Dei proximique seruitio impendunt: qui aegrotos passim invisunt, diu noctuque indefessi laborant, et corpori continuo ac constanter aegre vivere student.

At oppones: hac ratione citius moriar. Ergo moriaris; cum propterea caelum ruet, aut Romanum Imperium eversum cadet? Ergone Religiosus phantasticum minuendae unitatis, aut abbreviandae vitae periculum amore Dei subire

timidus respuat, quod tamen praesens tot milites pro vii lucello et amore terreni principis reipsa adeunt? Abjecta haec sunt et generosa mente indigna animi sensa. Ob remotum ejusmodi per studia vitae decurtandae periculum nec tu iisdem valedicis, cur ergo virtuti? Accedit, longe plures ob gulam quam inedia[m] praecoci morte defungi.

Proin 1. vindici fervore corpus tuum per opera poenitentiae eorumque quotidianum ac constantem sine ulla coniventia usum in servitutem redige. 2. Immissos morbos aliasque molestias patienti silentio gaudens perfer. 3. Illud solatium, quod ex dulci otio percipitur, caelo sacrifica, et quantum per vires licet, semper strenuus labora. *Nihil enim otio deterius est, quod non solum non acquiritur nova, sed etiam parta consumit. Sanctae vitae ratio processu gaudet et crescit, cessatione torpescit et deficit*<sup>1)</sup>. Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum<sup>2)</sup>. 4. Nimiam illam servandae sanitatis vitaeque prolongandae curam generosus abjice, firmiterque tibi persuasum habe, illud tuum dictamen: *Vires futurae in tempora ad Dei cultum conservandas esse*; hoc, inquam, dictamen non nisi futile amoris proprii ludibrium esse. Nam sub hoc praetextu solidae virtutis exercitium ab adolescentia in juventam, a juventam in virilem aetatem, ab hac in senium rejicitur; quo fit, ut vitae curriculum praetereat, quin unquam aliquid grande pro Deo patretur; sicque ob vanam spem praestandi in futurum boni, praesentis occasio et meritum negligitur.

### **Affectus.**

*Compassionis.* O quem te video, amantissime Redemptor! a planta pedis usque ad verticem non est in te sanitas: totus es vulnus et livor et plaga tumens<sup>3)</sup>: non est spe-

1) S. Hieron. epist. 1. ad Demet. — 2) S. Hieron. epist. ad Rustic.  
— 3) Isa. 1, 6.

*cies tibi neque decor*<sup>1)</sup>: *vir es dolorum et sciens infirmitatem: quasi leprosus es et percussus a Deo, ac humiliatus*<sup>2)</sup>). Haec cerno, nec tamen compatior. O durum cor meum! quomodo non miserescis innocentissimi Jesu, propter te et a te tam dira tolerantis? quomodo non totum in lacrimas colliquescis?

*Doloris.* Heu! quid feci, dum peccavi; dom has carni illecebras concessi? ego te flagellis percussi, ego capiti crudeliter spinas impressi, ego te crucis pondere in terram prostravi, ego *laborare te feci in peccatis meis*<sup>3)</sup>. Nam *vulneratus es propter has N. iniquitates meas: attritus es propter haec N. scelera mea*<sup>4)</sup>: hae *N. iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super te*<sup>5)</sup>. Proin haite lacrimae, prorumpite gemitus, totum pectus jam occupet dolor.... Ah! poenitet peccasse.... O maledictum peccatum, quod Jesum meum adeo crudeliter habuisti!.... Aeterno te odio prosequar.

*Amoris.* O innocentissime Salvator! et haec pateris non solum *a me*, sed etiam *pro me* tam vili ac rebellis homuncione?.... In mediis cruciatibus tuis benevolo affectu me ante alios complectebaris, prae oculis praesentem habebas, tuorum vulnerum sanguinem mihi applicabas, dolores tuos aeterno Patri pro me offerebas, licet ingrattissimum me fore praevideres. Haec credo, nec tamen te redamo!.... Ah! maledictum animi frigus! O Seraphini! divini amoris flamma cor meum ita succendite, ut non prius amando quam vivendo finem faciam.

*Odi sui ipsius.* O Pater aeternae! vertatur, obsecro, in me manus tua. Nam ego sum, qui deliqui, ego inique egi; agnus vero iste quid mali fecit? Ah! innocens, *quae non rapuit, exsolvit*<sup>6)</sup>. Proin parce insonti, et me reum plecte. En! *ego in flagella paratus sum*<sup>7)</sup>: mihi tribu-

1) Isa. 53, 2. — 2) Isa. 53, 3 et 4. — 3) Malach. 2, 17. — 4) Isa. 53, 5. — 5) Psalm. 37, 5. — 6) Psalm. 68, 5. — 7) Psalm. 37, 18.

lationum spinae, mihi mille cruces debentur. In me ergo irruant dolores et aerumnae. . . . Ah! sancto me ipsum odio persequi doce.

Quid enim, o mi Jesu! ergone hanc carnem meam odisse non possim, quae te tot plagis confecit, quot sibi illecebras indulsit? quae te fratrem meum, Ducem ac Regem meum animaeque sponsum, *cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum*<sup>1)</sup>, tam crudelem in mortem dedit. Superi! quae haec paradoxa? perennem in orco cruciatum meritis sum, et vel levi flagro rebellem cuticulam castigare, aut leni cilicio impiam carnem arctare horreo. Aeterna fame ac siti cruciandus essem, et adhuc lautitiis inhio, ac corpus tot vitiorum sentinam saginare sustineo. Ad tartari transtra aeternum ablegandus forem, et debitum Deo et proximo laborem desidiosus detrecto? Heu! rubore suffundor!

At in posterum meliora. Caelum testor, quia malo cum Christo afflicto et aerumnoso pariter doloribus, aerumnis et laboribus confici, quam cum speranda aequali gloria licitis etiam gaudiis in hoc mundo diffluere, solum majoris cum Christo similitudinis ergo. Patiar proin, quaecumque volueris, eaque perferam patienti silentio, cum gaudio solemni, cum desiderio plura patiendi, cum persuasione, nihil esse, quae patior comparata doloribus Christi, cruciatibus orci, gaudiis caeli; solum ut Christo, Duci et Regi meo, similior fiam.

„Concipiantur hic, vel renoventur concepta jam proposita, ac determinentur opera poenitentiae deinceps exercenda.“

\* Legatur Thom. a Kempis de imitat. Christi lib. 3. cap. 19.

<sup>1)</sup> Prov 8, 31.



CONSIDERATIO  
DE FELICITATE ET GLORIA ANIMAE  
CONTEMPTAE ET AFFLICTAE.

Cum ex una parte scopus hodiernae diei sit, animam conscenso heri tertio Humilitatis gradu confirmare, ut ne ea malit, etiamsi par Dei obsequium foret, cum risto spreto et afflicto, contemptam pariter et aerumnam ducere vitam, quam gaudiis et honoribus in hoc mundo abundare solum majoris cum Christo similitudinis; ex altera vero parte, cum contemni et pati, utpote summe ardua, nostrae fragili naturae perdifficile accipere, operae pretium erit, latentem sub afflictione et contemptu *felicitatem* et *gloriam* ob oculos ponere, ut fructuum huius allekti, laborum spinas mitius feramus. Quid enim nobis contempiones et aerumnas amabiliores reddere queat, nisi si ostendam, contemni non pudorem afferre, sed *gloriam*: pati non miseriam esse, sed *felicitatem*?

I. *Gloria*, quam adversa animae contemptae et afflictae adferunt, est summa et eminens. Eam quippe heroem se probant, Martyribus et Angelis aequant, Christo purissimam eique similem reddunt. 1. In primis talem animam, siquidem patienti animo eadem perferat, *heroem* se probant. Exemplo nobis Aegypti Prorex Josephus, quem ex sententia Chrysostomi *nil perinde clarum heroem reddidit, atque illa in eum structa calumnia, aerumna, carcer et catena atque contracta inde aerumna. Quamquam enim magna pariter ipsius pudicitiae virtus erit; tamen longe majorem effecerunt ea, quae permissus est, nempe accusatio, calumnia, carcer et catena. Quam enim clarior et splendidior apparuit, quam cum Aegypti solio sedens, frumentum egentibus distribuit, famem depulit*<sup>1)</sup>. Nempe adversa virtutis cos sunt, quae quantus quis heros sit, ostendunt.

<sup>1)</sup> Homil. 68. ad popul.

Hanc veritatem ipsi Gentiles agnoverunt, quorum unus sic loquitur: *Adversae res sunt, quibus declaramur viri*<sup>1)</sup>; alter vero ita scribit: *Non est magni animi, se rebus prosperis fortem gerere, ubi secundo cursu vita procedit, nec gubernationis artem tranquillum mare et obsequens ventus ostendit. Adversus aliquid occurrat oportet, quod animum heroem probet*<sup>2)</sup>.

Nempe eandem Deus rationem sequitur in bonis viris, quam in militibus duces, qui optimos ad durissima mittunt. Etiam ille iis asperiora immittit, quos in patientiae palaestra magis heroes novit, atque eos, qui sibi intentius et devotius obtemperant, veluti fortissimos athletas gravioribus aerumnis exercet<sup>3)</sup>. Dicant hi ergo, dum adversa rupto aggere ingruunt: eja macti animis! *digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura capere, quid pati possit*<sup>4)</sup>. Ingens certe gloria ex hac animi comparatione in talem animam redundat.

2. Adversa nos Martyribus et Angelis aequant. Primum affirmat S. Laurentius Justinianus: *Patientia hominem Martyrem facit*<sup>5)</sup>. Suffragatur S. Climacus gradu 4. *Beatus*, ait, *qui quotidie propter Deum conviciis et maledictis lacessitus sibi vim fecerit; revera talis anima nihil distat ab anima martyris*. Accedit sensus et auctoritas Ecclesiae, quae in officio divino de S. Martino Turonensium Episcopo ita canit: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit; quia gravissimas sui canonici et domestici Briccii, qui ejus miracula mordaci dente carpebat, calumnias patienti charitate pertulit. Proin ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de*

---

<sup>1)</sup> Epictetus apud Arianum l. 1. c. 24. — <sup>2)</sup> Seneca lib. de consol. c. 6. — <sup>3)</sup> Chrysost. l. 1. de Provid. col. 16. — <sup>4)</sup> Seneca l. 1. de Provid. — <sup>5)</sup> Lib. de patientia cap. 2.

illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur: aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur<sup>1)</sup>.

Alterum asserit S. Chrysostomus, cujus haec sunt verba: *Qui patientes sunt et mites, et contumeliosis affecti, et percussi aequo animo ferunt, et taliter facientibus emedicunt, caelestibus sunt similes Virtutibus, multam abentibus impassibilitatem*<sup>2)</sup>, utpote qui aequae parum atque Angeli ejusmodi rebus moventur et turbantur. Si ergo, concludit idem, *angelos recte beatos dicimus, quia possunt absque offensa ferre frigus, famem, sitim et similia; quanto magis beatam et Angelis similem oportet nocere animam, quae viriliter ac fortiter omnes omnium molestiarum ferre incursus potest*<sup>3)</sup>. Quid autem gloriosius, quam martyribus et angelis aequari?

3. Adversa nos Christo charissimos esse probant, eique nos similes efficiunt. Constat id experientia. Nam *emper observatum est, eos, qui Christo Domino viciniores et chariores fuere, plus aliis quoque laboribus et adversis lancinatos fuisse ac divexatos*<sup>4)</sup>. Cum quaedam die B. Angela de Fulginia quaesivisset ex Deo, quoniam essent ei chariores filii? respondit Dominus: *Illi, nos magis diligo, ad mensam meam mihi viciniores comedunt ex una scutella mecum panem tribulationis, et bibunt in una cupu mecum calicem passionis. Charioribus enim filiis permittit Deus evenire multas tribulationes; et hoc facit eis pro speciali gratia*<sup>5)</sup>. Proinde qui multa et varia patiuntur, hi sunt vere filii Dei, adeoque et fratres Jesu; hi sunt proximi convivae Christi ejusque familiares intimi atque ocelli charissimi.

Imo sunt Christiformes eique quam simillimi. Nam *quos Deus praescivit, etiam praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui*<sup>6)</sup>; id est, ut cum Vasquez hunc

<sup>1)</sup> S. August. super Psalm. 54. — <sup>2)</sup> S. Chrys. hom. 47. ad popul. — <sup>3)</sup> Idem serm. de Resurrect. — <sup>4)</sup> S. Theresia in M. S. I. 7. — <sup>5)</sup> In ejus vita. — <sup>6)</sup> Rom. 8, 29.

locum explicat Cornelius a Lapide, *quos Deus praescivit sibi amicos et dilectos per gratiam suam fore, hos etiam praedestinavit ad hoc, ut paterentur, et fierent conformes filio suo in patientia, utpote qui pro nobis tot labores et aerumnas sustinuit*<sup>1)</sup>. Uno verbo: vult, ut etiam ipsi fiant crucifixi, ejusque imaginem perfecte referant.

Jam autem o quot scalpri ictibus quantoque artificio opus est, ut ex ebore genuina elaboretur Christi morientis effigies, quae arterias, nervulos, venas, cutis rugas et lineamenta omniaque membra accurate exprimat? Proin quo pluribus anima et gravioribus aerumnis obruitur, eo perfectius is eam sibi Crucifixo assimilari cupit.

Porro magna certe gloria est esse imaginem Crucifixi, atque eadem ex cruce cum Christo pendere. *Sicut enim gloriosum est militi, deferre urma regis; sic est etiam Christiano gloriosissimum, portare stigmata Christi*<sup>2)</sup>. Et tamen (quae mortalium caecitas est) *illud vitamus omnibus modis, ne quando ad statum redigamur similem illi, ad quem Christus in cruce fuit redactus*<sup>3)</sup>. Tertius Humilitatis gradus est ille ipse, qui non solum gentibus et Judaeis, sed etiam Christianorum non paucis scandalum et stultitia est. At vae illis, quibus latens haec sub contemptu et afflictione tam eminens gloria illorum aestimationem, amorem ac desiderium non indit; digni enimvero sunt, *ut induantur pudore et operiantur confusione sicut diploide*<sup>4)</sup>.

II. *Felicitas* animae contemptae et afflictae est pariter ingens tum ob praerogativas, quae ejusmodi status gaudet, tum ob gratiae magnitudinem, quae in adversis latet. Ad *praerogativas* quod attinet, adversa sunt medium perfectionis, sunt indicium divini erga nos amoris, sunt signum

<sup>1)</sup> Vasq. 1. p. q. 23. Corn. comment. in Epist. Rom. — <sup>2)</sup> Laur. Justin. de patient. c. 2. — <sup>3)</sup> P. Petrus Faber, uti in ejus vita refert Orlandinus. — <sup>4)</sup> Psalm. 108, 29.

raedestinationis. 1. Ea esse *medium acquirendae sanctitatis* affirmat S. Gregorius Magnus, dicens: *Ego fidenter lico, quia minus pie vivis, si minus persecutionis peruleris*<sup>1)</sup>: nempe hic Sanctus ex copia afflictionis metiebatur magnitudinem perfectionis. Consentit S. Laurentius Justinianus, ita scribens: *Si adversum te mundus saeviat, atret invidus, diabolus rugiat, obloquatur malus, insidiasque tendat elatus; esto confidens, quoniam perfectorum graderis semitas*<sup>2)</sup>. Ratio in promptu est; nam contemptus, paupertas, dolores subtrahunt superbiae, gulae et amoris proprio fomenta, illicia et vires, adeoque feracem naturalium fontem obturant; contra vero animae ad elicendos actus heroicis plurimam occasionem et materiam supeditant, quo fit, ut eandem ad perfectionis apicem mire provehant et extollant.

2. Adversa insuper *divini erga nos amoris indicium est. Quem diligit Dominus, castigat*<sup>3)</sup>: *quem diligit Dominus, corripit*<sup>4)</sup>: *quia acceptus eras Deo, necesse est, ut tentatio probaret te*<sup>5)</sup>: sacrae Paginae oracula sunt. Eadem quoque SS. Patrum sententia est: *In justis, ut S. Laurentius Justinianus, tribulatio amoris indicium est*<sup>6)</sup>. Imo *quo quis arctius amatur, eo quoque durius et praesenti flagellatur*<sup>7)</sup>. *Electos Dei cernimus et pia regere, et crudelia pati*, Gregorii Magni effatum est. Consentit S. Theresia, dicens: *Certissimum est, per viam difficultatis ac laborum a Deo conduci eos, quos cultum diligit: et quo magis aliquem diligit, eo etiam graviores illi difficultates immittit.*

Sunt praeterea optima *probatio nostri vicissim erga Deum amoris*. Sicut enim Christus suum erga nos amorem demonstravit moriendo; ita nos pariter nostrum erga

1) Lib. 6. epist. 27. — 2) De vita solitar. c. 12. — 3) Hebr. 2, 6. — 4) Prov. 3, 12. — 5) Tob. 12, 13. — 6) De casto conubio, c. 6. col. 2. — 7) Idem fasciculo amoris, c. 8.

illum amorem probabimus patiendo. Et hinc *quanto sustinetur amplius, tanto magis dilectionis nostrae signum ostenditur* <sup>1)</sup>. Nam *vinculum indisruptum est tribulatio, et dilectionis evidens argumentum* <sup>2)</sup>.

Quin imo nulla crux est *judicium divinae erga nos irae*. Nam *Deus flagellat omnem filium, quem recipit; ergo, qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorum* <sup>3)</sup>. Quocirca S. Xaverius dicere solebat, *videri sibi nostros nequaquam fideliter militare, si diu nullis insectationibus exercentur*. Ipse Seneca ad amicorum quempiam scripsit: *Miserum te judico, quia nunquam fuisti miser*. Jam vero si haec Gentilis, cui mysterium crucis scandalum erat, quid Christianum, quid Religiosum sentire decet, mysteriis fidei imbutum?

3. Denique adversa sunt *signum praedestinationis et electionis divinae*. Id affirmat S. Augustinus: *Conjectura est, ait, cum te Deus immensis persecutionibus corripit, te in electorum suorum numerum destinasse* <sup>4)</sup>. Suffragatur Laurentius Justinianus, sic loquens: *In justis tribulatio est amoris indicium, futurae beatitudinis praesagium, et praedestinationis testimonium* <sup>5)</sup>. Idem alibi repetit: *Flagelli eruditio cum patientia indubium praedestinationis agnoscitur esse praesagium* <sup>6)</sup>. Quis ergo neget, animam contemptam et afflictam vere felicem esse, cum iis gaudeat *praerogativis*, quae summam pariunt felicitatem, nempe efficacissimo acquirendae perfectionis medio, minus ambiguo divini erga nos amoris indicio et probabilissimo praedestinationis signo.

Nec minor est *magnitudo gratiae*, quae sub adversis latet. 1. *Est enim gratia vere maxime, dignum censi propter Christum aliquid pati. Est corona vere per-*

<sup>1)</sup> S. Cathar. Senens. dialog. c. 5. — <sup>2)</sup> Chrys. hom. 66. ad pop. — <sup>3)</sup> Idem hom. 29. in epist. ad Hebr. — <sup>4)</sup> Epist. ad Alippi. — <sup>5)</sup> Lib. de casto connub. c. 6. col. 2. — <sup>6)</sup> Ibid. c. 19. col. 2.

lecta, et merces futura retributione non minor<sup>1)</sup>. Imo tiansi res nullam haberet mercedem, hoc solum est magna merces et sufficiens remuneratio, gravia pati propter eum, qui amatur. Sciunt, quod dicitur, qui amant. Et profecto vincit esse propter Christum est major gratia, quam sedere supra duodecim sedes, quam esse Apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Evangelistam. Si quis amat Christum, is novit, quod licitur<sup>2)</sup>.

2. Plus est pati, quam miracula patrare. Quando Deus dat alicui, ut mortuos suscitet, minus dat, quam cum dat donum patiendi<sup>3)</sup>; pro miraculis enim debitor sum Deo, at pro patientia debitorem habeo Christum<sup>4)</sup>. Accedit, quod miracula minime faciant hominem sanctum, cum possint esse communia electis et reprobis<sup>5)</sup>. At vero patientia in adversis certissima est ad summam sanctitatem scala. Praeterea plus est pati, quam habere sublimissimarum rerum revelationes. Hinc B. Baptista Verana (ut habetur in 4. parte Chron. S. Francisci) exclamare solebat: *O Deus meus, si tu mihi revelares omnia secreta tui sacratissimi cordis, tantum boni mihi non facis, quam dum afflictiones immittis.*

Ex his colliges, inimicos, qui nos persequuntur, in amicorum numero habendos esse beneque de nobis merentium. Ergo cognosce, te esse magis obligatum illi, qui tibi malum facit, quam ei, qui bonum. Illae enim personae sunt, quae purgant animam tuam, et pulchram faciunt, gratiosam et acceptam in conspectu Dei<sup>6)</sup>. Quid enim? Ergone inimicum tu eum reputabis, qui tibi fiduciae fores et gratiarum thesauros pandit, et facit, ut tibi peccatorum fiat absumptio?<sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> Chrys. hom. de S. Anna. — <sup>2)</sup> Idem hom. 8. in epist. ad Ephes. — <sup>3)</sup> Idem in cap. 1. ad Ephes. — <sup>4)</sup> Idem ibid. — <sup>5)</sup> Laar. Justin. fasc. amoris c. 5. col. 2. — <sup>6)</sup> B. Bapt. Verana in ejus vita. — <sup>7)</sup> Chrys. hom. 71. ad pop.

Et hinc concludit S. Chrysostomus, *malle se vincum esse propter Christum, quam habitare caelos. Si quis (pergit) me apud Superos collocaret cum Angelis aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem et vincula. Nihil enim est melius, quam pati propter Christum. Non tam beatum existimo Paulum, quod raptus sit in tertium caelum, quam eum censeo beatum propter vincula. Mibi est optabilius mala pati cum Christo, quam honorari pro Christo. Haec est gratia, quae omnia superat<sup>1)</sup>*. Et haec sunt Sanctorum sensa de *Gloria et Felicitate*, quae in adversis latent, hae cogitationes filiorum Dei, a quibus caveamus, ne degeneremus. Certe ista rite expensa non possunt non tertium Humilitatis gradum nobis summe aestimabilem, amabilem ac desiderabilem reddere.

E X A M E N

**CIRCA PATIENTIAM ET OBEDIENTIAM.**

Cum nemo tertium Humilitatis gradum sit conscensurus, vel in eo stabilis permansurus, nisi ferrea patientia sit armatus; cumque insuper obedientia plurimam patiendi materiam suppeditet, rerum nexus postulat, ut utriusque virtutis objectum, gradus et incitamenta breviter oculis subjiciam. De paupertate nulla nunc mentio fit, quia de ea jam die quarta, Meditatione tertia fusius egimus.

I. *Patientia, servorum Dei victricia arma<sup>2)</sup>*, est virtus voluntatem inclinans ad quaevis adversa aequanimiter perferenda. Ejus objectum est jactura honorum fortunae per inopiam, honoris et famae per contemptus et injurias, sanitatis et vitae per dolores et mortem, internae quietis per scrupulos, taedia et afflictiones animi.

<sup>1)</sup> Idem hom. 8. in epist. ad Ephes. — <sup>2)</sup> S. Coelestin. cap. 1.



Haec omnia sunt perferenda 1. cum *patienti silentio*, omnem doloris sensum intra labia premedando, eum nemini lateri manifestando, nec secum mente revolvendo, neque pud Deum de ejus acerbitate conquerendo; sed generosa oblivione rem totam sepeliendo; 2. cum *gaudio eucharistico*, cum Apostolis non solum gaudento, quod digni habitimus pro nomine Jesu aliquid pati; sed insuper etiam rates agendo divinae Bonitati tanquam pro collato primi ordinis beneficio; 3. cum *desiderio plura patiendi*, exemplo Christi, in cruce plus afflictionum sitientis, Pauli, omnia tribulationum genera provocantis, Xaverii, laborum amplius, amplius aerumnarum postulantis; 4. cum firma *persuasione*, nihil esse ea, quae patimur, comparata aerumnis Christi, cruciatibus Martyrum, tormentis parricidarum, doloribus aegrorum in xenodochiis, captivorum in carceribus, mancipiorum in triremibus, nihil respectu poenarum inferni aut purgatorii, quas sumus promeriti, nihil comparata gaudiis caeli, quorum unica stilla dulcoraret totum tartarum.

Denique toleranda sunt 1. ex motivo *demissionis et agnitionis* supremi in nos dominii Numinis aeterni, ut de nobis nostrisque rebus, quae ipsi placita fuerint, statuatur; 2. ex motivo *justitiae vindicativae*, ut ex hac nostra castigatione illa magis elucescat ad aliorum terrorem; 3. ex motivo *poenitentiae*, ut anticipata solutione pro peccatis jam hic satisfaciamus; 4. ex *amore Christi*, ut hac cum eo qualicumque similitudine illum magis glorificemus, nostrumque illi amorem testemur; 5. ex *amore Dei*, ut sic altiorum in caelo gradum mereamur, quo ipsum per totam aeternitatem intensius amare possimus.

Examina jam, ecquid tua patientia se extendat ad jacturam omnium relatarum supra rerum? *Nunquam quippe sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur*<sup>1)</sup>. 2. Num patiaris quadruplici illo, quem paulo ante

---

<sup>1)</sup> S. Gregor. lib. 1. moral. cap. 3. n. 4.

exposui, modo? 3. num enarrata illa quinque motiva omnes tuos tolerantiae actus afficiant, et ad supernum magisque meritorium ordinem elevent? Errata corrige.

- II. *Obedientia*, quam S. Joan. Climacus *sepulcrum propriae voluntatis et excitationem humilitatis* dicit <sup>1)</sup>, est virtus, qua quis in rebus licitis homini obedit propter Deum. Virtus haec passim in sacris litteris nobis inculcatur: e. g. Hebr. 13, 17. Ceteris praestat: *Magna quidem est, inquit Joannes Pap. XXII., paupertas, sed integritas majus bonum est, sed obedientia maximum, si custodiatur illaesa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo.* Ejus objectum est persona cui, et res in qua obeditur. Verus enim obediens *primo* obedit *omnibus* omnino Superioribus; 2. etiam talentis, virtute et scientia se multo inferioribus, prudentia et discretionem destitutis, omnia turbide, ex impetu et animi intemperie praecipientibus; 3. etiam subordinatis v. g. mediatino, famulo etc. nomine Superioris aliquid nuntianti.

*Secundo* obedit *in omnibus*, quae imperantur, etiam in iis, 1. quae jubentur cum periculo et jactura sanitatis et vitae; 2. cum jactura honoris, existimationis, scientiae etc.; 3. cum jactura, ut videtur, majoris virtutis, majoris in speciem gloriae Dei; 4. etiam tunc, quando partes, sinistrae affectiones, aut alia perversa animi motio in Superiore aperte dominatur: *Subditi estote . . . etiam dyscolis* <sup>2)</sup>, seu pravis, non tamen in re aperte mala; siquidem tunc valet illud: *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate* <sup>3)</sup>. In dubio autem *praesumptio* stat pro Superiore.

*Tertio* obedit *modo perfectissimo*, 1. promptissima et accuratissima *operis* executione, ad primum horologii pulsum, littera etiam imperfecta relicta: 2. cum summa *voluntatis* propriae cum voluntate Superioris conformitate.

<sup>1)</sup> Gradu 4. — <sup>2)</sup> 1. Petr. 2, 18. — <sup>3)</sup> Actor. 4, 19.

unquam apud alios contra illum murmurando aut couquendo, nec ejus jussa sugillando: 3. cum summa *judicii* proprii subjectione, Superioris mandatum apud se et alios non tantum fecte, sed serio ut prudens et aequum tuendo: *escit enim judicare, quisquis perfecte didicerit obedire; via hoc tantum bonum putat, si praeceptis obediatur*<sup>1)</sup>. Vel si res imperata manifeste imprudens sit, aut admodum difficilis et molesta accidat, aut si modus imperandi asperior sit ac violentior, quam patrem ac Religiosum deceat, tunc, Deo gratias agit, nactumque se occasionem gaudet, voluntatem et iudicium Numini perfectius sacrificandi. Et i tres sunt hujus virtutis gradus<sup>2)</sup>.

Denique obediendum est 1. ex motivo *fidei*, ut ostendimus, nos credere Christo, dicenti: *Qui vos audit, me audit*<sup>3)</sup>; 2. ex motivo *spei*, confidendo nos per obedientiam a divina Providentia gubernandos et salvandos esse; 3. ex motivo *charitatis*, ut per obedientiam supremo Numini, quae pretiosissima nobis charissimaeque sunt, liberares immolemus, nempe voluntatem et iudicium. Discute animam conscientiam, quomodo circa ista te habeas? num omnibus, in omnibus, perfecte ex allatis motivis obedias?

Hac patiendi et obediendi ratione illa, quae tertio Humilitatis gradui inest, arduitas plurimum mitescet. Cum vero eos, qui nobis in honore aut corpore aut in bonis fortunae *patiendi*, vel in rebus arduis ac difficilibus *obediendi* materiam praebent, naturaliter aversari soleamus, tunc defectui meditatio tertia occurret, ubi nos pendulus e

---

<sup>1)</sup> S. Gregor. M. sup. lib. 2. Reg. cap. 4. — <sup>2)</sup> Cfr. epist. S. P. Ignatii de obedient. ad frat. S. J. in Lusit. et P. A. Rodericii exercit. perfect. part. 3. tract. V. a. cap. 3. Praeclare S. Bernard. serm. de obedientia: „Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, percipit praecipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes: totum se colligit, ut Imperantis colligat voluntatem.“ — <sup>3)</sup> Luc. 10, 16.

# DE MORTE CHRISTI IN CRUCE.

## Praemonitum.

„Si unquam alias, nunc certe omnes animae facultates et corporis vires sunt intendendae. O mysterium amoris simul a ris, quod nobis in Calvariae clivo exhibet aequè justum ac misericors Numen. Illuc igitur propere nos conferamus, ibique electum hebdomade Ducem nostrum ac Regem non solum omnibus terrarum exutum, sed ipsis etiam tegumentis spoliatum, tribus clavibus affixum, duos inter latrones suspensum, caelos inter ac terram noster parentales inter tenebras, tota fremente natura, summos inter caelum ac contempiones expirantem flebili obtutu intueamur.

Hic enimvero Christus abunde adimplet, quod in meditationis regno acturum se promisit, nempe se in *laboribus, vigiliis et casibus* semper antesignanum fore. Hic actu ipso amplectitur, et sectandum in meditatione de duobus vexillis nos hortabatur, scilicet paupertatem, contemptum et aerumnas. Item re ipsa hic exercere in meditatione de tribus hominum classibus agendum suasit, et eligit omnium aptissima suo fini media, videlicet ea ipsa, per quam divinus Pater ipsum voluit salutem nostram operari, ejusque vitam reparare. Itaque defixis in divinum hoc exemplar oculis consideremus, quae virtutes ab eodem in cruce in gradu summe heroicae ad

divitiis paupertatem, prae honoribus contemptum, prae deliciis aerumnas, prae sanitate et vita dolores et mortem eligit, et quidem in eo gradu eligit, cui addi nil possit. Adeo ut divinus Servator suo exemplo non solum indifferentiam nos doceat circa illa quatuor puncta in fundamento (seu hebdomadis primae meditatione prima) jam enumerata; sed etiam propensionem instillet ad posteriora prioribus praeferenda, atque prae aliis eligenda.

Nam ejus *paupertas* est tanta, qua major excogitari nequeat; cum omnino nudus in aëre veluti terra extorris pendeat, et non solum non habeat, ubi caput reclinet; sed etiam vilis lacernulae frustulo careat, qua corporis nuditatem tegat: *diviserunt sibi vestimenta mea*<sup>1)</sup>. *Contemptus* erat talis, qui crescere nullo gradu potuit, cum omnes injuriae, irrisiones, calumniae et despiciatus conjurato quasi agmine in eundem irruerint, ita ut jure illud Psalmi usurpare potuerit: *Ego vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis*<sup>2)</sup>.

*Dolores* et cruciatus erant tam crudeles, tam universales et intensi, ut jure mari altissimo a Propheta comparentur: *Magna est velut mare contritio tua*<sup>3)</sup>, cujus nec latitudinem quis, nec profunditatem metiri queat. Et hinc merito Christus per Jeremiam mortalibus inelamat: *Videte, si est dolor, sicut dolor meus*<sup>4)</sup>. Denique genus mortis ejusmodi est, cui nec tormenti quicquam nec contemptus addi posse videatur, sive spectetur *tempus*, quo moritur, nempe in flore aetatis, ipsa Paschatis solemnitate, pleno die: sive *cruciatus*, quo occiditur, scilicet cruce, clavis, felle, siti et nervorum dolorosissima tensione: sive *modus*, quo exstinguitur, videlicet inter sannas Pharisaeorum: *Vah! qui destruis templum Dei*<sup>5)</sup>; inter blasphemias Scribarum: *Praetereuntes blasphemabant eum*<sup>6)</sup>;

1) Matth. 27, 35. — 2) Psalm. 21, 7. — 3) Thren. 2, 13. — 4) Ibid. 1, 12. — 5) Marc. 15, 29. — 6) Matth. 27, 39.

inter maledicta Latronum: *Idipsum et latrones improperabant ei*<sup>1)</sup>; inter dicteria Seniorum: *Salva temetipsum*<sup>2)</sup>; sine ullo caelesti solatio: *Deus meus! ut quid dereliquisti me*<sup>3)</sup>; sine ulla militum commiseratione: *Et dabant ei vinum bibere cum felle mistum*<sup>4)</sup>; sine ullo amicorum levamine: *Stabant omnes noti ejus a longe*<sup>5)</sup>. Et sic moritur filius Dei, gloria Patris, salus mundi, derelictus a cunctis, flagellis discerptus, spinis coronatus, clavis trahi affixus, omnino nudus, ferales inter tenebras, insultante innumera plebe. Proin *quid adhuc tua dormitat affectio, imo non dormitat, sed mortua est, si huic beneficio non respondet. In dictis suis Dominus sustinuit contradictores, in factis observatores, in tormentis illusores, in morte exprobratores, et nos omnes cupimus amicos et laudatores!*<sup>6)</sup>

*Aspice* itaque, o anima, *in faciem Christi tui*<sup>7)</sup>, suo te exemplo eoque tam potenti ad amorem paupertatis, contemptus et dolorum, id est, ad tertium Humilitatis gradum invitantis. Revoca in memoriam proposita in contemplatione de duobus vexillis concepta. En! vexillum crucis erectum hic prostat, oppositum vexillo a Lucifero erecto. Christus cupit, ut etiam te socias tribus suis comitibus, nempe egestati, aerumnis et despiciatui: Lucifer te hortatur ad quaerendos honores, vitae commoda ac delicias. Proin hic jam in Calvariae clivo ad crucis pedem, hic, inquam, stans delibera, et tandem prudens statue, num serio exequi velis, quod heri jam proposuisti, nempe Christum crucifixum per tertium Humilitatis gradum constanter et sedulo imitari. Decerne, num serio malis cum eo contempto, paupere et afflicto pariter contemptam, pauperem et afflictam ducere vitam, quam cum spe paris etiam beatitudinis felicem, honoratum et divitem vivere?

1) Matth. 27, 44. — 2) Ibid. 40. — 3) Matth. 27, 46. — 4) Matth. 27, 34. — 5) Luc. 23, 49. — 6) S. Bern. in Cant. — 7) Psalm. 88, 10.

Vae illi, qui in ipso Calvariae clivo, ad ipsum crucis pedem, viso tam efficaci exemplo, tamen adhuc tentat meliam inire viam, Christum inter et daemonem, caelum inter et mundum, inter amorem divinum et proprium, inter spiritum et carnem! Vae illi, qui tertium Humilitatis gradum aversans, solum vult subsistere in primo, vel ad summum eluctari ad secundum, aut qui quidem statuit sequi Servatorem etiam in tertio, sed *modo suo*, nempe sensualitati, naturae et amori proprio commodiori ac minus molesto, non autem ea, qua id fieri ratione Deus ab ipso petit.

Vae, inquam, tali; nam in poenam hujus obluetationis, qua tertium Humilitatis gradum conscendere renuit, neque ad secundum perveniet, atque ipso etiam primo excidet. Et certe Religiosus, qui post consideratam Christi Passionem tamen adhuc promoveri et honorari ambit, qui vitae commoda, lautiores victum, commodiorem vestitum quaerit, qui contemptus et despicationes fugit, paupertatis effectus horret, mortificationis opera et labores respuit; uno verbo, qui in tertio Humilitatis gradu firmus non persistit, dignus non est, qui socius Jesu, miles Christi et virtutis assecla audiatur. O Domine! da, ut crucis tuae pedi affusus, illud agere nunc vivus statuam, quod statuisse sub mortem optabo, ubi Crucifixi effigies unica oculorum meta et spei anchora erit.

#### Punctum II.

Praeterea in Christo e cruce pendulo insignis obedientia elucet, dum est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*<sup>1)</sup>. Nam 1. obedit *omnibus*, non solum aeterno patri, sed etiam Caiphae, Pilato, militibus et lictoribus, licet his in ipsum nulla competat potestas. 2. Obedit *in omnibus* etiam difficillimis rebus. Vestes ad nutum exuit, manus ad compedes porrigit, caput spinis induit, humeros cruci

<sup>1)</sup> Philipp. 2, 8.

subdit, eidem impositus se extendit, et clavis membra terebrari sinit, ipsam denique vitam ponit. 3. Idque agit modo perfectissimo, non contradicendo, non oblectando, non ad altius tribunal provocando; *sed caece* quoad intellectum, *prompte* quoad voluntatem, *integre* quoad executionem.

Quae omnia tres potissimum circumstantiae plurimum aggravant; nempe 1. quod id nominis Propheta, qui passim Sanctus, Dei Filius et Messias habebatur, publice coram saecularibus, totaque numerosissima civitate tam probrosa ac dolorosa morte afficiatur. 2. Quod illa afficiatur post tot in vita Apostolica exantlatos labores, habitas conciones, sanatos debiles et aegrotos praestitaeque aliis obsequia charitatis. 3. Et quidem ea afficiatur triumphantibus inimicis, publice illi insultantibus aemulis, eumque a se oppressum esse gloriantibus; 4. idque cum manifesto partium studio et evidenti iudicium injustitia.

Quatuor hae circumstantiae sunt illae ipsae, quae Religiosorum cruces seu adversa immanem in modum augent et aggravant, nempe confundi coram saecularibus, post tot in Religione exantlatos labores, obita munia et collecta merita, tacite insultantibus aemulis falsisque delatoribus, et quidem a Superioribus de partium studio jure suspectis, vel alia sinistra affectione in transversum actis.

At neque hic cedendum aut a cruce fugiendum est, vel a tertio Humilitatis gradu deflectendum. Tria breviter suggero incitamenta: *primum* est patiendi *necessitas*, *quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*<sup>1)</sup>. Nostra impatientia illatam nobis injuriam nec mitigat, nec avertit; potius molestiam auget, et meritum tollit. *Secundum* est occasio *satisfaciendi* pro peccatis, quorum poena ejusmodi heroico actu uno quasi spongiae ductu si non omnino, saltem maximam partem deletur. *Tertium* est major *similitudo* cum Christo, nostra causa

<sup>1)</sup> Act. 14, 21.



non solum paria, sed longe graviora tolerante; nec non occasio nostrum pariter eidem probandi. Obedientissime Jesu! da, ut tuo exemplo animatus, ex allatis tibi causis motivis *semper, omnibus et in omnibus*, etiam in casibus et eventibus supra quatuor circumstantiis *integre, prompte et aequae* obediam.

## Punctum III.

Denique in Christo e cruce suspenso insigni fulgore minuetur *charitas inimicorum*, quae virtus est eo pretiosior, quanto difficilius. Itaque breviter contemplemur, *quales et quomodo* amet. Parcere 1. iis inimicis, quos prius etiam nos offendimus, 2. iis, qui conceptum erga nos odium jam deposuerunt, 3. qui veniam a nobis supplices petunt, 4. de quibus ultionem sumere ob impotentiam nequimus, facillimum est. At vero ignoscere inimicis et amare hostes non solum nunquam a nobis offensos, sed iusuper beneficiis auctos, non solum nullam a nobis veniam petentes, sed etiamnum nos odio prosequentes, imo etiam actu insultantes; et quidem eis ignoscere eo ipso tempore, quo pro libitu et ad quietudinem vindicare nos possemus; quin eos iusuper amare, et pro eis veniam rogare, imo et mori, et quidem horrendo modo cruciatus et injurias mori; hoc certe summum charitatis prodigium ac sublimissimae virtutis apex est.

Omnia haec Christum et quidem in gradu perfectissimo praestitisse, palam est. Nam 1. non solum hominum neminem ulla in re unquam offendit, sed potius innumeris nos beneficiis auxit: *pertransiit benefaciendo et sanando vias*<sup>1)</sup>, 2. Judaei etiamnum immani contra eum odio flagrant, Barabbam praeferunt, ad mortem expetunt, clamando: *Crucifige, crucifige*<sup>2)</sup>. 3. Tantum abest, ut illi acti poenitentes ab eo veniam petant, ut etiam cruci affixi et moribundo, ac jam jam exspiranti, barbarum in modum

1) Act. 10, 38. — 2) Luc. 23, 21.

DAVID SALOMONI, sic etiam ipse divino suo PATRI u  
sumendam relinquere.

Et en! in has voces erumpit, modum ignosce  
docens: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, q  
ciunt*<sup>2)</sup>. O verba gemmis et auro digna! *Pater,  
illis*. Dum Christus pro se orat, Deum appellat:  
*Deus meus, ut quid dereliquisti me*<sup>3)</sup>. Cum v  
inimicis supplicat, Patris titulum allegat, quo e  
moveat: *Pater*. Dein non solum ipse eis ignosc  
etiam, ut Pater ignoscat, petit: *Pater dimitte: ne  
metus infligendae ab eodem poenae beneficii magni  
minuat*. Quin et eorum malitiam ignorantiae exc  
extenuat tegitque: *Non enim sciunt, quid faci  
veniae spes facilius reddatur*. Imo etiam tormenta,  
melias, mortem, quae ipsi millies fuerant meriti, ipse  
*loco* subit, et quidem sponte, nemine cogente sub  
*latus est, quia ipse voluit*<sup>4)</sup>; et insuper *pro ei  
eadem* divino Patri pro eorum salute offerendo. O  
ignoscendi vere divinum! Geminis his punctis be  
sideratis, scilicet *qualibus* ignoscat Christus et q  
eis ignoscat sequenti conclusioni etiam nos prompt

a sunt), *benefacite his, qui oderunt vos*<sup>1)</sup>. Et quis tu pulvis et cinis, ut tam claro Domini praecepto obari audeas? 3. Qui inimicum odit, nec Deum amat. Si dixerit, *quoniam diligo Deum, et fratrem suum rit, mendax est*<sup>2)</sup>. Qui ergo Deum amare cupit, etiam inimicum diligat oportet. Ut districtius dicam, etiamsi corpus flagellis discerpat, jejuniis extenuet, zelo animae consumat; nihilominus si charitatem proximi non mererit, si aversionum viperas in animo nidulari permittat, nihil est, illusus est.

Quapropter conscientiam hic discutiamus, et inquiramus, ne alienationes, odia, aut inimicitias vel levis vindictae ditates mente foveamus? Si ejus generis bestias in horto nostro stabulari deprehenderimus, eas mox in apricum ractas in ara charitatis ad pedem crucis Christo pro suis vicis morienti victimas immolemus, 1. de malevolis semper amice sentiendo; 2. semper honorifice de apud alios loquendo; 3. pro eis frequenter orando; 4. humili comitate praeveniendo, beneficia et officia deferendo.

### Affectus.

*Actus dilectionis inimicorum.* O vindex legislator! insonat in auribus meis tuum illud magnum charitatis praeceptum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos*<sup>3)</sup>. Et cum amare te nequeam, nisi simul et proximum diligam, toto corde amo omnes inimicos, malevolos, persecutores et calumniatores meos tanquam filios Dei et fratres habeo, quia tu sic vis, et jubes; et quia amo te, hinc et proximum meum praesertim hunc N. N. diligo propter te. In amore tui ignosco omnibus eo prorsus modo, quo a te ignosci meaque peccata remitti cupio; teque impense amo, ne ullas illis propter me poenas irroges.

<sup>1)</sup> Luc. 6, 27. — <sup>2)</sup> 1. Joan. 4, 20. — <sup>3)</sup> Matth. 5, 44.

Tu Domine, da nobis fraternae charitatis augment  
in mutuo amore constantes, illuc omnes perveniam  
nos aeternum in te diligemus.

*Actus obedientiae.* O mi Jesu! cum tu fueris o  
usque ad mortem, et quidem mortem crucis, tuo hoc e  
animatus, obediam et ego omnibus Superioribus,  
omnibus . . . idque semper, integre, prompte, cae  
hoc agam etiam pro eo casu, quo illae quatuor  
stantiae puncto hujus meditationis secundo superius  
sitaе concurrerint; ut videlicet probem, me *crede*  
dicenti: *Qui vos audit, me audit*<sup>1)</sup>; me fidere as  
*Vir obediens loquetur victorias*<sup>2)</sup>; me *amare te*  
omnia, etiam supra meipsum, praecipuas animae fac  
intellectum nempe ac voluntatem tibi generose pe  
dientiam sacrificando.

*Desiderium similitudinis cum Christo per  
Humilitatis gradum obtinendae.* O anima! resp  
faciem Christi tui in cruce tribus clavis suspensi.  
in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui  
Humilitatis gradum altissime conscendit, dum in fer

aerumnis vivere ac mori, quam felicem in his terris vitam ducere, idque propter me.

Et ego te eadem in re imitari recusem? ego illecebris inhiem? ego honores et vitae commoda preensem? ego, foedissimus peccator, aeternos contemptus, dolores et miseras jam pridem promeritus. Ego, te Duce ac Rege meo, summos inter dolores et contemptus in cruce propter me exspirante, cuticulam foveam, honorari, ac commode haberi appetam? Ah! vivit Deus, quia non faciam rem hanc. Caelum testor, quia malo cum Jesu spreto, paupere et afflicto pariter contemptam, pauperem atque aerumnosam ducere vitam, quam honoribus, commodis, ac divite fortuna frui, licet par foret beatitudinis meae spes; idque solum ob majorem cum Christo similitudinem.

„Elici quoque hic poterunt illi affectus, quos in hodiernae lectionis §. II. num. 2. usurpandos esse indicavi; ita tamen, ut plus semper temporis tribuatur desiderio patiendi, seque abjiciendi ob majorem cum Christo similitudinem, etiamsi par meritum foret etc. etc.“

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 2. cap. 12.

est obventurae nobis beatitudinis exemplar et pignus  
ea enim Apostolus variis in locis securos nos reddit  
ait: *Fidelis sermo: si commortui fuerimus, et convit  
si sustinebimus, et conregnabimus*<sup>1)</sup>: *si tamen co  
mur, ut et conglorificemur*<sup>2)</sup>. Ita est: *Jesus Ch  
reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratu  
pori claritatis suae*<sup>3)</sup>. De hoc vel dubitare nefa  
nam *fidelis sermo est: Deus promissis certo stabit,  
jectam eis conditionem servaverimus; scilicet si C  
commortui fuerimus; si simul sustinebimus: si  
compatimur; tunc certo etiam convivemus, certo con  
binus, certo conglorificabimur. Uno verbo: si  
plantati fuerimus similitudini mortis ejus, simul et  
rectionis erimus*<sup>4)</sup>. Quid certius sponderi, quid  
possit?

Præterea mensura nostrae felicitatis respondebi  
fectioni, qua Christum imitati fuerimus. Hujus denuo  
habemus gentium Doctorem Paulum, dicentem: *Sc  
quod sicut socii passionum estis, sic eritis et cons  
nis*<sup>5)</sup>. Nempe fidelissimus Dux noster ad amussi  
nebit. quod nobis in meditatione de Regno Christ

Hinc gaude, o vocata ad societatem crucis anima! nam quo profundius nunc contemptiois pondere deprimeris, eo altius cum tempore super omnes caelos elevaberis: quo pluribus nunc pauper indiges, eo majoribus divitiis tunc abundabis: quo acrioribus nunc doloribus affigeris, eo uberiores erunt quatuor illae dotes, quibus corpus tuum aliquando redivivum ornabitur. Uno verbo: quo copiosius nunc bibis ex calice passionis, eo largiori voluptatis torrente olim potaberis. Futurorum igitur bonorum spe praesentes miseras solare; indeque contemptus, paupertatem et aerumnas aestimare, amare ac desiderare disce, utpote quae aeternae gloriae, immensarum opum ac caelestium deliciarum certa et perennis scaturigo sunt. Post certitudinem, etiam

## Punctum III.

Considera speratae in caelo gloriae magnitudinem<sup>1)</sup>. In primis magna sunt caeli gaudia, quia sunt infinita tum ob infinitudinem malorum, quae excludunt, tum ob infinitudinem bonorum, quae includunt. Caelestes Beatorum sedes non solum excludunt omnes omnino dolores corporis et aerumnas animae; sed insuper complectuntur omnes possibili- et excogitandas voluptates. Hoc ipsum corpus tuum, cuius modo appetitus domas, quodque mortificatione ma- pstra in servitutem redigis, claritate solem, et agilitate ventos superabit, subtilitate vero et impassibilitate angelos sequabit.

Anima autem tua etiam majoribus abundabit deliciis. In quibus tunc gaudiis illa diffluet, dum sibi in memoriam revocabit gratias, quibus consensit, tentationes, quas vicit, pericula peccandi, quae vitavit, bona, quae praestitit, virtutes, quas exercuit, asperitates, quibus se afflixit carne- que edomuit. O superi! exclamabit tunc beata in caelis

<sup>1)</sup> Cfr. Catechism. Rom. p. 1. c. 13. q. 6 et 7.

anima, equidem potuissem et ego damnari, potuissem ex-cidere hac felicitate mea. O mi Deus! si ibi huic N. tentationi succubuissem, si huic impulsui restituissem, si has mihi concessas in illis exercitiis gratias neglexissem, ubi nunc essem? ah periissem! Sed per Dei gratiam restiti, vici, consensi. En! illi socii olim ac familiares mei vici succubuerunt et perierunt; nunc miseri ardent in inferno, ardebuntque aeternum. Et ego beata sum, pariter futura aeternum. O sanctas afflictationes! o beatos contemptus! o felices aerumnas! o tertium Humilitatis gradum! Sine vobis actum erat de me; nec in primo Humilitatis gradu firma substitissem. Sed nunc per vos beata sum, salva sum, eroque aeternum. O Felicitas! Et haec sunt illa jubila, in quae erumpet praeteritorum *reminiscens* anima.

*Intellectus* vero illius intuebitur Deum non *per species*, non *in aenigmate* aut *speculo*, sed *facie ad faciem*<sup>1)</sup>, *sicuti est*<sup>2)</sup>; et quidem modo perfectissimo, visione clarissima, intuitu quasi comprehensivo. *Voluntas* ejus amore fructivo possidebit Deum, et in Deo possidebit omne bonum. Nullum optabit gaudium, quo non statim potietur, nullum concipiet desiderium, quod non statim implebitur; imo non tantum habebit omnia, quae desiderat, sed tanta insuper beatitudinis plenitudine satiabitur, ut nil amplius supersit, quod desiderare queat. En! ad quam felicitatem per tertium Humilitatis gradum subvehatur illius appetens anima.

*Secundo* magna sunt caeli gaudia, quia insuper sunt *aeterna*. O vocem sono quidem tenuem, sed sensu gravem! caeli gaudia sunt aeterna. Ita est: anima electa in caelo possidebit gaudia infinita, eaque possidebit aeternum sine ullo metu ea unquam perdendi. Id docet fides. O quam suavis erit haec cogitatio: beatus sum, in caelo sum, eroque aeternum. Cor meum innatat mari purissimarum et perfectissimarum deliciarum, eique innatabit aeternum. Incom-

1) 1. Cor. 13, 12. — 2) 1. Joan. 3, 2.



prehensam infinitamque beatitatem possideo, eamque possidebo aeternum. *O vere nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum*<sup>1)</sup>. *Ibi quot cives, tot reges*<sup>2)</sup>.

Si autem res ita se habet; ergo nihil non agendum et patiendum est, ut hac bonorum *infinitate* et *aeternitate* potiamur: ergo serviendum est Deo, imitando Christum in tertio Humilitatis gradu: ergo accurate executioni mandanda sunt concepta hactenus correctioris vitae proposita; nam non sunt *condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*<sup>3)</sup>. Ita est: non sunt condignae; *id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis, supra modum in sublimitate aeternae gloriae pondus operatur in nobis*<sup>4)</sup>.

Hoc autem si credimus, nonne ergo stultissimi sumus, si pro futile honore, levi commodo, vili recula aut momentanea sensualitate illum caelestis gloriae gradum negligimus, quae horum omnium abnegationi respondet? Nonne nobismet ipsis inimicissimi sumus, si vile officium, humile domicilium respuimus, si illam nostri victoriam, illumve actum heroicum omittimus, qui tantam nobis gloriam, tamque immensam felicitatem promereri potuisset. *O quantopere aliquando tertium Humilitatis gradum neglexisse dolebimus! O quam ardentibus votis illum olim elegisse optabimus! Proin jam nunc, ah! quomodo non sordet nobis terra brevi deserenda, cum caelum aspiciamus aeterno dominio possidendum*<sup>5)</sup>.

### Affectus.

*Doloris.* *O conditor siderum! quid egi, dum illi gratiae restiti, illum virtutis actum omisi, illos contemptus fugi, has asperitates horruï? Ah! integra aeternitate majoris*

---

1) 1. Cor. 2, 9. — 2) S. August. — 3) Rom. 8, 18. — 4) 2. Cor. 4, 17. — 5) S. August. in sent. 270.

felicitatis prodige me abdicavi. Ob metum levis et momentaneae tribulationis aeternum gloriae pondus imprudens abjeci. Occasionem perpetuo te, o amor pulcherrime! apertius intuenti et ardentius amandi temerarius neglexi; et (o fluite lacrimae!) ob vilem gloriolam, levem commoditatem, brevem gustum neglexi!

*Propositi.* Verum saniora animo nunc insident sensa. *O Rex supreme ac Domine universorum! tua fretus gratia et ope renovo concepta in contemplatione de Regno Christi proposita, attestans coram infinita bonitate tua, nec non in conspectu gloriosae Virginis Matris tuae, totiusque curiae caelestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut quam possim proxime te sequar, et imiter in ferendis injuriis et adversis omnibus<sup>1)</sup>; uno verbo, in tertio Humilitatis gradu. Idque agam, ut etiam ego particeps efficiar promissionum et gloriae Christi, utque illi compatiens et commortuus, eidem in caelis pariter convivam et conregnem.*

*Spei.* *O Domine Jesu! sicut dixisti et promisisti, sic utique fiet, mihique promereri continget.* En! in meditatione de duobus vexillis suscepi crucem de manu tua; portabo eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi; spe fretus, quod facies me consedere tecum in regno Patris tui<sup>2)</sup>; quodque futurus sim socius consolationis, sicut fuero passionis<sup>3)</sup>, et particeps victoriae ac felicitatis, prout laborum et molestiarum tuarum socius existitero<sup>4)</sup>. *Reposita est haec spes mea in sinu meo<sup>5)</sup>.*

*Desiderium caelestis gloriae.* *O supernae civitatis mansio beatissima! O dies aeternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa Veritas usque irradiat; quae semper laeta et segura nunquam statum mutas in contrarium. O quam magna est multitudo dulcedinis*

<sup>1)</sup> In lib. exercit. ad finem med. de regno Christi. — <sup>2)</sup> Thom. a Kemp. l. 3. c. 56. — <sup>3)</sup> 2. Cor. 1, 7. — <sup>4)</sup> In lib. exercit. in contempl. de regno Christi. — <sup>5)</sup> Job. 19, 27.

*tuae! O bone Jesu! quando stabo ad videndum te mortis victorem? quando contemplabor gloriam regni tui tot aerumuis comparatam? quando ero tecum in regno tuo, quod parasti ab aeterno dilectis tuis, tuis, inquam, in via crucis sequacibus? O quando veniet haec beata et desiderabilis hora, ubi mihi eris omnia in omnibus<sup>1)</sup>.*

*O Fons vitae, vena aquarum viventium! quando veniam ad aquas dulcedinis tuae de terra hac deserta, inopia et inaquosa, ut videam virtutem et gloriam tuam, qua a morte redivivus splendes, et satiem ex aquis misericordiae tuae sitim meam. O quando veniam, et apparebo ante faciem tuam, ut exosculer gloriosa lateris, manuum pedumque tuorum vulnera! O dies praeclara, in qua audiam: intra in gaudium, intra in domum Domini tui; ubi erit omne bonum sine omni malo; ubi erit, quidquid voles, summa securitas, aeterna beatitudo. O gaudium super omne gaudium, quando intrabo in te?<sup>2)</sup> Satiabor, cum apparuerit gloria tua<sup>3)</sup>.*

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 3. cap. 49.

---

LECTIO  
PRO ULTIMO EXERCITIORUM DIE.

§. I.

I. Sicuti prima exercitiorum hebdomas ad viam purgativam, secunda et tertia ad illuminativam, ita quoque hebdomas quarta, cui ultima haec dies impenditur, ad unitivam pertinet; quia in illa per desiderium caeli, amorem Christi et Dei, nec non per conformationem voluntatis nostrae cum divina unimur *ultimo Fini* nostro, quem nobis S. P. Ignatius

---

<sup>1)</sup> Thom. a Kemp. l. 3. c. 48. — <sup>2)</sup> S. August. in Soliloq. — <sup>3)</sup> Psalm. 16, 15.

jam in fundamento seu in diei primae exercitatione prima ideo contemplandum proposuit, ut secundum prudentiae regulas ultimum in executione esset quoque primum in intentione; utque prospecta felicitate termini, *ad quem tendimus*, eo facilius permoveremur ad relinquendum terminum, *a quo* recedendum nobis est, scilicet *peccatum*.

Quod ut eo certius perficeret sanctus Asceta, divinae offensae gravitate ac novissimorum memoria, nos cum Filio prodigo ad *noxae* praesertim lethalis *execrationem* et ipsarum etiam *radicum* ejus *extirpationem* per *nostri ipsius cognitionem* perduxit, et una in viam salutis ac virtutis adduxit. Hanc autem ut tuto pede percurreremus, in meditatione de Regno Christi *Ducem* nobis proposuit *Christum*, in paupertate praesertim, contemptu et sui afflictatione imitandum; ut sic contraria contrariis opponendo, vitiosae illi opum, honorum et deliciarum appetentiae, utpote malorum omnium fonti, eo efficacius occurreret.

Praeterea in meditatione de duobus vexillis et tribus hominum classibus insuper ad conscendendum etiam *tertium Humilitatis gradum* nos animavit, nobisque persuasit, ut sponte eligeremus, potius cum Christo spreto, paupere et afflicto contemptam pariter, atque aerumnosam ducere vitam, etiamsi felices, divites et honoratos dies vivendo parem Deo laudem et aequale obsequium exhibere possemus, solum majoris cum Christo similitudinis ergo. In quo concepto animi decreto ut nos confirmaret, altissimae asceseos Magister Ignatius heri *Christi patientis*, hodie *resurgentis* historiam proponit, ut ejusdem partim *exemplo*, partim *gloria* ad constantiam excitati, in consensu pridie tertio Humilitatis gradu amplius solidaremur.

Quam apte autem quarta haec hebdomas viae, ut aiunt. unitivae respondeat, ex ipsa tractandarum hodie rerum serie constat. Nam praecipua, quibus Deo unimur, vincula sunt amor Dei, desiderium caelestis patriae, *conformatio voluntatis nostrae cum divina*, ardens meditatio.

assidua animi collectio, nec non tenera gloriosae humanitatis Christi et affectu plena contemplatio. Haec enim est ostium, per quod ad Divinitatem recta introducimur: haec est vinculum, quo omnium arctissime Numini unimur: haec denique efficacissimum et facillimum est medium elevandi mentem ad Deum, et a creaturis ascendendi ad Creatorem, uti citatis Patrum testimoniis fuse probat Suarez. Cum ergo ista omnia praesenti hac die in praxin deducantur, patet, eam jure optimo viae unitivae annumerari.

II. Porro fructus praesenti die colligendus multiplex est. 1. *In hac hebdomade id sedulo agentum, ut magis magisque confirmemur in tertio Humilitatis gradu*<sup>1)</sup>. Quippe hunc in finem *proponuntur resurrectio Christi eaque gaudia, quae etiam in hoc mundo eam consecuta sunt*<sup>2)</sup>. Nempe ut exemplum Christi pauperis, contempti et afflicti eo libentius imitemur, ostenditur nobis hodie idem ipse Dux noster, sub cujus vexillo nos stipendia merituos promisimus, mutata jam scena, caelestibus divitiis, gloria et deliciis triumphans, ut quos prior patientis Servatoris conditio affligerat, posterior haec resurgentis felicitas denuo erigeret, nosque ad eum etiam in statu suae annihilationis sequendum magis incitaret, atque insuper similis consurrectionis spe ad persistendum in electo nuper tertio Humilitatis gradu animaret.

Accedit, quod sine hoc gradu ultimus exercitiorum scopus obtineri nequit; hic enim in eo consistit, ut dulcissimo charitatis vinculo cum Deo, qui ultimus noster, ob quem conditi sumus, finis est, intime jungamur. Ad hoc autem requiritur, ut illa prius omnia removeantur impedimenta, quae huic amoris et unioni obesse possunt. Cum ergo per tertium Humilitatis gradum praecipua hujus conjunctionis obstacula, scilicet appetentia honoris, commodorum

---

<sup>1)</sup> Diertins in explanatione exercit. sub. init. hebd. 4. — <sup>2)</sup> Directorium c. 36. n. 1.

citatio, quae charitatem, exercitiorum finem et se  
proxime excitant, fortius alunt, atque amplius prom  
quales sunt fervens quotidie meditatio, assidua ment  
lectio, voluntatis nostrae cum divina conformatio, ac  
derium caelestis patriae. Geminae priores commen  
in examine status, tertia virtus inculcatur in ho  
consideratione, ad quartam incendimur puncto tertio  
tationis primae.

3. *Tertius fructus* est clarior Christi Deique n  
et intensior utriusque amor, quae propria est ac pr  
animae viam unitivam permeantis occupatio. Ad utr  
obtinendum insigni nobis adjumento est meditatio se  
hodiernae diei et ultima, quarum illa Christi, haec  
Dei cognitionem et charitatem nobis instillat. Unde i  
patet, quam arcto omnia nexu inter se colligentur,  
selectis aptisque mediis ad praefixum finem perduc  
quamque frustra nihil et supervacaneum in toto  
reperiatur. Ut proin jure Suarez de S. P. Ignatio  
que exercitiorum libello enunciet: *Nihil, quod in  
sultationem spiritualem ordinarie venire possit, int*

*meditationes addi posse*<sup>1)</sup>, tum ex nexu rerum; nil enim ad aestimandum, amandum et appetendum tertium Humilitatis gradum, id est, contemptum, paupertatem et aerumnas, potentius nos animat exemplo Christi; hujus autem exempli vis eo major erit, quo amplius et ardentius persona imitanda aestimatur et amatur. Id ergo ut fiat, ejusdem dotes ac singularis erga nos amor convenientissime praesenti hoc die proponuntur.

Praeterea cum hactenus toti fuerimus in meditanda Christi vita, passione et gloria; ordo postulat, ut electi Ducis amori sequens exercitium impendatur, ut eo tam arduae imitationis asperitas ac correctioris vitae rigor asperso quasi balsamo condiatur et mitigetur. Nam, ut testatur pius Asceta, *amor Jesu nobilis solum leve facit omne onerosum, et fert aequaliter omne inaequale: onus sine onere portat, et omne amarum dulce ac sapidum efficit*<sup>2)</sup>.

III. Ut autem enumeratus paulo ante triplex hodiernae huius fructus eo melius obtineatur, ex mente S. P. Ignatii sequentes *additiones* erunt observandae. 1. Interdium cogitationibus non nisi laetis et glorioso illi, de quo paulo ante meditati fuimus, vel proxime meditaturi sumus, mysterio respondentibus immorandum erit. 2. Lucis et caeli utendum erit commoditate, quae sese offeret, puta per tempus vernalium, herbarum virentium et florum aspectu, aut aprici loci amoenitate; per hiemem vel solis vel ignis opportuno calore: et ita de ceteris corporis atque animi oblectationibus congruis, per quas Creatori et Redemptori nostro congaudere queamus. 3. Mitigandus mortificationis externae rigor, isque conformandus erit illi, quo hebdomade secunda usi sumus. Nil tamen minuendum est de accurata observatione ordinis diurni, silentii aliarumque additionum;

---

<sup>1)</sup> *Direct. c. 36. n. 1.* — <sup>2)</sup> Thom. a Kemp. l. 3. c. 5. n. 3.

praecipue vero curandum, ne quid legatur vel scribatur, quod exercitiis non congruat.

Cavendum praeterea est ab ea daemonis fraude, qua ille nobis persuadere nititur, remitti hodie aliquid posse ab illa animi contentione, fervore et accuracione, qua hactenus exercitiis nos impendimus. Licet enim spirituali laetitiae indulgendum sit, tamen interdum de animi collectione et praescripto spiritus ardore, praecipue sub ipsis meditationibus nihil omnino diminuendum erit. Quin imo augenda haec potius omnia sunt, tum ne tepidiori coronide priorem conatum corrumpamus: tum quia intima cum Deo per amorem conjunctio, quae ultimus hominis et primarius exercitiorum finis est, intensiorem modo fervorem expetit. Proin si unquam alias, hodie profecto vires mentis sunt intendendae, et praescriptis exercitationibus summa diligentia est insistendum.

IV. Ceterum *affectus*, quos praesenti die potissimum elicere oportet, sunt varii, nempe: 1. *gaudii*, quo gratulemur Christo tam insignem relatum ab hostibus triumphum, et acceptam propterea gloriam; quae certe maxima est tum ob nominis, quod inde accepit, sublimitatem; nam Deus *donavit illi nomen, quod est super omne nomen*<sup>1)</sup>: tum ob potestatis, quae ei concessa est, plenitudinem; quippe *data est ei omnis potestas in caelo et in terra*<sup>2)</sup>.

Ubi tamen notandum, ita Servatoris felicitati congruendum esse, ut etiam nos *immensum ejus gaudium participemus*<sup>3)</sup>. Sicut enim heri tolerantiae Christi ita erant expendendae, quasi etiam nos flagellorum ictus et coronae punctiones sentiremus, mistum felle vinum gustaremus, et sputorum foetorem odoraremus; ita pariter hodie eo gaudii genere perfundi nos decet, ac si etiam nos *sentiamus in nobis, quae Christus redivivus sensit*<sup>4)</sup>, nempe eandem

---

<sup>1)</sup> Philipp. 2, 9. — <sup>2)</sup> Matth. 28, 18. — <sup>3)</sup> In praefat. 3. med. 1. hebd. 4. — <sup>4)</sup> Philipp. 2, 5.



cum ipso claritatem, gloriam et voluptatem. Et sicuti heri non quaevis compassio sufficebat, sed talis requirebatur, quae simul in nobis pareret odium carnis et amorem crucis; ita quoque ejusmodi hodie gaudium est concipiendum, quo simul excitemur ad contemnenda terrena et caelestia appetenda secundum illud Apostoli: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite: quae sursum sunt sapite, non quae super terram*<sup>1)</sup>; nec non tale, quo insuper animemur ad commoriendum cum Christo per tertium Humilitatis gradum, ut pariter cum eo consurgere mereamur.

2. Alter affectus est actus *spei* ac *desiderii* obtinendae similis cum Christo beatitudinis. Hunc in finem ex mente Directorii<sup>2)</sup> meditationis matutinae puncto tertio actum fuit de magnitudine caelestis gloriae, ut nempe illius consideratione mens eo ardentius in praedictos affectus erumpat. Ne vero hi steriles sint, identidem reflectendum erit ad conditionem, sub qua Christus eam nobis promisit, videlicet *et compassi, et commortui fuerimus*; si concepta proposita servaverimus, et delineatam nudius tertius correctioris vitae ideam in opus deduxerimus. Frustra enim desiderat coronari, qui refugit praeliari; incassum sperat extolli in caelis, qui renuit abjici in terris.

3. Tertius affectus, cui ut plurimum hoc die vacandum, est actus *amoris* erga Christum et Deum. Ubi tamen imprimis duo notanda sunt. *Primum, quod amor ipse ab operibus magis, quam a verbis pendeat. Secundum, quod consistat amor in mutua facultatum, rerum et operum communicatione, puta scientiae, divitiarum, honoris et boni cujuscunque*<sup>3)</sup>. Quaeis indicatur, *non sufficere teneriorem, quendam affectum, quem quis in se sentiat; neque eo contentum esse quemquam debere. Verum est enim, quod ait S. Gregorius, probatio amoris*

---

<sup>1)</sup> Coloss. 3, 1. — <sup>2)</sup> Direct. c. 36. n. 1. — <sup>3)</sup> In lib. exerc. ad vit. contempl. de amore spiritali.

*exhibitio est operis; et amor ubi est, magna operatur; et ubi operari renuit, amor non est*<sup>1)</sup>. Haec monita ut effectui dentur, ingenti adjumento erit contemplatio ultima de amore spirituali, cujus modo cum ceteris nexus est explicandus.

## §. II.

I. Creatus est homo, ut Deum agnoscat et amet; id vidimus in diei primae meditatione I. de Fundamento. *Amor Dei* fructivus in caelo est suprema felicitas hominis: *amor Dei* practicus in hoc mundo est summa perfectio hominis. 2. Hic autem amor consistit in *conformitate* voluntatis nostrae cum divina, vi cujus cum Deo idem velimus vel nolimus, idem sapiamus et appetamus; ubi enim mutua voluntatum consensio non est, ibi nec amor est. 3. Haec conformitas supponit *electionem* ex Numinis nutu factam, vi cujus eligamus Creatori servire in eo statu, et in electo jam statu in eo perfectionis gradu, etiam in tertio Humilitatis gradu, in quo is sibi nos servire voluerit. 4. Haec electio ut rite fiat, praerequit *indifferentiam* nostrae voluntatis ad quatuor illa bonorum genera a S. P. Ignatio in exercitatione de Fundamento relata, nempe ad divitias vel paupertatem, ad honores vel contemptus, ad sanitatem vel aegritudinem, ad vitam vel mortem; vi cujus ad solum Dei nutum alterutrum fugiamus vel vitemus; si enim quis eligere nollet, quod tamen eum eligere Deus vellet, nulla hic voluntatum consensio, adeoque nec amor foret. Est ergo haec ad quidvis indifferentia omnino necessaria ad bonam electionem, et ad praedictam conformitatem, adeoque etiam ad Dei amorem, in quo hujus vitae perfectio et intentus jam in fundamento exercitiorum scopus consistit.

<sup>1)</sup> Directorium c. 36. n. 3. — Et S. Gregor. homil. 30. sup. *Evangel.*: „Nunquam est amor Dei, inquit, otiosus. Operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est.“

Quod huic divino amori omnium maxime adversatur, est peccatum; huic eliminando ejusque fontibus exsiccandis primam hebdomadem impendimus. Cum autem concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae tanquam tristes effectus et poenae labis originariae voluntatem nostram ad quaerendos honores, delicias, opes vitaeque commoda naturali quodam pondere nimium inclinent; hinc ut nostra voluntas praedictam indifferentiam animique aequilibrium acquireret, debuit illa, proposito Christi exemplo, inflecti in oppositam partem, et per tertium Humilitatis gradum inclinari ad aestimanda, amanda et quaerenda, quae natura per lapsum originarium corrupta spernit, odit et fugit, nempe contemptum, pauperiem et aerumnas; id quod per reliquas hebdomades factum. Jam vero cum exemplum Christi unicum fuerit incitamentum, quo nos S. Pater ad sublimem adeo perfectionis gradum adduxit, cumque exempli vis eo efficacior sit, quo magis persona imitanda aestimatur et amatur; hinc etiam meditatio de amore Christi hic inseritur, qua ad utrumque incitemur, nempe ad aestimandas et amandas Christi dotes, praeeminentias et perfectiones.

Superest proin id unum, ut postquam mediante Christi exemplo delineatam in prima hebdomade indifferentiam, et per hanc, electo tertio Humilitatis gradu, optatam conformitatem acquisivimus, nunc pro coronide exercitiorum nos amore practico etiam nostro fini ultimo, nempe Deo jungamus. Huic itaque amoris exercitio vespertina meditatio est consecranda; ubi omnibus animae facultatibus, omnibus corporis viribus laxandae erunt habenae, ut nunc saltem per unicam horam illi negotio vacemus, quo nos per totam aeternitatem occupandos speramus. Itaque si aliqua, certe praesens haec dies summo cum fervore inter caelestes amoris aestus erit transigenda; cumque S. P. unum vel plures dies huic contemplationi velit impendi, nos saltem modicum hoc tempus duplicato ardore eidem conse-

ad eam rite dispositi reperiantur; S. P. Ignatius suis exercitiis semper et omnibus prodesse cupiat sub finem hebdomadis quartae explicat tres orandi omnium genio et capacitati accommodatos.

*Primus* non tam habet orationis formam quam citationis cujusdam spiritualis, quo 1. mandata Dei et Ecclesiae, 2. peccata capitalia, 3. operationes animae facultatum, et 4. quinque corporis sensuum tam speculative quam practice percurreuntur, exan scilicet, quomodo contra illa, aut per haec deliquimus his ultimis vero usi, vel abusi fuerimus: tanto tempore spatio punctorum cuilibet immorando, quo oratio decenter recitari possit. Circa *praecepta* insuper expectabit, 1. quam justa sint, 2. quam salubria, 3. quam. Circa *peccata* non abs re erit considerare quam foet quamque noxia sint; contra vero quam pulchrae existant oppositae illis virtutes. In facultatibus animi sensibus corporis discutere convenit, quam nobiles sunt et utiles sint, quemque in finem nobis a Creatore datae? Pro coronide hujus exercitii agantur Deo

tempore immorandum est, cujus praevaricatio rarior nobis accidit; at eo diutius illi, ubi lapsus fuerit ex assuetudine frequentior.

*Secundus* orandi modus est morosa meditatio significationis, quae latet in verbis et sensu alicujus orationis v. g. dominicae vel salutationis Angelicae, aut cujusdam Psalmi, vel alterius sacrae Paginae loci; tamdiu in qualibet voce vel constructione meditationis pedem figendo, quamdiu circa eam aliquid ruminandum nobis occurrit. Differt a primo orandi modo 1. ratione *materiae*; nam ille ut plurimum versatur circa actus licitos vel illicitos, praeceptos aut vetitos; iste vero circa precationem aliquam, aut pium quoddam effatum, vel sententiam gravem ponderandam occupatur. 2. Discrepat ratione *finis*; nam prioris modi usus non solum est speculativus sed etiam practicus; cum ex *occasione* etiam tendat ad correctionem morum; hujus vero modi scopus sit mere speculativus; cum principaliter spectet solam intelligentiam significationis. Quodsi nobis in una voce vel duabus meditatio afflueret cum interna simul delectatione, postponenda erit transeundi cura, licet tota sic hora praeteriret; qua elapsa reliquum orationis cursini recitetur.

*Tertius* orandi modus est ipsissimus secundus orandi modus, sed brevior et minori cum mora; nempe solum ad unam respirationem commensuratus, ita ut in considerandis vocibus singulis alicujus orationis non tamdiu haereamus, quamdiu nobis quicquam significationis vel pii sensus circa eas incidit; sed ut tantum praecise temporis insumamus, quantum communiter una respiratio solet. Proin tertius hic modus differt a secundo solum per hoc, quod hic sit brevior, imo brevissima meditatio significationis latentis in verbis et sensu alicujus orationis, ille vero sit morosa et diuturnior ejusdem significationis meditatio. Ut paucis absolvam, *primus* habet plus examinationis, *secundus plus meditationis*, *tertius simplicior* est, minus habens et exa

minationis et meditationis. Plurimum tamen is conducit et juvat, ut assuescamus facere orationem vocalem cum attentione et devotione debita. *Quapropter hoc exercitium valde utile est iis, qui obligantur ad horas canonicas*<sup>1)</sup>.

De cetero cum primus orandi modus ad sui cognitionem et animi purgationem utilissimus sit, ejusdem usus primas hebdomadi magis proprie convenit, potestque etiam rudioribus tradi. Quod vero ad capaciores attinet et meditantiperitos, notat Directorium, sufficere iis, ut exercitiorum tempore triplicem hunc orandi modum addiscant, quo in posterum per anni decursum uti sciant. Proin in ipsi exercitiis ab ejusmodi capacioribus dicti modi non *facile* erunt usurpandi. Dico: *facile*; addit enim Directorium eos etiam octiduanae hujus solitudinis tempore adhiberi posse v. g. *tunc cum aliquis est fatigatus, vel male habet, vel minus bene dispositus est ad longiorem meditationem*<sup>2)</sup>.

III. Ceterum illae regulae, quae a S. P. Ignatio in fine libelli exercitiorum additae sunt, nempe *de distribuendis eleëmosynis, scrupulis dignoscendis, ut cum Ecclesiis sentiamus*, hae, inquam, regulae solum tradendae sunt iis, quos illae concernunt, nempe locupletibus, scrupulosis et Verbum Dei tractantibus; nec non iis, qui versantur inter heterodoxos. Quapropter eas fusius hic explicare supersedeo; cum ab illis, qui iis indigent, ex libro exercitiorum legi possint.

Dein licet quatuor illae, in quas exercitia dividuntur, hebdomades dicantur respondere tribus viis, purgativae scilicet, illuminativae atque unitivae, id tamen non ita accipiendum est, ac si peracta hebdomade prima, jam perfecte quis et plene purgatus, finita autem secunda et tertia jam perfecte illuminatus esset, et denique absoluta etiam quarta

<sup>1)</sup> Direct. c. 37. n. 12. — <sup>2)</sup> Direct. c. 37. n. 11 et 13.

quasi ad plenam quis unionem cum Deo jam pervenerit. Haec enim omnia indigent longiori tempore ac majori studio.

Hae quatuor igitur hebdomades his tribus viis respondere dicuntur, 1. quia *materiae*, quae in earum quaque tractantur, pertinent ad has vias, 2. quia in eis jaciuntur *initia* singularum, quae deinde oportet proseguere, 3. quia discitur *methodus*, quam postea servare debemus in proseguenda unaquaque harum viarum. Quamdiu autem earum cuilibet immorandum sit, non tam dependet ex spatio temporis, quo alicui vacavimus, quam ex mensura profectus, quem in ea percurrere fecimus. Imo hic gradus ad altioram viam non tam ab electione nostra, voluntate ac conatu pendet, quam a directione Spiritus sancti, cujus mos est, ascensiones istas in anima disponere, ut eat de virtute in virtutem.

Ceterum antequam aliquis exerceat se ex professo in via unitiva, oportet, ut bene purgatus sit exercitiis viae purgativae, et deinde etiam bene profecerit in via illuminativa. Nam si quis omissis prioribus niox transvolare vellet ad viam unitivam, res foret plena periculi et illusionibus obnoxia. Proin gradatim progrediendum est, diuque et ordinarie sese continere convenit in via purgativa et illuminativa, id est, potissimum vitae tempus consecrare decet tum extirpandis vitiis, tum virtutibus acquirendis. Imo geminae hae viae plerumque sunt commiscendae et conjungendae. Praeterea nihil impedit, ut dum aliquis versatur in una via, sentiat interdum aliquos affectus pertinentes ad aliam viam; modo ii non exercentur ordinarie et ante tempus<sup>1)</sup>. Quin necessarium est, ut viae unitivae intenti, ad purgativam et illuminativam identidem redeant; ita tamen ut ordinarie seu ut plurimum actibus viae unitivae convenientibus sese impendant.

---

<sup>1)</sup> *Direct. c. 39. n. 1 et seq.*

Porro generalia hausti in exercitiis fructus cavendi media sunt sequentia: 1. fervens quotidie meditatio; 2. quotidiana conscientiae discussio; 3. octiduana compositio et communicatio; 4. stabilis confessarii electio, cui orationes quae ad animam pertinent, communicentur; 5. frequenter libri lectio, cum bonis conversatio, malorum fuga, orationes quae occasionis peccandi solers evitatio; 6. animi collectio ac solitudo.

Multum praeterea ad constantiam in bono conducuntur: 1. ut quis magni aestimet hoc principium et quasi fundamentum vitae bonae, quod per Dei gratiam jecit in exercitiis: 2. ut timorem concipiat, ne, si deinceps non vivat ut intellexerit esse vivendum, gravius a Deo puniatur: 3. ut intelligat, se nil aliud adhuc fecisse, nisi quod bonum semen in ejus anima seminaverit, quod nunc cura fovendum, colendum et ad maturitatem perducendum sit<sup>1)</sup>. Denique excellentissimum obtinendae constantiae medium est amor Christi, cujus motiva sequens meditatio exponet, quae praecipue tria sunt, nempe 1. ejus humanitatis decora: 2. ejus ob divinitatem excellentia: 3. ejus erga nos amor. Cumque ea ob materiae vastitatem brevior excurrat, poterit punctum ejus primum in tempore lectioni destinatum transferri.

---

MEDITATIO II.

DE AMORE CHRISTI.

Punctum I.

*Ejus Humanitatis decora.* I. Christi corpus est verum plenum Dei, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo

---

<sup>1)</sup> Ibid. c. 40.



tatis corporaliter<sup>1)</sup>; non solum per *nebulam*, ut Solomonis tempore, ubi *gloria Domini impleverat* Domini<sup>2)</sup>. Est opus absolutissimam Spiritus sancti; *virtus Altissimi obumbravit Mariae*<sup>3)</sup>, ex ejus purisanguinibus illud prodigiose efformando, ita ut corpus unquam subtilius, excellentius nullum in universo neque perfectius fuerit productum. Est officina innum meritorum, nec non perpetuorum juxta atque unum miraculorum. Est *sanctuarium sanctitatis*<sup>4)</sup> animae Christi impeccabilitatem, tum ob visionis aeternae et amoris fructivi intensionem. Ita ut Christus dicitur *Sanctus sanctorum*<sup>5)</sup>, et *magnificus in sanctis*; imo ipsa sanctitas in gradu prorsus eminentissime est dignum Verbi Divini habitaculum, in quo per Patrem suae Potentiae, Filium suae Sapientiae, Spiritum suae Beneficentiae thesauros plena manu effudit. In Deum in fabricanda foederis arca, si in exstruendo templi in templo, quae tamen non nisi nuda corporis figura fuerunt, *fecit potentiam in brachio suo*<sup>7)</sup>; quid ergo SS. Trinitatem in exornando Verbi Divini templo omnes quasi suae magnificentiae thesauros pro-

portant aeterea summa est corporis Christi pulchritudo eximia partium proportione, ex claritate et impassibilitate, quas dotes tanquam *caput corporis Ecclesiae* praesentantis et *primogenitus mortuorum*<sup>8)</sup> in gradu empossidet. Ad haec si in terris degens adeo tempecaelesti comitate majestatem prae se tulit, ut multi, qui cibi potusque obliti, per plures eum dies secuti si tanta ejus pulchritudo in monte Taboraeo exiret discipulos in ecstasin rapuerit, quali quantaque in caelis formositate excelleret, stola gloriae amictus?

Coloss. 2, 9. — 2) 1. Reg. 8, 10 et 11. — 3) Luc. 1, 35. — 4) b. 45, 4. — 5) Dan. 9, 24. — 6) Exod. 15, 11. — 7) Luc. — 8) Coloss. 1, 18.

Certe pulcherrimum adeoque et amabilissimum esse oportet illum, in cujus faciem desiderant Angeli prospicere, cujus aeterno intuitu nec Seraphini satiantur, qui olim per totam aeternitatem sensuum nostrorum beatitudinem constituet, in terris vero aeterno Patri objectum summi amoris et complacentiae fuit, secundum illud Matthaei: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*<sup>1)</sup>.

II. Si autem tanta est pulchritudo corporis Christi quanta, quaeso, erit formositas ejusdem animae? Asserere eam longe excedere omnium Angelorum ceterorumque Caelitum pulchritudinem, quam ii tum a natura tum a gratia habent, idem est, ac contendere, totum hoc universum gram sinapis majus esse. Christi enim *memoria est imago Dei invisibilis*<sup>2)</sup> et speculum vivum divinarum perfectionum eas perenni recordatione jugiter recolens et contemplans *In intellectu ejus omnes thesauri sapientiae et scientiam Dei sunt absconditi*<sup>3)</sup>; nam a primo statim creationis momento *facie ad faciem*<sup>4)</sup>, id est, cognitione intuitiva eaque sublimissima pervidebat divinam essentiam, nec non SS. Trinitatis mysterium, cunctasque perfectiones divinae pernoscebat<sup>5)</sup>. In Deo tanquam in pellucida crystall

---

<sup>1)</sup> Matth. 3, 17. — <sup>2)</sup> Coloss. 1, 15. — <sup>3)</sup> Coloss. 2, 3. — <sup>4)</sup> 1. Cor. 13, 12. — <sup>5)</sup> De scientia Christi, ut hominis, juxta communem Theologorum sententiam tenemus: 1) Christus ut homo beatus Dei visione statim a conceptu potitus est, fuitque simul viator et comprehensor. Cfr. S. Thom. p. 3. q. 15. a. 10. Perrone Praelect. vol. IV. Part. II. Cap. II. §. 291. „Ita attemperavit gaudium, quod ex visione beatifica profuebat, ut non impedierit affectiones proprias humanae naturae. Utrumque enim certum est, tum Christi animam visione beatifica ab ejus creatione donatam esse, tum humanis affectionibus metus, tristitiae ac taedii obnoxiam fuisse, ut et Christi corpus doloribus affectum ex naturali infirmitate et conditione.“ Cfr. Estius in lib. 3. Sent. Dist. 15. §. 3. ubi rem explicat, et §. 4. ubi objectiones, quae ex visione Christi beata repetuntur, solide diluit: delectationem scilicet contemplationis divinae, qua ab initio Christi animae fruebatur, singulari quadam dispensatione sic retentam fuisse in mente, ut in partes inferiores animae tam sensitivas quam alias non derivaretur: itaque nihil obstatisse, quo minus in illis locum habere posset

clarissime distingebat omnes res praeteritas, praesentes et futuras, et quaecunque sunt in potentia creaturae, non tamen, quaecunque sunt in potentia Dei creantis<sup>1)</sup>; ita ut omnis omnium angelorum scientia in unum collata huic scientiae Christi comparari non possit<sup>2)</sup>. *Voluntas* ejus

---

vel dolor sensibilis, vel quaecunque alia poenalis affectio. Quanta, quanta autem fuit visio beatifica animae Christi, omnium ceterorum beatorum longe clarior ac perfectior, semper tamen subjective finita fuit. — 2) Anima Christi statim a primo conceptionis instanti perfectissima humana, eaque supernaturaliter infusa, rerum omnium scientia, nulli errori aut ignorantiae obnoxia, fuit donata, etiam iis naturalibus scientiis, quas homines studio et industria acquirunt; cfr. S. Thom. I. a. a. 3: et Antoine edit. P. Offermann S. J. Tract. de incarnat. Part. 3. Cap. II. a. §. 133—140. — „Ignorantiam, inquit S. August. lib. 2. de peccat. merit. cap. 29, „nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis.“ — „Credimus, ait S. Cyrill. Alex. lib. 3. contra Nestor. „ex ipso ventre uteroque Emmanuelem ipsum, qui Deus erat, hominem prodidisse plenum omnino sapientia et gratia, quae illi naturaliter inerat. Quodnam igitur incrementum caperet ille, in quo sunt omnes thesauri sapientiae?“ Quod si ergo Infans dicitur sapientia, aetate et gratia profecisse apud Deum et homines, hoc solummodo de manifestatione sapientiae et gratiae externa intelligendum: „Corpore aetate crescente, inquit S. Athanas. orat. 4, „in illo quoque crescebat major divinitatis explicatio, omnibusque ostendebatur templum Dei ipsum esse, et Deum esse in corpore.“ Similia et S. Cyrill. habet lib. 3. cont. Nestor. Quin imo S. Joan. Damascen. lib. 3. cap. 22. eum Christi profectum, qui paulatim factus intelligitur per gratiae et Sapientiae accessionem, ad haeresin Nestorianam rejicit; non quod necessario dividat personas in Christo, sed quod olim haec Nestorii sententia tanquam scripturis adversa, et a Catholico sensu aliena et cum primaria ejus haeresi magis consentiens damnata est. Cfr. Estius lib. 3. Sent. Dist. 13. §. 3. — Naturae humanae Christi proin nulla deneganda est perfectio, quae cum statu merendi et fine Incarnationis consistit, et cujus est capax humanitas. Cfr. etiam Catechism. Rom. part. 1. cap. IV. de art. 3. q. 4. Nr. 4: „Ut primum conceptus est (Christus), illius anima uberrimam Spiritus Dei copiam atque omnem charismatum abundantiam accepit: neque enim, ut aliis hominibus, qui sanctitate et gratia ornantur, ipsi ad mensuram, ut testatur S. Joannes 3, 34, dat Deus spiritum; sed omnem gratiam tam affluenter in ejus animam infudit, ut de plenitudine ejus nos omnes acceperimus. Joan. 1, 16.“ — <sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. p. 3. q. 10. a. 2. — <sup>2)</sup> Scientia Christi animae indita, quantum ad multitudinem cognitorum et scientiae certitudinem, multo excellentior fuit quam Angelorum scientia; quantum autem ad modum

quoque est gratia habituali, cujus intensionem et extiam nullus intellectus creatus, nec Angelicus comprehend potest. Si enim gratia immanens B. Virginiae et tanta ac talis fuit, quanta non fuerit gratia Christo et Cujus Humanitas adeo sancta fuit sanctitate personali Verbi, non quidem instar formae in natura humanam receptae, sed instar termini substantialis, nam naturam ultimo completis.

In summa: Christus, filius Dei naturalis, est personarum, virtutum atque excellentiarum mare incensum, quod quo quis amplius scrutatur, eo plures gratiarum abyssos detegit, quae nova semper et noveditant argumenta amoris. O quis igitur mihi discorda, quot guttae sanguinis venas perfluunt, quibus illud objectum, cujus sola Humanitas ob tot tantasque infinito amore dignissima est!

#### Punctum II.

*Christi ob Divinitatem excellentia.* Nihil sacram Christi Humanitatem sic elevat ac Natura divina

divina unum aliquid totum componere; quo factum est, ut proprietatum seu idiomatum communicatione ea conveniant homini praedicata, quae soli Deo competunt, et vicissim Deo, quae homini; adeoque vi hujus unionis Deus appellari possit debilis, passus, mortalis, mortuus; homo vero immensus, omnipotens, omniscius. Quis non obstupescat Humanitatem Christi a Divinitate multo amplius pervadi, ac penetrari quam ferrum candens ab igne, aërem a luce, crystallum a solaribus radiis. Quanti ergo nos Christum facere oportet, quantopere adamare et affici nos decet erga istud divinae Omnipotentiae prodigium, erga stupendum adeo omnis excellentiae compendium, erga potentissimum hoc amoris illicium?

Dein Jesus est unigena Dei filius, figura substantiae ejus, Sacerdos et Pontifex, ac primogenitus omnis creaturae. Jesus sedet ad dexteram Patris: ipse est omnia, per ipsum et in ipso sunt omnia, et sine ipso nihil sunt omnia. Ille pacem composuit Deum inter et homines, reconcilians ima summis: Ille pro nobis in Justitiae tribunali advocatum egit: Ille *delevit, quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci*<sup>1)</sup>. Haec cum ita sint, quis ergo non totis viribus diligit illum, cujus tanta est tamque immensa ob unitam sibi Divinitatem excellentia? Et tamen (*obstupescite caeli super hoc!*)<sup>2)</sup> et tamen rarus est, qui hoc pulchritudinis et excellentiae miraculum debito amore prosequatur; qui illius pulchritudinem attente contempletur, ac dotes serio expendat. O Superi! Jesus non amatur! ille Jesus, qui totus ardet amore nostri.

#### Punctum III.

*Christi erga nos amor.* Hic expende, quis, quem, quove modo diligit? 1. O homo! *qui te amat, Filius Dei*

1) *Coloss. 2. 14.* — 2) *Jer. 2, 12.*

est, consubstantialis Patri, Rex gloriae, Dominus dominantium, beatitudo electorum, neminis indigus, infinite beatus, qui omnia scit, et potest. 2. *Quem* vero is amat, est nihilum et peccatum, putredo et cinis, ingratum et rebelle monstrum, vitiorum et orci mancipium, iteratis peccatis denuo crucifigens sibimetipsi Filium Dei. 3. *Modus* autem, quo te amat, est sine modo. Nam amor, quo Jesus te diligit, longe major est illa dilectione, qua omnes Seraphini et Caelites SS. Trinitatem prosequuntur: qua omnes junctim creaturae te amare possunt: qua tu te ipsum diligis; imo etiam illa aliquatenus dilectione, qua Christus se ipsum complectitur; cum tibi omnia sua, omnia patriae commoda, omnes corporis delicias, omnem famam et honorem, omnem denique sanitatem et vitam stupendo prorsus modo, summum contemptum, pauperiem, cruciatum et mortem acerbissimam tolerando sacrificarit, animamque posuerit, non pro delendis Angelorum peccatis, sed tuis, o ingrate! in redemptionis negotio tuam humanam angelicae naturae praefereudo. Certe si *nemo majorem dilectionem habet*, quam qui *animam suam ponit pro amicis suis*<sup>1)</sup>, maxima Christum erga te flagrasse evidens est, cum etiam pro te inimico eandem posuerit.

Praeterea Jesus te amat amore continuo: *in charitate perpetua dilexit te*<sup>2)</sup>; eoque constanti: *cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*<sup>3)</sup>; summe benevolo; nam, *cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est*<sup>4)</sup>; gratuito; licet praeviderit, huic suo amori non nisi offensas repensum iri. Quin imo etiam alios quosvis amare te, tibi que benefacere jubet, etiamsi eorum inimicus existas, dicens: *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos*<sup>5)</sup>; idque mandat, interminando insuper eis niferorum poenas, ni morem gesserint.

---

1) Joan. 15, 13. — 2) Jer. 31, 3. — 3) Joan. 13, 1. — 4) Rom. 5, 8. — 5) Luc. 6, 27.

Haec profecto manifeste demonstrant, Christi erga nos norem a nullo intellectu creato comprehendi sat posse; accipue illum, quem nobis in Eucharistia demonstrat; si non tantum nobis offert suam carnem in sacrificium, unguinem in lavacrum, se ipsum in exemplum; sed inper in cibum, potum et medicamentum; ita quidem, ut on tantum nihil in eo sit, quod nobis non pleno jure esserit; sed nec alius perfectior modus se nobis dicandi b Angelico intellectu excogitari possit. Ex his conclude, nam merito gentium Doctor Paulus exclamet: *Si quis non amat Dominum nostrum, Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha*<sup>1)</sup>.

### Affectus.

Credo, Domine Jesu Christe, quia Deus et homo es; Deus ex substantia Patris ante saecula genitus: et homo ex substantia matris in tempore natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens: aequalis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem<sup>2)</sup>; quem constituit Deus in caedem universorum, per quem fecit et saecula: qui, in se splendor gloriae et figura substantiae ejus, portans omnia verbo virtutis tuae, et purgationem peccatorum faciens, sedes ad dexteram Majestatis in excelsis<sup>3)</sup>. Credo, tibi qua Deo competere omnes divinas perfectiones, qua homini omnes gratias et virtutes, qua salvatori omnes dotes et praerogativas. Haec omnia firmissima fide teneo, quia ista Veritas aeterna nobis credenda proponit.

Adoro te summa, qua possum, demissione propter excellentiam tuam infinitam, o Rex regum et Domine dominantium<sup>4)</sup>! coram quo merito omne genu flectitur cae-

<sup>1)</sup> 1. Cor. 16, 22. — <sup>2)</sup> In symbolo Athanasii. — <sup>3)</sup> Hebr. 1, 1 et seq. — <sup>4)</sup> Apoc. 19, 16. Uno eodemque supremo laetiae culta

*lestium, terrestrium et infernorum*<sup>1)</sup>). Ut hac ratione meam a te omnimodam dependentiam, subjectionem ac servitutem profitendo, supremo tuo in me resque omnes dominio debitum homagium praestem. O utinam facere possim, ut *omnis terra adoret te, et psallat tibi*<sup>2)</sup>). Saltem vos mecum *adorate cum omnes Angeli ejus*<sup>3)</sup>).

Gaudeo ex animo, et gratulor tibi, o Jesu! eam, qua praeditus fulges, sapientiam, sanctitatem, potentiam, pulchritudinem et gloriam; etiam illam, quae in te resultat ex tot gloriosis Martyribus, sanctis Confessoribus, Angelorum aemulis Virginibus. O utinam felicitati tuae, te Ducem ac Regem ad tertium Humilitatis gradum sequendo, vel minimum aliquod incrementum addere possem! O ut omnes te agnoscant ut Deum, revereantur ut Dominum, ament ut Patrem, audiant ut Magistrum, sequantur ut Ducem, et imitentur in amore paupertatis, contemptus atque aerumnarum!

Spem meam omnem in te repono. Et quidni? nam mihi omnia in omnibus es. *Si enim vulnus curare desidero, medicus es: si febribus aestuo, fons es: si gravior iniquitate, justitia es: si auxilio indigeo, virtus es: si mortem timeo, vita es: si caelum desidero, via es: si tenebras fugio, lux es: si cibum quaero, alimentum es*<sup>4)</sup>). Vere summum bonum et tota beatitudo mea es. O Jesus meus et omnia. Ah! quando *me adimplebis laetitia cum vultu tuo?*<sup>5)</sup> quando videbo virtutem tuam et glo-

---

humana Christi natura adoranda est cum Verbo divino, quocum est hypostatice conjuncta; et hoc est de fide. Cfr. Perrone Praelect. vol. IV. tract. de incarn. part. II. cap. IV. §. 520. — Cultus Sanctis propter Deum deferendus bifariam dividitur, in simplicem nempe *duliae* cultum, quo Sanctos, et *hyperduliae*, quo B. Virginem speciali ratione *prae ceteris* Sanctis, quos illa meritis et dignitate longe antecellit, honoramus. — Cfr. Perrone Praelect. vol. IV. tract. de cultu Sanctor. cap. I. §. 5. — <sup>1)</sup> Philipp. 2, 10. — <sup>2)</sup> Psalm. 65, 4. — <sup>3)</sup> Psalm. 7. — <sup>4)</sup> S. Ambros. lib. de Virgin. — <sup>5)</sup> Psalm. 15, 11.



na tuam? <sup>1)</sup>) O quis me liberabit de corpore mortis  
jus? <sup>2)</sup>) ut videam te facie ad faciem, et exosculer glo-  
ria vulnera tua.

Amo te o Jesu! *ut Deum*; quia es infinito amore dignus,  
ina sanctitate sanctus, aeterna bonitate bonus; imo sum-  
mum, aeternum, infinitum, unicumque Bonum nostrum.  
no te *ut hominem*; quia ex plenitudine gratiae et the-  
sauris Sapientiae Dei habes dignitatem et bonitatem super  
me, quod est, vel esse potest; quia tu SS. Trinitatem  
igitur, ab eaque vicissim diligeris, et quidem amore aeterno,  
continuo, perfectissimo intensissimoque. Denique amo te  
*Salvatorem*; quia tu es Caput nostrum, nos membra  
tu: tu pater, nos filii: tu sponsus, nos tuae deliciae: tu  
dominus, nos servi: tu pastor, nos oves pascuae tuae.

Amo te, quia tu nos prior dilexisti, et quidem, cum  
huc inimici essemus, dilexisti: idque usque in finem,  
amore sempiternum continuando; et ita dilexisti, ut *formam  
veri accipiens, et habitu inventus ut homo* <sup>3)</sup>), *laveris  
a peccatis nostris sanguine tuo* <sup>4)</sup>), *factus obediens  
quae ad mortem, mortem autem crucis* <sup>5)</sup>). Amo tandem,  
quia tuum nobis corpus et sanguinem in Altaris Sacramento  
amoris tesseram atque aeternae felicitatis pignus reli-  
quisti. Ex his omnibus motivis amo te ex totis viribus,  
per omnia, praesertim super omnem illam difficultatem,  
et in servandis conceptis hoc octiduo propositis occurret,  
crificando tibi per tertium Humilitatis gradum omnes  
vires, delicias et opes.

O Domine Jesu Christe, qui dixisti: *Petite, et  
accipietis. quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur  
vobis; quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui*

---

<sup>1)</sup> Psalm. 62, 3. — <sup>2)</sup> Rom. 7, 24. — <sup>3)</sup> Philipp. 2, 7. —  
Apoc. 1, 5. — <sup>4)</sup> Philipp. 2, 8.

*amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus* <sup>1)</sup>).

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 2. cap. 7 et 8.

---

CONSIDERATIO

**DE CONFORMITATE VOLUNTATIS NOSTRAE CUM DIVINA.**

Cum finis ultimus hominis et exercitiorum scopus sit unio animae cum Deo tanquam cum primo et summo omnium centro; haec autem in perfecto illius amore, iste vero in plena conformitate voluntatis nostrae cum divina consistat, rerum nexus postulat, ut nobis praesenti haec consideratione caelestis haec virtus commendetur, ejusque 1. excellentia, 2. aequitas, 3. utilitas seu emolumenta ob oculos ponantur, ut horum meditatione ad eam in praxin deducendam incitemur. Est autem haec conformitas habitualis quaedam dispositio animi seu habitus, quo quis praesto est ad perficienda et ferenda ea omnia, quae Deus ab ipso fieri et ferri cupit.

I. *Hujus virtutis excellentia.* Prodigium in orbe maximum, et quo majus Omnipotentia Numinis operata haud legitur, est illa etiam Angelicis mentibus obstupescenda conjunctio Verbi divini cum natura humana Christi, quam in Deo-Homine adoramus. Alterum est conjunctio maternitatis foecundissimae cum illibata virginitate, quam in Deipara veneramus. Post gemina haec sapientiae, charitatis, et potentiae miracula sublimius aliud opus, quod caelo gratius, nobisque salubrius sit, haud invenio, quam conjunctionem voluntatis nostrae cum divina. Haec enim est

---

<sup>1)</sup> August. in Psalm. 17.

entissimus ille victricis gratiae triumphus, quem ea luntate humana, salva ejus libertate, gloriose repor-  
Haec est illa virtus, quae mentem nostram in suaviss-  
caelesti Sponso hortum, in gratissimum Deo tem-  
et intimius conclave convertit; ubi SS. Trinitas morari  
t et optat secundum illud Christi promissum: *Ad-  
veniemus, et mansionem apud eum faciemus*<sup>1)</sup>.

Haec conformitas est sacrificium omnino perfectis-  
simulque Numini acceptissimum; quia homo per id  
Majestati immolat, quod sibi charissimum est pre-  
simumque; cum ille nil aegrius exuat, quam propriam  
tatem. Abjiciendo divitias, spernendo honores, abdi-  
delicias offert homo *sua*; hic vero offert *se*. In aliis,  
Creatori sacrificat, rebus consecrat ea, quae jam  
pleno jure Numinis sunt; hic autem dedicat volunta-  
cujus liberum arbitrium in hominis est potestate. Et  
ejusdem cum divina conformatio est perfectissimus  
ultus, excellentissimum cordis sacrificium et suavissi-  
totius hominis holocaustum; cum per hanc etiam illud  
subjiatur, quod solum nostra malitia vi liberi arbitrii  
subtrahere potest. Quo fit, ut ad amissum satisfaciat  
vinae petitioni: *Praebe, fili, cor tuum mihi*<sup>2)</sup>.  
perfecto sublimissimam virtutis hujus excellentiam  
e demonstrant.

Hujus exercitii studiosus intimo quodam cognationis  
rentelae vinculo cum Servatore nostro conjungitur  
dum illud ejus effatum: *Quicumque fecerit volunta-  
Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et  
et mater mea est*<sup>3)</sup>. Quid autem excellentius,  
a Christo fratris ac matris loco haberi, imo iisdem  
modo etiam praeponi? uti ex allegato contextu colli-  
est, ubi Christus *dicenti sibi: Ecce mater tua et  
es tui foris stant, quaerentes loqui tibi; respondit.*

Joan. 14, 23 — 2) Prov. 23, 26. — 3) Matth. 12, 50.

*Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? et extendendo manum in discipulos dixit: Ecce mater mea et fratres mei*<sup>1)</sup>), spiritualement hanc cognationem, in adimplentione divinae voluntatis fundatam, illi carnali ac naturali longe praefereudo.

Praeterea ejusmodi homo est velut alter Christus; nam imprimis eodem, quo ipse, vescitur cibo: *Meus cibus est, satetur ipsemet, facere voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus*<sup>2)</sup>). Ergo, qui Jesum in hoc imitatur, eodem, quo ille, cibo vesci cognoscitur. Dein facere voluntatem Dei, est quasi essentiale et proprium Christo; cum ipse de se dicat: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem, Deus, voluntatem tuam*<sup>3)</sup>). Qui ergo paria cum eo sensa animo fovet, illum perfecte refert, ac proximi est velut alter Christus.

Imo sic affici, teste Bernardo, *deificari est. Nam velle, quod Deus vult, hoc jam est, esse similem Deo; non posse velle, nisi quod Deus vult, hoc est etiam esse, quod Deus est*<sup>4)</sup>). Sicut enim si duae junctim cerae liquefiant, unum quid evadunt; ita pariter homo per hanc voluntatum conformitatem quodammodo idem quid cum Deo efficitur. Et hinc Sponsa in Canticis ait: *Anima liquefacta est*<sup>5)</sup>), tanquam cera in omnem formam ductilis. Quae verba commentatur Laurentius Justinianus, dicens: *Liquefacta est per incendium charitatis, parata videlicet instar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos divinae voluntatis*<sup>6)</sup>). Quid autem hoc aliud, ac *deificari est*? Accedit, quod talis anima participat duo praedicata, soli Deo propria, nempe impeccabilitatem et infallibilitatem. Nam faciendo voluntatem Numinis, sequitur ducum divinae Sapientiae: ergo nequit falli. Insuper agit secundum re-

<sup>1)</sup> Matth. 12, 47. — <sup>2)</sup> Joan. 4, 34. — <sup>3)</sup> Psalm. 39, 9. —

<sup>4)</sup> Bern. tract. de diligendo Deo cap. 10. — <sup>5)</sup> Cant. 5, 6. —

<sup>6)</sup> — I. 4 de bond. B. V.

ulam infinitae sanctitatis: ergo nequit peccare. Quid hoc liud suo modo est, *quam esse, quod Deus est?*

4. Praeterea sola conformitas voluntatis nostrae cum ivina est virtus omnium temporum omniumque statuum, l est, talis, cujus exercitatio omnibus convenit, et aeternum urabit. Nam paupertas rerum, vilitas vestium, asperitas itae non semper nec omnibus quadrant; humilitas, patien- ia, mortificatio, ipsa etiam fides et spes cum vita nostra unum quoque finem habebunt. At vero voluntatem Dei erficere, omni tempori omnibusque conditionum generibus onvenit; nemo enim unus est, qui non semper et ubique rbitrio divino se submittere queat. Quid quod caeleste oc exercitium a Beatis per totam aeternitatem sit conti- uandum; ut proin ejusmodi hominis occupatio in terris it ea ipsa, quae est et erit Angelorum Sanctorumque a caelis.

Ad haec excellens hoc conformitatis studium omnes lias virtutes complectitur; inibi enim nostra nitet fides, edendo, nil accidere citra nutum Numinis: inibi confi- entiam nostram testamur, permittendo nos ductui providae onitatis: inibi patientiam, humilitatem, poenitentiam, for- itudinem exercemus, submittendo nos divinae Justitiae agellis. Insuper est devotio omnium tutissima, cum nullis, t aliae virtutes, illusionibus aut orci fraudibus obnoxia it. His autem quid sublimius dici possit? Ex his facile irtutis hujus excellentiam colliges.

II. *Ejus aequitas.* Ipsa ratio dictat, aequum esse, t quod rectum est, regat id, quod distortum est; et quod n se ipso est immutabile nullique vitio obnoxium, corri- gat id, quod labile est ac vitiosum. Jam vero Dei volun- as recta est, immutabilis et essentialiter saucta; tua vero ncurva est, inconstans et prava: illa est infinite sapiens t justa; tua est ipsa caecitas et iniquitas. Uno verbo: illa est prima morum regula et falli nescia recti norma; tua non est nisi error et peccatum. Ergo aequum est,

concludit Augustinus, *ut voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam; prava enim est tua, regula est illa; stet ergo regula, et quod pravam est, ad regulam corrigatur* <sup>1)</sup>; id enim exigit aequitas.

2. *Voluntas Dei est voluntas dominans; nam omnia subjecta sunt ei* <sup>2)</sup>. Ergo aequum est, ut omnis humana eidem sit subjecta. Sicut enim, quia Esse divinum est Ens primum ac summum, eidem omnia entia creata necessario subdi debent: ita etiam, quia voluntas divina est omnium prima et summa, eidem omnis voluntas creata necessario conformari debet. Sicut solis regibus competit usus coronae; sic etiam soli Deo competit facere voluntatem suam. Ergo iniqua rebellio est, divinae humanam praeferre: illa rejecta, propriam sequi, eamque nostrae aptari velle. Et tamen plerumque, ut deplorat Augustinus, *haec est in hominibus magna et usitata perversitas, ut, cum debeant ipsi vivere secundum voluntatem Dei, ipsi Deum velint vivere secundum voluntatem suam; et cum ipsi nolint corrigi, illum velint depravari* <sup>3)</sup>. Quae haec iniquitas! Et quam sapiens proin illud S. P. Ignatii effatum: *Volo et Nolo non habitant in nostra domo*.

3. *Voluntas Dei non minus est sancta et aequa, quam verax et sapiens est ejusdem Numinis intellectus*. Ergo cum fidei loquentis mox caecum deferamus assensum, cur non etiam sanctitati et aequitati jubentis, seu aliquid volentis subditum praestemus obsequium? An non aequum est, ut suam voluntatem filius, discipulus, servus, vasallus voluntati Patris, Magistri, Domini et Regis prompte submittat? Priores ergo tituli cum homini convenient, posteriores autem Deo; nonne justissimum est, humanam divinae

<sup>1)</sup> August. in Psalm. 31. — <sup>2)</sup> 1. Cor. 15, 27. — <sup>3)</sup> August. in 46.

abdi voluntatem? En! quanta hujus virtutis aequitas sit. Summa est insuper

III. ejusdem *utilitas*; quia nobis etiamnum in his terris degentibus duo insignia confert emolumenta, nempe perfectam *sanctitatem* et completam *felicitatem*. Ad *primum* quod attinet, certum est, nostram perfectionem in eo positam esse, ut voluntatem Dei accurate adimpleamus, utque nos sanctiores fore, quo magis eidem conformes erimus. Constat id ex triplici ratione. 1. Nam imprimis quis sanctior est, quo conformior existit normae omnium sanctitatis. Haec ergo norma cum sanctissima Dei voluntate sit, evidens est, nostram perfectionem ex nostrae cum illa conformitate colligendam esse; adeoque eo perfectiorem uemvis fore, quo magis se eidem conformaverit.

2. Dein eo sanctiores erimus, quo Christo, qui omnis sanctitatis absolutissimum exemplar est, similiore existimerimus. Cum ergo omnis ejusdem sanctitas posita fuerit in omnimoda conformitate humanae suae voluntatis cum divina; sequitur, etiam nos tantum eidem similes, adeoque perfectos fore, quantum eundem in hac conformatione imitati fuerimus.

3. Denique perfectio et sanctitas nostra in charitate consistunt; nam *plenitudo legis est dilectio* <sup>1)</sup>. Charitas item in adimplerione divinae voluntatis sita est secundum verbum Joannis effectum: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me* <sup>2)</sup>. Ergo etiam nostra sanctitas et perfectio in hac ipsa divinae voluntatis executione consistit; *haec est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra* <sup>3)</sup>. Proinde manifestum est, eo nos sanctiores fore, quo magis eidem conformes existiterimus; adeoque hanc virtutem nobis maximum in his terris bonum, nempe perfectissimam *sanctitatem* adferre; quae primum est commendatae virtutis emolumentum. Ut omittam ingentia merita,

<sup>1)</sup> Rom. 13, 10. — <sup>2)</sup> Joan. 14, 21. — <sup>3)</sup> 1. Thess. 4, 3.

quae ille sibi colligit, qui ad Dei voluntatem se prorsus conformat. *Coronat adeo Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem*<sup>1)</sup>.

*Alterum* est completa, qua ejusdem studiosi etiamnum vivi beantur, *felicitas*. Nam 1. hac in vita ut felices simus, requiritur immunitas ab omni malo. Jam autem solus ille, cujus voluntas divinae prorsus est conformata, extra jactum est malorum, tum eorum, quae moralia vocantur, scilicet peccatorum: tum eorum, quae naturalia dicuntur, nempe calamitatum. Peccatum enim non est aliud, quam nostrae contra divinam voluntatem rebellio. Liquet autem, ibi nullam ejusmodi posse dari rebellionem, ubi perfecta regnat utriusque consensio; ergo nec peccatum. *Cetera* mala nobis mala non sunt, nisi quatenus voluntati nostrae adversantur; statim enim atque aliquid volumus, desinit id esse malum, nobisque fit bonum teste Chrysostomo: *Passus es aliquid mali? si velis, non est malum: gratias Deo age, et mutatur malum in bonum*. Itaque si etiam nos voverimus, quidquid Deus vult, certissime erimus ab omni malorum non solum moralium, sed etiam naturalium genere immunes; hoc ipso enim, quod nihil aerumnarum accidere nobis queat, quod sit divinae voluntati contrarium, etiam nihil evenire poterit, quod sit nostrae voluntati, priori conjunctae, oppositum. Ergo si illi semper conformes vixerimus, in his etiamnum terris beati erimus. *Cesset propria voluntas, et adeo infernus non erit*<sup>2)</sup>.

2. Praeter immunitatem a malo ad genuinam felicitatem insuper requiritur talis satietas votorum, ut nihil sit, quod quis cupere amplius possit. Hic autem est status eorum, qui contenti probant, quidquid ordinat Deus. Cum enim ii nil aliud cupiant, quam ut voluntas Dei semper fiat; haec autem necessario, absoluta si sit, adimpleri debeat; sequitur, ea semper fieri, quae evenire tales cupiunt;

<sup>1)</sup> S. August. — <sup>2)</sup> S. Bern. serm. 3. de Resurr.



leoque et voti eos semper compotes vivere. Deus cum s, et ii cum Deo plene contenti vivunt omnimoda votorum tiete beati.

3. Vulgatissima mortalium opinio est, illum esse felicem, cui nil accidit contra voluntatem. Id autem evenit i, qui divino se nutui in omnibus subjicit; nihil enim test accidere contra Dei voluntatem; cum ergo talis hominis voluntas cum divina conjunctissima sit, sequitur, etiam l accidere contra ejus voluntatem posse. Cumque omnia, ae accidunt, excepto solo peccato, Numinis provide nutu nt, etiam ille eadem approbat, grataque habet. Aegridines, bonorum jacturas, calamitates unico hoc armatus pro: *Hoc vult Deus*, hilari vultu excipit: tanquam aealto; in medio maris, insidens scopulo, gaudet furentes trae illidi fluctus, eosque immobilis ridet. Hinc proficisur tranquillitas illa mentis, pax et perpetua serenitas is ingeniumque sibi semper constans, quod in veris Dei rvis deprehendimus, quodque anticipatum his in terris radisum constituit.

4. Denique plenum appetentiarum dominium est magna icitas in his terris. Jam vero per hanc nostrae voluntis cum divina conformationem fidelis suorum affectuum rfecte domius evadit; cum enim ex solo Numinis nutu ndens, perinde habeat ad honores evehi atque infra alios jici, nulla is tentatur ambitione, nullam ipsi aliena subntas creat invidiam, nullum abjectio parit moerorem. im indifferenti affectu in fortunae bona feratur, iis nec ui metuit, nec ditari cupit. Solummodo illud amat et rret, quod Deus; in cujus provide sinu, omni abjecta i cura, felix quiescit. Id quod profecto completa his in rris *felicitas* est, quam una cum perfecta *sanctitate* haec luntatis nostrae cum divina conjunctio ejusdem studio; affert.

IV. Porro ad rationem implendae voluntatis divinae od spectat, attendendum erit ad *rem*, quae fit, ad mo-

*tivum*, ex quo res peragitur, et denique ad *modum*, quo aliquid perficitur. Nempe facienda sunt omnia, *quae* Deus vult, ob id solum, *quia* vult, eoque modo, *quo* is vult. Ut agamus, *quae* Deus vult, opus est, ut imposita status nostri munera perfecte adimpleamus; praecepta, regulas et vota accurate observemus, ac concepta in his exercitiis proposita ad effectum constanter deducamus. Ut *debito* ex *motivo* haec omnia peragantur, requiritur, ut remota omni sinistra intentione solum ideo ea executioni mandentur, quia Deus a nobis illa fieri cupit. Denique *perfecto* quoque *modo* omnia perficientur, si integre et cum prudenti virium contentione ad finem perducantur.

Ceterum voluntatem suam Deus nobis manifestat 1. per mandata, 2. per consilia, 3. per Superiorum jussa, 4. per internos instinctus, 5. per varios caelestis Providentiae casus. Adjumenta vero promptius exequendae voluntatis divinae praecipue sunt duo: *primum* est, ut crebris ad caelum suspiriis in illius notitiam venire optemus, cum regio Vate ac gentium Doctore frequenter ingemiscendo: *Domine, doce me facere voluntatem tuam* <sup>1)</sup>! *Domine, quid me vis facere?* <sup>2)</sup> *Alterum* est, ut saepius quasi e mentis specula provideamus, quid adversi nobis accidere possit? dicendo e. g. quid si Deus hunc mihi morbum, illam infamiam, istam afflictionem iumitteret? si hunc mihi amicum, haec bona, hoc officium eriperet, quid mihi animi foret? moxque ejus voluntati plene conformes exclamemus: *Paratum cor meum, Deus! paratum cor meum* <sup>3)</sup>.

Nam teste S. Augustino *quidquid hic accidit contra voluntatem nostram, sciendum est, non accidere, nisi de voluntate Dei, de ordine ipsius, de legibus ipsius* <sup>4)</sup>. *Summa autem prudentia est divinae voluntatis ac providentiae decretis acquiescere* <sup>5)</sup>; *cum certum sit, ac pro*

<sup>1)</sup> Psalm. 142, 10. — <sup>2)</sup> Act. 9, 6. — <sup>3)</sup> Psalm. 107, 2. — <sup>4)</sup> August. in Psalm. 148. — <sup>5)</sup> Salvianus.

*mi ratione sit, apud summam illam Rationem nihil ri sine ratione*<sup>1)</sup>. Proin vide, quomodo circa ista te beas? *Quippe tamdiu nostra voluntas bona, perfecta beata non erit, quamdiu suo Creatori perfecte subjecta n fuerit*<sup>2)</sup>; *cum totum hominis bonum in eo consistat, se conformet divinae voluntati*<sup>3)</sup>.

---

EXAMEN

CIRCA ANIMI COLLECTIONEM ET  
ORATIONEM.

Circa amorem spiritualem, cui ultima contemplatio con-  
ratur, tria potissimum sunt notanda, nempe 1. genuinum  
orem non tam verhis quam operibus probari; *cum pro-  
tio amoris sit exhibitio operis*. Id fecimus tertium Hu-  
ilitatis gradum conscendendo. 2. Verum amorem con-  
tere in mutua communicatione bonorum; quantum enim  
eri de bonis nostris communicamus, tantum et amamus.  
paulo ante egimus per conformationem voluntatis nostrae  
n divina; per hanc enim partem nostri optimam, imo  
; totos Dilecto consecravimus. 3. Solidum amorem  
igere, ut amans amatum sibi semper praesentem cupiat,  
ue colloqui ac uniri optet. Id quod obtinebitur per  
lectionem animi, nec non per studium orationis; per  
ec enim Deo semper praesentes erimus, eique intimius  
iemur. Quomodo ergo circa ista duo, nempe circa animi  
lectionem et orationem nos habeamus, breviter exami-  
binus.

I. *Collectio animi* est habituale exercitium intellectus  
voluntatis, quo quis Deum sibi continuo praesentem

---

<sup>1)</sup> *Greg. Nazian. orat. 5.* — <sup>2)</sup> *Bern. tract. de lib. arbitrio.* —  
*S. Thom. in conc. Dom. infra Octav. Epiphan.*

*credit et amat.* Ejus obtinendae adjumenta praecipue sunt duo. *Primum est cura silentii per custodiam cubiculi.* Vide proin, quam assiduus posterioris incola, quamque rigidus prioris custos sis? Conclavi non exeundum, nisi vel necessitas vel charitas vel obedientia id exigat. Num id observas? An non etiam tu extra cellam per domus ambulacra aut urbis plateas frequenter circumcursando te velut aquam totum in externa effundis, raro tibi, rarius Deo praesens? Talis si es, parum in virtute proficies; *qui enim intendit ad interiora et spiritualia pervenire, oportet eum cum Jesu a turba declinare*<sup>1)</sup>.

Circa locutionem ad tria est attendendum, nempe ad *tempus, materiam et modum*; ut nempe loquaris, quando licet, quae licent et prout licet ac convenit. *Stultus verba multiplicat*<sup>2)</sup>; *et lingua imprudentis subversio est ipsius*<sup>3)</sup>. Itaque examina, num sileas, quando *est tempus silendi*<sup>4)</sup> an *ineptas et inanes fabulas devites*<sup>5)</sup> an *verba, antequam ea enuncies, prius veniant bis ad linam, quam semel ad linguam*<sup>6)</sup> An non etiam tu illorum ex numero sis, qui omnia scire cupiunt, et novitatum ac nunciorum ridiculi aucupes sunt? Num observas istam regulam: *Priusquam audias, ne respondeas verbum, et in medio sermonum ne adjicias loqui*<sup>7)</sup>. Igitur *rectos ori tuo frenos pone*<sup>8)</sup>, ut loquaris, quando, quae et quomodo deceat. Hunc in finem *verbis tuis facito stateram*<sup>9)</sup>, in qua prius ponderentur, quam proferantur. Religiosus enim *non refrenans linguam suam, hujus vana est religio*<sup>10)</sup> et nulla animi collectio.

*Alterum* adjumentum acquirendae et conservandae hujus internae solitudinis est frequens exercitium praesentiae Dei, quod in eo consistit, ut de die saepius eliciamus tum actum

1) Thom. a Kemp. l. 1. c. 20. — 2) Ecclae. 10, 14. — 3) Eccli. 5, 15. — 4) Ecclae. 3, 7. — 5) 1. Tim. 4, 7. — 6) Bern. in speculo Monach. — 7) Eccli. 11, 8. — 8) Eccli. 28, 29. — 9) Ibid. — 10) Ibid. 1, 26.

*dei*, quo credamus, aeternam Mentem illam nobis intime praesentem adesse: tum *amoris*, quo eam in nobis habentem tenere amemus, nosque eidem ardenti affectu uniamur. Id quod fit per frequentia interdium ejaculanda suspiria.

Circa quae observanda sunt sequentia. 1. Missiles habitus sint breves, et partus non tam ingenii quam cordis, non tam studii quam fervoris; 2. ii tamen non sint nimis multi ac diversi, ne mentem aut obruant aut distrahant; dirigantur ad Deum non tanquam in caeli throno residentem, sed ut circa nos et intra animi penetralia commoventem. Itaque *considera semitas domus tuae*<sup>1)</sup>, et vide, quam haec observes? Expende sedulo, qua posthac solertia usum ea deducere velis? Ne vero quid remissius agas, cum exputa, sine animi collectione te haustum hoc otioso fervorem minime conservaturum, concepta hactenus reposita nequaquam executurum, ad amoris perfectionem nullatenus perventurum.

II. Ad orationem quod attinet tum *mentalem* tum *vocalem*, utpote quae caeleste illud flabellum est, quo divini amoris flammae accenduntur, et triplex ille funiculus, quo anima caelesti Sponso intimius unitur, inquire, 1. debitamne *mentali* precationi praeparationem semper praemittas? 2. Num mediteris *integre*, definito temporis spatio, *reverenter*, modesto corporis situ, *ardenter*, debito animi fervore? 3. An non plus temporis tribuas exercitio intellectus, quam voluntatis? 4. An semper concipias tale propositum, quod sit particulare, practicum et praesenti animae necessitati accommodatum? 5. Numquid meditationi finitae breve tempus subjungas examen? Errata corrige. Nam *nihil est his, quae per hanc vitam in pretio sunt, orationi praestat*<sup>2)</sup>; hac enim neglecta, nullum facies in virtute progressum, nullum referes de proximo fructum, imo peri-

---

<sup>1)</sup> Prov. 31, 27. — <sup>2)</sup> Gregor. Nyssen. de orat. Dom.

culum valde propinquum incurres excidendi gratia et vocatione religiosa.

Circa orationem *vocalem* praesertim horas Canonicas sedulo indaga, 1. utrum eas recites loco decenti, 2. tempore congruo, 3. situ modesto, 4. voce distincta, 5. mente attenta, 6. juxta Rubricas, 7. servato ordine praescripto? Defectus emenda. Nam immutabili Dei effato *maledictus est, qui facit opus Dei negligenter* <sup>1)</sup>. Cum ergo horae Canonicae vere et proprie sint opus Dei, utpote Psalmi a Spiritu s. dictati, merito maledictus erit, qui majori cum attentione legit novellas quam horas canonicas. *Quid enim aliud est voce psallere, mente autem domum et forum circumire, nisi homines fallere et Deum irridere?* <sup>2)</sup>

Haec circa orationem tam mentalem quam *vocalem* observasse, obtinendae per eam perfectae unioni divinoque amoris ingenti subsidio erit; cui inflammando efficacia sequens meditatio suppeditat incitamenta, cujus puncta sunt haec: Deus meretur amari 1. *ob amorem*, quo ille nos amat: 2. *ob modum*, quo nos amat: 3. *ob perfectiones*, quibus abundat.

---

### MEDITATIO III.

## DE AMORE DEI.

*Deus meretur amari ob amorem, quo ille nos amat.* Charitas Dei erga nos continet in gradu excellenti tres illas dotes, per quas S. P. Ignatio teste genuinus amor a spurio discernitur. Nam 1. magna operatur: 2. omnia sua amato liberaliter communicat: 3. ei semper perfectissime praesens adest.

---

<sup>1)</sup> 1. Cor. 48, 10. — <sup>2)</sup> Conc. Trevir. II.

*Primo.* Amor Dei erga te, o homo! *magna operatur.* Nam ipse te ex abyssu nihili prae tot aliis eductum ad imaginem suam formavit: ipse te tribus animae facultatibus, pleno sensuum usu, integris sanisque membris instruxit, et insignibus naturae dotibus ornavit. Ille tui amore hodie hunc orbem conservat, tuos ad usus animalia multiplicat, arbores vegetat, plantas producit, herbis prata, frugibus agros vestit et ditat. Ille te sole illuminat, stellis recreat, cibus nutrit, aqua humectat, igne fovet, aëre refrigerat, terra sustentat. Ille continuo ad omnes tuas actiones pro tuo libitu concurrendo, usque modo *operatur omnia in te*<sup>1)</sup>.

His adde magnum illud opus Redemptionis humanae; dum *non Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit*<sup>2)</sup>: nec non missionem Spiritus sancti, qui sanctificaret mundum, *doceretque omnem veritatem*<sup>3)</sup>: item adoptionem tui in filium Dei, fratrem Christi, et heredem caeli, denique collatam tibi gratiam baptismi, bonae educationis et vocationis ad veram fidem, statum religiosum et dignitatem sacerdotalem. Enimvero fecit *tibi magna, qui potens est*<sup>4)</sup>. Nempe amor magna operatur, ubi est.

*Secundo.* Praeterea Deus omnia sua bona, quin et se ipsum integre donavit, dum tibi dedit praecipua honorum genera, quae potens ejus brachium procreavit, scilicet res corporeas ad usum (singula minutatim expende), Angelos ad custodiam, gratiam ad meritum, caelum in praemium; dum tibi dedit Christum in magistrum, ejus vitam in exemplum, animam et corpus in redemptionis pretium, carnem in cibum, sanguinem in potum; dum denique omnes divitias sui amoris per Eucharistiam in te quasi effudit; ita ut nec omniscius sciat, nec dare quid melius omnipotens possit.

Insuper *maxima et pretiosa tibi promissa donavit,*

<sup>1)</sup> 1. Cor. 12, 6. — <sup>2)</sup> Hebr. 2, 16. — <sup>3)</sup> Joan. 16, 13. — <sup>4)</sup> Luc. 1, 49.

rita. Cfr. Trident. Sess. 6. cap. 4. — 2. Per eam peccata remitti, ibidem sess. 6. in decreto de peccato origin. n. 5; qua justificamur, intrinsicam nobis et inhaerentem esse, ibid. 6. can. 10 et 11. Atque haec quoad essentiam justificationis de fide. — Hujus justificationis causae sunt juxta Trident. 1. „*finalis* quidem, gloria Dei et Christi ac vita aeterna; *efficientis* misericors Deus; *meritoria* autem, D. N. Jesus Christus; *instrumentalis* item Sacramentum Baptismi; demum *unica formalis* causa Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit.“ —

3. In praesenti statu nullum datur medium inter Deum et ejus odium, quod generat peccatum, impediendo dilectionis effectum. Hinc sublato peccato, necessario reviviscit effectus dilectionis, quae non supponit bonitatem in subjecto, sed effluvit. Non potest proinde concipi remissio peccati, quin infusio gratiae, per quam homo interiorius renovetur, et ex opere fiat objectum amoris et dilectionis. Cfr. cl. P. J. Perrone V. Praelectionum part. 2. cap. 2. art. 1. §. 504; et S. Th. q. 113. a. 2; qui ibid. a. 8. ejus modum describens: „Justificatio est successiva, sed ordine naturae unum eorum est prius inter ea naturali ordine primum est gratiae infusio, secundum liberi arbitrii in Deum, tertium est motus liberi arbitrii in quartum est remissio culpae.“

4. Quod spectat ad justificationis dispositiones requisitas, eas apparent ex processu ipsius justificationis proposito Sess. 6. cap. 5, 6 et 7; unde tum harum necessitas, de qua ibid. claret, tum etiam apparet, praeter fidem, quae initium fundamentum omnis justificationis, firmus est assensus ad omnino revelata, eas esse timorem, spem, contritionem, seu as-



unicat. Et profecto, dum *Deus sic dilexit mundum, ium suum unigenitum daret* <sup>1)</sup>; dumque *proprio filio vepercit, sed pro te tradidit illum, quomodo non cum illo omnia tibi donavit?* <sup>2)</sup> Certe in hoc vel ne apparuit *charitas Dei* <sup>3)</sup> erga te.

*tertio*. Denique Deus suum tibi amorem etiam illo t, quod tibi intime praesens semper adsit per suam tiam, potentiam ac providentiam; 1. per *essentiam* dum illud Apostoli *in ipso vivimus, movemur, et s* <sup>4)</sup> amplius Deo quam aëre circumdati, penetrati, in- ; 2. per *potentiam*, nam ille in te vivit, vegetat, , videt, audit, cogitat, reminiscitur, discurret, dum omnes has actiones concurrat; 3. per *providentiam*, te velut filium sinu gerit, tutatur, fovet; mala a te do, bona tibi providendo, ac faciendo *cum ipsa etiam tione proventum* <sup>5)</sup>. Uno verbo: Deus tuo in cor-

---

it. can. 24. *ibid.*; est autem amissibilis per subsequens peccatum , can. 23 *ibid.*; et de ejus existentia non nisi *conjecturalem* quis otest habere certitudinem, *ibid.* cap. 9. — Cfr. Perrone l. c.

Tandem de meriti existentia, objecto et conditionibus requisimadvertimus, justos vere mereri augmentum gratiae, vitam am, et augmentum gloriae, haecque merendi virtutem inniti Dei cordiae et meritis Christi, atque omnia merita nostra Dei esse Haec sunt de fide. — Cfr. Trid. sess. 6. cap. 16, et can. 26

— Ad meriti de condigno conditiones quod pertinet, ex parte itis necesse est, is sit viator et justus; ex parte operis, illud sit m a necessitate, bonum et honestum, atque sit supernaturale tum entitatem seu essentiam, tum quoad motivum. Opus autem bo- x honestum illud censetur, quod tale est ex parte objecti, finis cumstantiarum omnium, juxta tritum illud axioma: *Bonum ex a causa, malum ex quocunque defectu*. Demum ex parte Dei aentis requiritur repromissio. — Ad meritum de congruo fallibili . recensitae conditiones requiruntur, praeter statum gratiae et sionem ex parte Dei. Cfr. J. Perrone l. c. part. 3. de merito. 620—672, ubi etiam cap. 4. recensentur, quae sub meritum adunt.

Joan. 3, 16. — <sup>2)</sup> Rom. 8, 32. — <sup>3)</sup> 1. Joan. 4, 9. — t. 17, 28. — <sup>5)</sup> 1. Cor. 10, 13. — Praeclare S. Thom. p. 1. a. 3: „Deus est in omnibus per potentiam, in quantum omnia

pore et anima suo velut in templo intime praesens semper adest, ut suum tibi amorem testetur. Nempe amans amatum perpetuo sibi sociatum cupit.

Ergo cum par pari reddendum esse ipsa ratio dicit, sequitur 1. etiam tibi magnum aliquid pro Deo praestandum esse, concepta in his exercitiis proposita accurate servando; 2. etiam te et tua eidem offerenda esse, praecipue tuum honorem, vitae commoda, sanitatem et vitam, in tertio Humilitatis gradu constanter perseverando; 3. etiam te supremo Numini semper praesentem ac conjunctum esse debere per animi collectionem, attentam orationem et exercitium praesentiae Dei. O Seraphini! motu alarum vestrarum vel scintillulam caelestis illius amoris in me suscite, qui Sanctis usum horum trium punctorum adeo suavem reddidit facilemque.

#### Punctum II.

Deus meretur amari ob *modum*, quo te amat. Nam 1. amat te amore *aeterno*. Illius erga te amor eidem fuit coevus et tam antiquus, ut nunquam ad ejus principium sis perventurus; cum is non prius se quam te amare inceperit, et suos illos misericordiae oculos, queis te prae tot aliis ei melius servituris ex illa tui nihili abyssu extraxit, ab aeterno in te conjecerit; ita ut jure per Jeremiam tibi dicat: *In charitate perpetua dilexi te, et attraxi te miserans*<sup>1)</sup>.

2. Amat te amore *gratuito*, sine ullo tuo merito, aut suo emolumento. Nam, ut ait S. Joannes, *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, . . . non quasi nos dilexerimus Deum*, sicque mutuam ejus amorem praevia dilectione premeriti fuisset; *sed quoniam ipse prior dilexit nos*<sup>2)</sup>;

*ejus potestati subdantur; est per praesentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus, ut causa essendi.* — <sup>1)</sup> Jer. 31, 3. —

<sup>2)</sup> 1. Joan. 4, 9 et 10.

quidem dilexit nos, *cum adhuc inimici essemus* <sup>1)</sup>, ac *itura filii irae* <sup>2)</sup>; et *dilexit nos spontaneae* <sup>3)</sup>, a nemine ductus, jussus vel coactus, sine ulla ex sua parte nostri digentia, aut ulla sua utilitate vel lucro; *quoniam bonorum nostrorum non eget* <sup>4)</sup>.

Accedit, quod aeterna illius scientia et futurorum notitia il in nobis repererit nisi nihilum et peccatum, quod potius ritamen odii, quam illicium dilectionis fuit. In summa: le, nullius indigens Deus seque solo beatus, prior te peccatorem dilexit, sine ullo tuo merito, aut suo commodo; no praevisis etiam tot tuis tamque gravibus noxis tamen dilexit.

3. Amat te amore *infinito*; nempe eo ipso quoad entitatem spectato, quo immensum illud Numen se ipsum, S. Trinitatem, Christum et Beatos diligit, diligendo te, anima! toto se, omnique naturae suae infinitate; ita ut ulla in Divinitate perfectio, nulla in Trinitate Persona eveniatur, quae te eadem charitatis infinitudine non comlectatur.

4. Denique amat te amore *tenerrimo*, *portans te in sinu suo* <sup>5)</sup> et *in sinu suo, sicut portare solet nutrix infantulum suum* <sup>6)</sup>, *custodiens te quasi pupillam oculi sui* <sup>7)</sup>, *describens te in manibus suis* <sup>8)</sup>, *numeratos habens omnes capillos capitis tui* <sup>9)</sup>, et *semper existens memor tui, ut beneficiat tibi* <sup>10)</sup>; non secus ac si solus esses in mundo et unicum immensi ejus amoris objectum.

Aequum proin est, o Amor divine! ut et ego diligam te dilectione 1. *gratuita*, non solum ex metu poenae vel raemii spe, sed etiam gratis propter te: 2 *efficaci, non verbo tantum et lingua diligendo, sed opere et veri-*

---

<sup>1)</sup> Rom. 5, 10. — <sup>2)</sup> Ephes. 2, 3. — <sup>3)</sup> Osee 14, 5. — <sup>4)</sup> Psalm. 5, 2. — <sup>5)</sup> Deut. 32, 11. — <sup>6)</sup> Num. 11, 12. — <sup>7)</sup> Deut. 32, 10. — <sup>8)</sup> Isa. 49, 16. — <sup>9)</sup> Luc. 12, 7. — <sup>10)</sup> Zach. 8, 15.

tate<sup>1)</sup>: 3. *constanti*, cum gentium Doctore exclamando: *Quis me separabit a charitate? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? . . . Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare a Charitate Dei*<sup>2)</sup>.

## Punctum III.

*Deus meretur amari ob perfectiones, quibus abundat.* Tanta est enim ejus *amabilitas*, ut si caelum vel ad momentum aperiretur, omnes orci spiritus a summo illo, quo eum prosequuntur odio puncto temporis in summum illius amorem suavi violentia raperentur. Tanta est ejus *pulchritudo*, ut damnati libenter plures in infinitum multiplicatas gehennas passuri essent, si vel unico instanti illam intueri possent. Tanta est denique ejus *bonitatis* dulcedo, ut si vel unica ejus guttula in tartarum deflueret, is momento citius in caelum commutaretur. Illius *sanctitas* est adeo excellens, ut nausea, quam vel de levi labecula concipit, major sit omni gaudio, quod ex omnium Sanctorum heroicis actibus haurit. *Sapientia* ejus est tam immensa, ut nil obliviscatur praeteritorum, nil nesciat praesentium, futura vero sic provideat, quasi coram omnia in speculo intueretur. Nil occultum est, tam abstrusum nihil, quod ignoret. *Potentia* vero est tam stupenda, ut illius posse adaequet velle. Illius tempus est *aeternitas*, illius cursus *immutabilitas*, illius locus *immensus*, illius mensura *infinitus*.

Praeterea est tam *dives*, ut *thesaurorum ejus non sit finis*<sup>3)</sup>. Est tam *proridus*, ut *omnia in mensura, numero et pondere disponat*<sup>4)</sup>. Est tam constans, ut *apud*

<sup>1)</sup> 1. Joan. 3, 18. — <sup>2)</sup> Rom. 8, 35 et seq. — <sup>3)</sup> Isa. 21, 7. — <sup>4)</sup> Sap. 11, 21.

um non sit transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio<sup>1)</sup>. Est tam fortis, ut appendat tribus digitis molem rrae, et libret in pondere montes, ac colles in statera<sup>2)</sup>; estque tam excelsus in fortitudine sua, ut nullis ei sit similis<sup>3)</sup>.

Tandem excelsior caelo est, ... profundior inferno, ... magis terra, ... et latior mari est<sup>4)</sup>. Ejus oculis omnia nuda et aperta sunt<sup>5)</sup>. In ejus manu anima omnis inventis est<sup>6)</sup>. Ejus irae nemo potest resistere<sup>7)</sup>. Sub eo curvantur, qui portant orbem<sup>8)</sup>. Insuper millia millium Angelorum ministrant ei, et decies millies centena illia assistunt ei<sup>9)</sup>.

Verum quis sufficiet enarrare opera illius? quis investigabit magnalia ejus? virtutem magnitudinis ejus quis narrabit?<sup>10)</sup> Nempe lucem inhabitat inaccessibilem<sup>11)</sup>. Praestat proin totis viribus amare, quod nequimus capere. Est autem non solum verbo et lingua diligamus, sed opere et veritate<sup>12)</sup>, exercitiorum finis sit initium vitae sanctioris per actum heroicum auspicae; cum Deus a nobis etiam practice amari mereatur: 1. ob amorem, quo nos amat: 2. ob modum, quo nos amat: 3. ob perfectiones, quae abundat.

### Affectus.

O superi! ergone eo pervenit hominum tepiditas, ut iam coacervatis undique incitamentis compelli debeat ad mandatum summum Bonum? O anima! Deus amore tui sumque in commodum tanta est operatus: in te contulit beneficia numero plurima, utilitate maxima, pretio infinita: tua essentia, potentia ac providentia semper tibi praesens

---

<sup>1)</sup> Jac. 1, 17. — <sup>2)</sup> Isa. 40, 12. — <sup>3)</sup> Job. 36, 22. — <sup>4)</sup> Job. 1, 8 et 9. — <sup>5)</sup> Hebr. 4, 13. — <sup>6)</sup> Job. 12, 10. — <sup>7)</sup> Job. 9, 13. — <sup>8)</sup> Job. 9, 13. — <sup>9)</sup> Dan. 7, 10. — <sup>10)</sup> Eccl. 18, 2 et seq. — <sup>11)</sup> 1. Tim. 6, 16. — <sup>12)</sup> 1. Joan. 3, 18.

adest; et ei rependere gratum amorem respuas? Quin potius ad creaturas te convertis? *Tanto autem quis a superno amore disjungitur, quanto infernis delectatur*<sup>1)</sup>.

Ah infelix! Deus te amat; Deus . . . te . . . ille sibi soli sufficiens et nullius indigens Deus . . . te pugillam cineris et conflatum ex vitis nihilum amat; ac sine ullo tuo merito, etiam praevisis tot tuis sceleribus amat, et quidem prae tot aliis te melioribus eique ferventius servituris. Insuper modo prorsus stupendo te amat, nempe amore *aeterno*, ita ut se nec citius dilexerit, nec diutius dilecturus sit quam te; eoque *infinito*, scilicet illo ipso amore, quo se ipsum diligit, diligendo te toto se omnique essentiae suae infinitate; mereque *gratuito*, sine ulla tui indigentia aut propria sua utilitate; simulque *tenerimo*. Et tamen hunc tantopere te amantem, adeo beneficam erga te tamque perfectum in se et amabilem Deum redamare tardes, eique mutuam amorem sanctiori vita per actum quandam eximiae virtutis inchoanda testari renuas?

O ingrate! amas hominem te diligentem, quin imo blandientem tibi canem amas, et beneficientem tibi Deum summeque diligentem non amas. Ut hominem amore prosequaris, sufficit, ut tibi blandiatur. En! stringit, fovet, amat te Deus, et innumeris beneficiis obruit; nec tamen redamas, quin imo lethali frigore torpes. Mundum creat, mortem subit, Eucharistiam instituit, et miracula miraculis cumulat, ut mutuam a te amorem emendicet, nec tamen redamas. Exhaustit quasi omnem potentiam et benevolentiam suam, ut suum tibi amorem quam maximum testetur, et tamen ingrato tepore langues.

O superi! Deus amat hominem, et homo non amat Deum! Summa illa Majestas et sibi soli sufficiens Divinitas: ille se solo beatus ac nullius indigens Deus amat hominem, inquam, sacculum sordium, escam vermium, cinerem

<sup>1)</sup> S. Greg. hom. 30. super Evangel.

et nihilum; et tamen homo non redamat Deum. O mortales! ubi, quaeso, est ratio, ubi sensus noster! Ergone summum Bonum amabit nostrum nihilum; et nostrum nihilum non amabit summum Bonum?

Ergone tu, o Deus! ab aeterno amabilissimos immensae charitatis tuae oculos in me deflexeris; et ego tui nec meminisse digner! Tu non nisi beneficia in me contuleris; et ego in te non nisi maleficia congeram! Tu amore meis mortuus; et ego tibi sanctius vivere renuam! ah, execror immane hoc animi frigus!

O beneficentissime cordium amator Deus! agnosco ingratitude meam. Pudore confundor coram te. Ah, Amorem non amavi! tam beneficum erga me meque infinite amantem Deum, et ob infinitudinem suarum perfectionum immenso amore dignissimum non redamavi, quin et offendi! Tot beneficiis non nisi malefacta, tanto amori non nisi odium rependi! Sed poenitet. Dolore confixus abominor duritiam meam. Tandem victas do manus. Vicisti, o Amor! vicisti! tibi debetur cor meum; meos tibi consecro amores. Deinceps amabo te, o mi Deus! et eo intensius amabo, quo tardius te amare incipio.

Amo te, ah! amo te, o Amabilitatem, Bonitatem et Pulchritudinem infinitam. Amo te; idque propter te; quia summum Bonum es et infinito amore dignissimus. Et amo te ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus: te appreciando super omnia; super omnes delicias, honores, divitias ac commoda prosperae et longioris vitae. Serviam tibi in eo munere, loco, gradu et conditione, in quo volueris. Imitabor Christum in tertio Humilitatis gradu, et quidem plene, ardentem et totis viribus. Observabo concepta hoc octiduo proposita, praesertim ista N. Fixum est, sanctionem vitam per actum virtutis eximiae auspicabor, voluntati divinae me semper et in omnibus conformando.

O pulchritudo infinita! o quam sero te amavi! ah! peccatum satis est! O utinam omnimoda mei quoad omnia

annihilatione vel unicum gradum tuae gloriæ extrinsecæ addere possem! Si scirem vel guttam sanguinis mihi in venis fluere, quæ te non amet, hoc illam momento elicerem, et projicerem abs me. O Domine! cum peccando vixerim, da saltem amando mori.

\* Legatur Thom. a Kemp. de imitat. Christi, lib. 3. cap. 34.

---



# CONSCIENTIAE EXAMEN

*quod inter sacra exercitia et reliquo anni tempore  
a clericis utiliter instituitur.*

„In tribunal mentis tuae ascende contra  
te, et te reum constitue ante te:  
noli te ponere post te, ne Deus ponat  
te ante te.“ S. Augustin.

## PROOEMIUM.

**O**mnium summi momenti negotium virtutis semitam sectan-  
tibus illud procul dubio est, quod conscientiae examen  
vocalius; quo quisque seipsum suosque mores investigat,  
seque reum citat ad tribunal mentis suae, ut non solum  
peccata, a quibus abhorrere, naevos quos corrigere, errata  
quae expiare, sed etiam virtutes, quas exercere debet, rite  
cognoscat. Errati enim cognitio est vitae corrigendae  
initium; et „quem poenitet peccasse, paene est innocens“<sup>1)</sup>;  
„geminat autem peccatum, quem delicti non pudet“<sup>2)</sup>. Vir-  
tutis studiosi ad hocce examen ut praesentissimum sancti-  
moniae praesidium, adeo naturae luce impellebantur. Sic  
v. g. Pythagoraeis olim quotidianus fuit usus: „quid quo-  
que die dixeris, audiveris, egeris, vespere commemorare.“

Et ille vir bonus apud Ausonium<sup>3)</sup>:

„Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem,  
. . . et justo trutinæ se examine pendit.  
.....

---

<sup>1)</sup> Senec. Agam. 243. — <sup>2)</sup> Publ. Syr. — <sup>3)</sup> Edyllia 16.

„ Non prius in dulcem declinat lumina somnum,  
 „ Omnia quam longi reputaverit acta diei.  
 „ Quae praetergressus? quid gestum in tempore? quid non?  
 „ Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?  
 „ Quid mihi praeteritum? Cur haec sententia sedit?  
 „ Quam melius mutare fuit? miseratus egentem,  
 „ Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?  
 „ Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto  
 „ Cur malus antetuli? Num dicto, aut denique vultu  
 „ Perstrictus quisquam? Cur me natura magis, quam  
 „ Disciplina trahit? Sic dicta et facta per omnia  
 „ Ingrediens, ortoque a vespere cuncta revolvens,  
 „ Offensus pravis, dat palmam et praemia rectis.

Et Seneca: „ Initium salutis, inquit, notitia peccati...  
 Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas  
 te oportet, antequam emendes . . . . Quantum potes, te ipse  
 coargue; inquire in te: accusatoris primum partibus fun-  
 gere, deinde iudicis, novissime deprecatoris: aliquando te  
 offende<sup>1)</sup>“.

Et alibi: „ Utor hac potestate, et quotidie apud me  
 causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, et  
 conticuit uxor, moris mei jam conscia, totum diem mecum  
 scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse  
 abscondo, nihil transeo. Quare enim quidquam ex erro-  
 ribus meis timeam, cum possim dicere: Vide, ne istud  
 amplius facias; nunc tibi ignosco<sup>2)</sup>“. Quod si paganus,  
 Christiana fide destitutus, solius lumine rationis ductus,  
 dietim adhibet, quantopere Christianus — Clericus — Sa-  
 cerdos erubescat oportet, qui eo socordiae, proh! vix sin-  
 gulis hebdomadis, vel adeo mensibus illud instituit. Eos  
 cum S. Bernardo obsecramus, rogamus atque oramus etiam  
 atque etiam: „ ut unusquisque iutret in cubiculum suum,  
 scopet conscientiam suam, se querat in angulis cordis,  
 circumeat latebras mentis<sup>3)</sup>“.

<sup>1)</sup> Epist. 28. — <sup>2)</sup> Lib. 3. de ira. cap. 36. — <sup>3)</sup> Serm. 2. in  
 Coena Dom.

„Singulis diebus, inquit S. Chrysost., vesperi ab animationem exige<sup>1)</sup>. Id si quotidie diligenter feceris, terribili futuri Judicis tribunali laetus assistes<sup>2)</sup>“; juxta illud Apostoli: „Quodsi nosmetipsos dijudicemus, non utique judicemur<sup>3)</sup>“ . „Tanto enim securius quis Dominum expectat, quanto quotidie vitam suam suspectius examinat<sup>4)</sup>“ .

Jure merito proin inter exercitia spiritualia conscientiae examen, quod duplex *particulare* et *generale*, S. P. Ignatius summopere exigit et inculcat<sup>5)</sup>, haud exiguas sibi vindicat partes.

Ne autem mens iners seu torpescat, seu exlex divagetur, tironibusque hac in re ardua succurratur, Examinis objecta punctaque, quantum satis, ob oculos enucleate aliquatenus ponenda esse censuimus, ut Officiorum argumenta, Conciliorum decreta, Synodorum statuta, Superiorum ordinationes et instructiones in memoriam revocentur, nec non totus homo ac sacri ministerii functiones juxta hanc ecclesiasticam regulam componantur. Spiritus sancti eloquia et SS. Patrum sensa passim inserta, adjunctis Sapientium affatis, qui mirum quantum in veritatis testimonium conspirant, hujusmodi Examen ariditate nativa exuent, et laud parum luminis piaequae motionis excitabunt<sup>6)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Homil. in Psalm. 4. — <sup>2)</sup> Homil. 43. in cap. 12. Matth. — <sup>3)</sup> 1. Corinth. 11, 31. — <sup>4)</sup> S. Gregor. 1. — <sup>5)</sup> In libro Exercit. ebd. 1. post fundament. — <sup>6)</sup> Cfr. Examen Cleri Bruxellis 1838.

## EXAMEN.

„Recogitabo Tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae“.

Isai. 38, 15.

## VOCATIO.

„Elegit nos . . . ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati<sup>1)</sup>“.

Numquid saepe animo volvis vocationem tuam esse a Deo? „Non vos Me elegistis; sed Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat<sup>2)</sup>“.

„Sicut misit Me Pater, et Ego mitto vos<sup>3)</sup>“.

Hancine Dei vocationem et electionem certam facere conaris per bona opera; et identidem gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum, resuscitas?<sup>4)</sup>“

An maximi facis vocationem hanc sanctissimam, et pro illius singulari beneficio grates Deo rependis?

„Gratias Deo super inenarrabili dono ejus<sup>5)</sup>“.

„Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiae, fluenta gratiae<sup>6)</sup>“.

„Memor ergo semper sis vocationis tuae, eoque nomine saepe Deo gratias agas, conerisque maxime vitam, ut ministrum Christi decet, instituere; cum tam multae utilitates ex bona, tot detrimenta ex mala vita sacerdotis proficiscantur<sup>7)</sup>“.

## EXEMPLUM BONUM.

„Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate<sup>8)</sup>“.

---

<sup>1)</sup> Ephes. 1, 4. — <sup>2)</sup> Joan. 15, 16. — <sup>3)</sup> Joan. 20, 21. — <sup>4)</sup> 2. Tim. 1, 6. — <sup>5)</sup> 2. Corinth. 9, 15. — <sup>6)</sup> S. Bern. serm. in Cant. — <sup>7)</sup> S. Carolus Borrom. — <sup>8)</sup> 1. Tim. 4, 12.

„Si virtutibus splendere curemus, ad nos trahemus omnes, qui venire elegerint ad salutem. Omni tuba documenta operum clariora sunt, vitaeque munda ipsa luce fulgentior est, nec obscurari potest, etiamsi mille fuerint obloquentes. Si mansueti, misericordes, pacifici, humiles ac mundo corde fuerimus, non minus efficaciter, quam per ipsa miracula spectatores nostros ad veritatem trahemus<sup>1)</sup>“.

Ecquid ergo consideras, „formam gregis ex animo“ te esse debere<sup>2)</sup>, „et speculum, in quod reliqui oculos conjiciunt, et ex te sumunt, quod imitentur; levia delicta in te maxima esse, actionesque tuas cunctis venerationem afferre debere<sup>3)</sup>“.

„Nugae in ore saecularis, nugae sunt; in ore sacerdotis blasphemiae<sup>4)</sup>“.

Sciscitare proin :

An „in omnibus teipsum praebeas exemplum bonorum operum; in doctrina, in integritate, in gravitate<sup>5)</sup>“; atque memento, „librum laicorum esse vitam clericorum<sup>6)</sup>“.

„Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt<sup>7)</sup>“.

Ast ex alia parte: „Vae mundo a scandalis! . . . Vae homini illi, per quem scandalum venit<sup>8)</sup>“.

„Nullum, inquit S. Gregor.<sup>9)</sup>, puto, fratres carissimi, ab aliis majus praejudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quaerimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo ceteris praelati sumus, ad agenda quaelibet majorem licentiam habemus, susceptae benedictionis mini-

---

<sup>1)</sup> S. Chrysost. Homil. 15 in Matth. cap. 5. — <sup>2)</sup> 1. Petr. 5, 3. —  
<sup>3)</sup> Concil. Trident. Sess. 22. Cap. 1. de Ref. — <sup>4)</sup> S. Bern. lib. 2. de Consid. c. 13. — <sup>5)</sup> Tit. 2, 7. — <sup>6)</sup> Synod. Touron. an. 1537. —  
<sup>7)</sup> Concil. Trident. Sess. 22. Cap. 1. de Ref. — <sup>8)</sup> Matth. 18, 7. —  
<sup>9)</sup> Homil. 27 in Luc. 10.

sterium vertimus ad ambitionis argumentum, Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur<sup>4</sup>.

Ergo minutatim interroges vitam tuam, eamque aequa lance pensites, num sis „sal terrae, lux mundi<sup>1)</sup>“, et „Christi bonus odor<sup>2)</sup>“.

#### SPIRITUS ECCLESIASTICUS.

Quis te spiritus animat? Utrum Dei, an mundi? „Probate spiritus, si ex Deo sunt<sup>3)</sup>“. „Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est Ejus<sup>4)</sup>“. „Qui dicit, se in Ipso manere, debet, sicut Ille ambulavit, et ipse ambulare<sup>5)</sup>“.

Num hunc Jesu Christi Spiritum frequenti recursum ad Jesum, et seria meditatione de ejus vita in te fovere et firmare studes?

Numquid ut justus ex fide judicas, loqueris, operaris, vivis?

An saepe renovas bonam intentionem, *ut omnes ad Jesum sensus dirigantur et actus<sup>6)</sup>*.

Afficerisne rebus spiritualibus, solidamque „*pietatem ad omnia utilem*“ exerces<sup>7)</sup>?

#### ORDO VITAE.

„Custodite ordinem, ut ordo vos custodiat<sup>8)</sup>“. „Canonem unum retine<sup>9)</sup>“.

An aliquem vitae ordinem tibi praescripsisti? „Mens mutabilitatis suae pondere ad aliud semper impellitur, quam est, et nisi in statu suo arcta custodiae disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur<sup>10)</sup>“.

An fixum vitae ordinem in rebus spiritualibus, in

1) Matth. 5, 13 et 14. — 2) 2. Corinth. 2, 15. — 3) 1. Joan. 4, 1. — 4) Rom. 8, 9. — 5) 1. Joan. 2, 6. — 6) S. Bernard. serm. 15. in Cant. — 7) 1. Tim. 4, 8. — 8) S. Bernard. — 9) S. Ephrem. — 10) S. Gregor. M.

audiis, in functionibus sacris ipsisque rebus domesticis se-  
culo observas?

„Illum tantum diem vixisse te computa, quem sine ulla  
regulae transgressione duxisti<sup>1)</sup>“.

### MEDITATIO.

„Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum<sup>2)</sup>“.

Meditarisne quotidie sicut oportet? „Beatus vir, qui in  
regno Domini meditatur die ac nocte<sup>3)</sup>“.

„Intellectus enim  
contemplativus est principium omnis boni<sup>4)</sup>“.

„Semper illa  
lectio homini meditanda: quomodo bene sapiat, bene dicat,  
bene agat<sup>5)</sup>“.

Serione perpendis, „profectum tuum spiritualem ex  
meditatione procedere<sup>6)</sup>“?

An te ad meditationem rite praeparas, antea legendo  
determinandove puncta, fructus, proposita, tesseras...?

„Consideratio regit affectus, dirigit actus, corrigit ex-  
cessus<sup>7)</sup>“.

„Lectio sine meditatione arida est, meditatio sine lec-  
tione erronea, oratio sine meditatione tepida<sup>8)</sup>“.

„Nil in hac vita dulcius sentitur, nil avidius sumitur,  
nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam  
contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat et ad-  
ducit ad omne opus bonum et omnem laborem, quam gratia  
contemplationis<sup>9)</sup>“.

### LECTIO PIA.

An quotidie lectioni piae incumbis? „Attende lectioni<sup>10)</sup>“;  
imprimis sacrae Scripturae, quae a S. Ambrosio *liber Sa-*

---

<sup>1)</sup> S. Eucher. Hom. 9. ad Relig. — <sup>2)</sup> Tob. 4, 6. — <sup>3)</sup> Psalm.  
122. — <sup>4)</sup> S. August. — <sup>5)</sup> Ludow. de Vivis introd. ad ver. Sapient.  
— <sup>6)</sup> Ruff. in Psalm. — <sup>7)</sup> S. Bernard. de consid. l. 1. cap. 7. —  
<sup>8)</sup> S. Bernard. epist. ad frat. de monit. Dei. — <sup>9)</sup> S. Bern. lib. de  
sim. cap. 7. — <sup>10)</sup> 1. Tim. 4, 13.

*cerdotalis* nominatur. „Sine legendi studio neminem ad Deum intentum videas<sup>1)</sup>“.

„Divinas scripturas saepius lege; imo nunquam de manibus sacra lectio deponatur... Tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat<sup>2)</sup>“.

„Post scripturas sanctas doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota est<sup>3)</sup>“.

„Ineptas autem et aniles fabulas devita<sup>4)</sup>“.

„Lectio docet quid facias, discernit quid caveas, ostendit quo tendas: multum proficis, cum legis, si tamen facis ea, quae legis<sup>5)</sup>“.

„Lectio multorum auctorum et omnis generis voluminum habet aliquid vagum et instabile. Certis ingenis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. *Nusquam est, qui ubique est*<sup>6)</sup>“.

Quos libros legis? quem inde capis virtutum progressum et Christi Sanctorumque imitandorum affectionem? —

„Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit: quae enim nescimus, lectione discimus, quae didicimus, meditatione conservamus<sup>7)</sup>“.

Quomodo legis?

Qui obiter, festinanter, sine consideratione et meditatione legit, tempus terit, et virtutum emolumenta in damna sibi vertit.

#### EXAMEN CONSCIENTIAE QUOTIDIANUM.

Num firma lege examinis conscientiae quotidianam praxin habes, vitium aliquod particulare, praesertim dominans, extirpandum, aut virtutem aliquam, imprimis utilem, acquirendam tibi proponendo, discurrendoque dies tuos et noctes?

„Hoc mihi satis est, inquit adeo Seneca, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, et errores meos objurgare<sup>8)</sup>“.

1) S. Athan. — 2) S. Hieron. — 3) S. Hieron. ep. ad Furiam. — 4) 1. Tim. 4, 7. — 5) S. Bernard. — 6) Seneca ep. 2. — 7) S. Isidor. lib. 3. de sum. bono. — 8) De vit. beat. cap. 17.



„Diebus singulis, vesperi et mane diligenter considera, quo pacto sese habeat negotiatio tua ac mercimonii ratio; et vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina eipsum ac dicit: Putasne hodie Deum in aliquo exacerbavi? Num in re aliqua fratrem irritavi? num alicujus animam detractionibus laceravi? . . . deprehensis noxis gemam, dolorem et lacrimas jube superfundi<sup>1)</sup>“.

„Quo pacto per singulos dies nos ipsos purgare, et propemodum expiare debeamus exactissime, docuerunt maiores et Patres nostri. Nempe ut vesperi sedulo quisque perquirat et investiget, quomodo pertransierit diem illum. Rursus mane examinet, quomodo exegerit noctem illam, et poenitentiam agat ac resipiscat coram Deo, si quo pacto, ut fieri potest, peccatum aliquod admisit<sup>2)</sup>“.

„Quae quotidie feceris opera, vesperi tecum commemora, et cum iis quae fecisti pridie, conferto<sup>3)</sup>“.

„Si per singulos dies hoc feceris, cum fiducia stabis ante tremendum illud tribunal<sup>4)</sup>“.

E contrario ex neglectu examinis quotidiani ingentia detrimenta oriuntur: „Desolatione desolata est terra, quia nullus est, qui recogitet corde<sup>5)</sup>“.

„Neglectis urenda filix innascitur agris<sup>6)</sup>“.

Quam methodum tenes in examine? num 1. petis lumen? 2. discutis mentem? 3. doles? 4. proponis? 5. gratias agis Deo cum humilitate?

„Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur<sup>7)</sup>“.

ORATIO.

„Boni Sacerdotis arma lectio et oratio<sup>8)</sup>“.

„Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione<sup>9)</sup>“.

<sup>1)</sup> S. Ephrem. — <sup>2)</sup> Dorothei. serm. 11. — <sup>3)</sup> S. Basil. serm. comm. ad Monach. — <sup>4)</sup> S. Chrysost. in C. 1. Gen. — <sup>5)</sup> Jerem. 12, 11.

— <sup>6)</sup> Horat. serm. lib. 1. sat. 3, 37. — Cfr. Prov. 24, 30. —

<sup>7)</sup> De imit. Christi lib. 1. cap. 11. — <sup>8)</sup> S. August. — <sup>9)</sup> Coloss. 4, 2.

„Oratio iusti clavis est coeli. Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. Licet altum sit coelum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam <sup>1)</sup>“.

„Si Propheta dicit: *Septies in die laudem dixi tibi*; qui regni necessitatibus erat occupatus, quid nos facere oportet, qui legimus: *Vigilate et Orate, ne intretis in tentationem*. Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendae, *cum a somno surgimus, cum prodimus, cum iter aggredimur, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, et hora incensi, cum denique cubitum pergitur*. Sed etiam in ipso cubili volo Psalmos cum oratione dominica frequenter contextos esse, vel cum evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget, ut te in ipso quietis exordio, rerum saecularium cura liberum, divina meditantem somnus inveniat <sup>2)</sup>“.

Num haec pia justaque monita sedulo implet? Audias etiam S. Chrysostomum: „Oportet, inquit, et stratis relictis, divino cultu praevenire solis exortum, et cum ad mensam accedimus, et cum nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin et omni hora Deo orationem aliquam offerre oportet, ut orandi cursus diei cursum aequet. Ceterum hiberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimantes, quod Dei cultui vacamus <sup>3)</sup>“.

An oratio tua est fervens, fiducia plena, ex intimo cordis affectu, indefessa, in ariditate mentis constans, in consolatione humilis?

#### HORAE CANONICAE.

„Ad canonicas horas recitandas se *sub peccati mortalis reatu* omnino adstrictos scire debent, quicumque bene-

<sup>1)</sup> S. August. serm. 255 de Temp. — <sup>2)</sup> S. Ambros. lib. 3. de Virgin. — <sup>3)</sup> Lib. 1. de orando Deo.

ficiati, et omnes in sacris ordinibus constituti<sup>1)</sup>“: et haec est omnium Theologorum orthodoxorum doctrina unanims.

Numquid Breviarii recitationem consideras. ut *magnam strictissimamque Sacerdotis obligationem*: ut orationem Ecclesiae, quae ejus nomine per Sacerdotem Deo offertur pro fidelibus vivis et defunctis, et imprimis pro ipso Sacerdote, cujus est praesentissimum praesidium et ornamentum?

„Pro universo terrarum orbe legatus intercedit apud Deum<sup>2)</sup>“.

Num reverenter, accurate, integre, digne, attente ac devote hanc recitas orationem in unione illius divinae intentionis, qua ipse Christus Dominus in terris Deo laudes persolvit?

„Si Psalmus orat, orate; si gemit, gemite; si sperat, sperate<sup>3)</sup>“.

Annon nimis festinanter et decurtanter recitas, utcunque permurmurando?

„O ingens perversitas! inquit Kugler de Spiritu Eccl. „Producitur somnus, producitur mensa, producuntur recreationes, producuntur confabulationes, lusus, nugae nugarum; solius supremae Majestatis cultus summa qua potest celeritate deperoperatur“.

Nonne distractionibus ansam praebes, pensumve in somni tempora differs?

„Quomodo te audire postulas, cum te ipsum non audias<sup>4)</sup>“.

Benedictus XIV. de Sacrif. Missae Comment. Sect. 2. §. 102. perdifficile excusari posse censet a peccato veniali, qui sine rationabili causa celebrat, non recitatis Matutino et Laudibus; imo vix a mortali, qui nulla causa urgente, id perpetuo faceret, ut videretur quasi statuisse animo,

---

<sup>1)</sup> Synod. Pragens. an. 1605. Cfr. Concil. Lateran. oecumen. sub Innoc. III. — <sup>2)</sup> S. Chrysost. de Sacerd. cap. 6. — <sup>3)</sup> S. August. in Psalm. 30. — <sup>4)</sup> S. Cyprian. serm. de orat. dom.

illud nunquam servare: quam sententiam amplectitur S. Alphons. Liguori. lib. 6. n. 347.

Attende: Beneficiatus, qui „intra sex ab obtento beneficio menses divinum officium, cessante omni legitimo impedimento, non dixerit, beneficii fructus non faciat suos pro rata omissionis et temporis; sed illos tanquam injuste acceptos, vel in fabricas beneficii, vel in pauperum elemosynas erogare teneatur<sup>1)</sup>“.

### CONFESSIO FREQUENS.

Quoties confiteris? „Saepius ad confessionem accedas, singulis hebdomadis, aut saltem quindenis<sup>2)</sup>“.

Quomodo confiteris? Num vera cum sinceritate, et contritione emendationisque firmo proposito?

„Quando homo detegit, Deus tegit: quando homo celat, Deus revelat<sup>3)</sup>“.

„Omnia in confessione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, anima hilarescit; post Baptismum nullum aliud nobis constitutum est remedium, quam confessionis refugium<sup>4)</sup>“.

Ast „si negligenter agimus, ipsa nobis medicamenta convertuntur in vulnera, et inde habebimus iudicium, unde poteramus habere remedium<sup>5)</sup>“.

Et inde fit, ut „qui in sordibus est, sordescat adhuc<sup>6)</sup>“.

Quaerisne confessarium tibi faciliorem, qui neque inter-

<sup>1)</sup> Conc. Lateran. V. sub Leone X. Sess. 9. §. „Statuimus“. Cfr. Bulla S. Pii V., quae incipit „Ex proximo“, ubi Sanctissimus Pontifex: „Is etiam, ait, (qui omittit Breviarii recitationem) praeter fructum et distributionum amissionem „grave peccatum intelligat se admisisse“. — Cfr. etiam Propos. 20 et 33. inter damnat. ab Alexandro VII. — <sup>2)</sup> S. Carol. Borrom. — Juxta decret. Clem. XIII. die 9. Dec. 1763. qui singulis hebdomadis confiteri solent, quasunque indulgentias, excepta Jubilaei, lucrari et consequi possunt sine actuali confessione, dummodo dispositi sunt. — <sup>3)</sup> S. August. — <sup>4)</sup> S. Bernard. lib. medit. cap. 37. — <sup>5)</sup> S. August. — <sup>6)</sup> Apocal. 22, 11.

roget, neque stimulet, arguatve, neque dirigat, et forte sodem ac tu vitio laboret?

„Summa vigilantia acerrimaque in omnes partes circumspeditione operam dato, ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus delectae vitae studiis certissimum ducem sequaris<sup>1)</sup>“.

An in quavis confessione sedulo tibi proponis vitandum, v. g. illud leve peccatum voluntarium, quod aliorum fons et origo est? „Qui spernit modica, paulatim decidet<sup>2)</sup>“.

#### SACRIFICIUM MISSAE.

An SS. Missae sacrificium cum ea offers, qua par est puritate, devotione et circumstantium aedificatione? Audi S. J. Chrysostomum: „Quum sacerdos et spiritum sanctum invocaverit, sacrificiumque illud horrore ac reverentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato, quaero ex te, quorum illum in ordine collocabimus? Quantam vero ab eo integritatem exigemus? Quantam religionem? Considera enim, quales manus haec administrantes esse oporteat? Qualem linguam? Quae verba illa effundat? Qua denique re non puriorem sanctioremve esse conveniat animam, quae tantum illum, tamque dignum spiritum receperit? Per id tempus et Angeli sacerdoti adstant, et caelestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est<sup>3)</sup>“.

„Accedat sacerdos ad Altaris tribunal ut Christus, assistat ut angelus, ministret ut sanctus, offerat vota populorum ut pontifex, interpellat pro pace ut mediator, pro se autem exoret ut homo<sup>4)</sup>“.

An celebraturus tria intendis, scilicet: „Deum colere, Christi mortem memorare, et totam Ecclesiam juvare<sup>5)</sup>“?

---

<sup>1)</sup> S. Basil. *serm. de abn. rer.* — <sup>2)</sup> Eccli. 19, 1. — <sup>3)</sup> Lib. 6. *de Sacerd. c. 3.* — <sup>4)</sup> S. Laurent. *Just.* — <sup>5)</sup> S. Bonav. *de praepar. ad Miss.*

Num unquam celebras sine convenienti praeparatione, congruave gratiarum actione? An *cum quadam indifferetia*, ex consuetudine, an cum irreverentia, „quae ab impietate vix seiuuncta esse potest<sup>1)</sup>“?

Num accurate observas Rubricas, easque identidem re- legis? „Communis omnium sententia docet, Rubricas esse leges *praeceptivas*, quae obligant *sub mortali ex genere suo*<sup>2)</sup>“, nisi nempe excuset invincibilis imprudentia, aut parvitas materiae. Non ergo erubescas addiscere, quamvis aetate provectus. „Ad discendum quod opus est, nulla mihi aetas sera videri potest, quia etsi senes magis deceat docere, quam discere; magis tamen decet discere, quam ignorare<sup>3)</sup>“.

„Ut sanctissimum Missae sacrificium ea, qua decet cordis munditia, puritate atque exterioris devotionis ac pietatis specie peragatur, Sacerdotes in iis, quae sunt ad Deum, ut offerant Dona et Sacrificia pro peccatis constitutos, considerare attentius oportet, quam grave et tremendum sit munus, ipsis hac in re commissum; meditentur proinde mysterii, quod tractaturi sunt, altitudinem atque excellentiam, propriamque miseriam, vilitatem, atque in diligendo Deum torporem; atque non tam ex consuetudine aut necessitate, sed maxima cum attentione, devotione, sedate, tranquilliter, leniterque Sacrum peragant, ut spiritualem rem agi omnes qui intersunt, facile cognoscant. Praeterea cum ad divini cultus splendorem dignitatemve augendam plurimum faciat accurata sacrorum rituum et caerimoniarum observantia, tum ipsis cum etiam eorum in Missa solemnibus ministris sedulam earum relectionem ac studium, inter ea vero, quae de praeparatione Sacerdotis celebraturi in Missalibus Romano et Monasteriensi, Missam nimirum antequam Sacerdos se sacris vestibus induat, in

<sup>1)</sup> Trident. Sess. 22. in decret. — <sup>2)</sup> Benedict. XIV. de sacrif. Miss. Sect. 2. §. 102. — <sup>3)</sup> S. August. epist. 166.

lissali esse perquirendam, relegendam, ac signacula suis  
 cis aptanda, uniformiter praescribuntur, ut accuratius exe-  
 nantur, mandamus, ne uti saepissime contingere solet, in  
 Itari existentes nimium temporis in evolvendo Missali cum  
 istidio et scandalo audientium insumere teneantur<sup>1)</sup>“.

An „sic vivis, ut quotidie merearis accipere<sup>2)</sup>“?  
 Statuit atque declarat ipsa sancta Synodus illis, quos con-  
 ientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se  
 ontritos existiment, habita copia confessoris, necessario  
 raemittendam esse Confessionem sacramentalem<sup>3)</sup>“.

An lubens Altare accedis et sedulo satagis, sacrosancta  
 lysteria frequentare? „Cum Sacerdos absque ullo impe-  
 imento est, nec ullum in anima peccatum habet, multis se  
 aud dubie bonis privat, et alios gratiis, si non ex reve-  
 entia, sed ex negligentia celebrare omittit; tum quantum  
 ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, Angelos  
 etitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, eos qui  
 unt in purgatorio consolatione, Ecclesiam beneficio spiri-  
 tuali, seipsum medicina, et vero remedio adversus peccata  
 infirmitates ordinarias<sup>4)</sup>“.

Numquid in celebrando debitum temporis spatium impendis?

„Ex unanimi Scriptorum opinione ad tertiam horae  
 artem saltem debet Missa pertingere, nec longior debet  
 esse dimidia hora<sup>5)</sup>“.

„Dicimus difficulter posse excusari a mortali, qui infra  
 quadrantem Missam absolveret, etiamsi Missa sit ex bre-  
 vioribus, vel de S. Maria in Sabbato<sup>6)</sup>“.

#### PRAXES DEVOTIONIS SOLIDAE.

Numquid tibi curae sunt devotionis praxes, quibus te  
 et pietatem excitare, et ad fervorem sanctimoniae in-  
 ammare valeas?

<sup>1)</sup> Decret. Synod. Monaster. die 28. Febr. 1785. — <sup>2)</sup> S. August.  
 serm. 28. de verb. Dom. — <sup>3)</sup> Trident. Sess. 13. Can. 11; item ibid.  
 cap. 7. — <sup>4)</sup> S. Bonavent. de praepar. ad Miss. — <sup>5)</sup> Benedict. XIV.  
 motif. 34. n. 30. — <sup>6)</sup> S. A. Liguori. Tract. de Euch. Nro. 400.

**Sciscitanti tibi, quales sint, commendantur :**

**Visitatio devota et frequens SS. Sacramenti pro nutriendo tenero amore erga Jesum in Eucharistia. „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos<sup>1)</sup>“.**

**Meditatio aliqualis quotidiana de Jesu Christi Passione. „In omnibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi<sup>2)</sup>“.**

**Se suaque omnia recondere in Sacratissimo corde Jesu per manus amantissimae Matris Mariae.**

**Quotidie proficere in devotione erga Beatissimam Virginem, e. g. per Rosarii recitationem aliasque pias praxes.**

**Hanc devotionem bonus Sacerdos inculcet populo e cathedra et in confessionali, nec quiescat, donec illa in parochia vigeat.**

**Erga S. Angelum custodem habeas „reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia<sup>3)</sup>“.**

**Saepe recurras ad Spiritum sanctum, ut divina sua unctione te doceat et confirmet.**

**Praecipuo quoque cultu honores et ames S. Josephum, patronum vitae spiritualis.**

**Apostolici viri est, multum affici erga SS. Apostolos eosque Sanctos, qui in patria, dioecesi que sudore et sanguine suo fidem foecundarunt.**

**Summopere reverearis cultu et obsequio Summum Pontificem, „cujus Sedis dignitatem toto Orbe venerabilem<sup>4)</sup>“.**  
**„Ad quam propter potentio rem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est eos, qui sunt undique fideles<sup>5)</sup>“.**

**Attendas, ut indulgentias a Summis Pontificibus concessas lucreris, et defunctorum animabus pie applies.**

<sup>1)</sup> Matth. 11, 28. — <sup>2)</sup> S. August. in manuali c. 32. — <sup>3)</sup> S. Bern. serm. in Psalm. „Qui habitat“. — <sup>4)</sup> S. Ennod. — <sup>5)</sup> S. Iren. lib. 3. haeres. cap. 3.



Magni habeas Congregationes et Sodalitates in spirituale fidelium emolumentum ab Ecclesia erectas et approbatas.

Denique domus et cubiculum tuum pietatem spiret, ubique oculi incidant.

## STUDIUM SCIENTIAE SACRAE.

„Ad vos mandatum hoc, o Sacerdotes... Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est<sup>1)</sup>“.

„Ignorantia in Sacerdotibus mater est omnium errorum, qui in Ecclesia Dei oriuntur<sup>2)</sup>“.

„Si quis ignorat, ignorabitur<sup>3)</sup>“.

„Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi<sup>4)</sup>“.

„Sicut vita, ita doctrina debet clarere (Sacerdos); nam sicut doctrina sine vita arrogantem reddit, ita vita sine doctrina inutilem<sup>5)</sup>“.

„Discite! eunt anni more fluentis aquae<sup>6)</sup>“.

Num quotidie, juxta praescriptum vitae ordinem aliquod temporis spatium studio scientiae sacrae impendis?

Identidem repetenda est Theologia moralis, item Rubricae, ne e memoria excidant.

„Quo ordine, quo conatu, quo fine studiis incumbis<sup>7)</sup>“.

An studes primum necessariis, dein utilibus, reservans curiosa, licet honesta, in recreationis tempus?

Numquid a peccato excusari potest, qui curiosis inani-  
busque inhiat, necessaria et utilia fastidians?

„Sunt qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est: sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est: sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, et turpis quaestus est; sed sunt quo-

<sup>1)</sup> Malach. 2, 1 et 7. — <sup>2)</sup> Concil. Tol. 4. — <sup>3)</sup> 1. Corinth. 14, 38. — <sup>4)</sup> Osee 4, 6. — <sup>5)</sup> Concil. Aquisgran. ex S. Isidor. — <sup>6)</sup> Ovid. — <sup>7)</sup> S. Bern. serm. 36. in Cant.

que, qui scire volunt, ut aedificent, et charitas est: et item sunt qui scire volunt, ut aedificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, quippe ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant<sup>1)</sup>“.

Ut bono cum successu scientiae sacrae operam naves, pura oportet procedas intentione, vitiis non deditus. „Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis<sup>2)</sup>“.

„Serio (vos), ac paterne commonemus, ut per pias lectiones et studia sacra continuo excolatis scientiam vestram<sup>3)</sup>“.

„Omnes enim tenentur scire ea, quae ad eorum statum vel officium spectant. . . Manifestum est autem, quod quicumque negligit habere vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccato peccat omissionis, unde propter negligentiam ignorantia eorum, quae aliquis scire tenetur, est peccatum<sup>4)</sup>“.

Ceterum, quanto major es, quanto doctior, „humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam<sup>5)</sup>“.

„Si vis utiliter aliquid scire et discere: ama nesciri et pro nihilo reputari<sup>6)</sup>“.

#### SUPERBIA.

Num serio perpendis „*superbiam esse initium omnis peccati*<sup>7)</sup>“.

„Deo odibilem et hominibus<sup>8)</sup>“.

„Sequitur superbos ultor a tergo Deus<sup>9)</sup>“.

Laborasne sedulo, ut hoc vitium in te extirpes? „Qui se humiliaverit, exaltabitur<sup>10)</sup>“.

Superbiae est, talenta velle ostendere, aliis nolle credere, consilia non petere, sed sibi soli sapere; item blandiri

<sup>1)</sup> S. Bern. serm. 36. in Cant. n. 3. — <sup>2)</sup> Sap. 1, 4. — <sup>3)</sup> Decret. Synod. Dioces. Monaster. die 16. Octobr. 1827. — <sup>4)</sup> S. Thom. 1, 2. q. 76. a. 2. — <sup>5)</sup> Eccli. 3, 20. — <sup>6)</sup> De imit. Christi lib. 1. cap. 2. — <sup>7)</sup> Eccli. 10, 15. — <sup>8)</sup> Ibid. 7. — <sup>9)</sup> Senec. Herc. 385. — <sup>10)</sup> Matth. 23, 5.

divitibus, contemnere pauperes, respectu humano duci, animum despondere, tristari, irasci etc. „feriuntque summos fulmina montes<sup>1)</sup>“.

„Noli phaleratam aliquando proavorum lineam texere, ut de vana te velis alieni nominis generositate jactare. Plane qui haeres Dei et cohaeres est Christi, omnem terreni stemmatis prosapiam superat. Veruntamen esse Christianum, magnum est, non videri vel dici: et ille plus saepe placet mundo, qui displicet Deo<sup>2)</sup>“.

Multum caveat Sacerdos oportet, ne contrahat arrogantiam et animae durtiem: „Abominatio Domini est omnis arrogans<sup>3)</sup>“; ex ista enim saepe dissidia oriuntur, quae sancta simplicitate evitari potuissent. „Nihil tam durum et arduum, quod non amoris igne vincatur<sup>4)</sup>“.

Econtra „Exitio multis fastus et ira fuit<sup>5)</sup>“.

„Nihil tam inglorium, quam gloriae cupidum deprehendi<sup>6)</sup>“

„Contemne divitias, et eris locuples; contemne gloriam, et eris gloriosus; contemne supplicia inimicorum, tunc eos superabis; contemne remissionem et quietem, et tunc eam recipies<sup>7)</sup>“.

„Facile contemnit omnia, qui ad contemptum sui venit: vis ergo habere omnia, contemne omnia<sup>8)</sup>“.

#### IRACUNDIA.

„Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit<sup>9)</sup>“.

„Ira impotens furor est, sui que poena atrox<sup>10)</sup>“.

„Nihil foedius, nihil damnosius, nihil levius, nihil turpius in pastore, furiositate<sup>11)</sup>“.

„Nihil ab irato fortiter fieri potest<sup>12)</sup>“.

„Candida pax homines, trux decet ira feras<sup>13)</sup>“.

1) Horat. l. 2. od. — 2) S. Petr. Dam. opusc. 49. c. 11. — 3) Proverb. 16, 5. — 4) S. Chrysostr. — 5) Ovid. — 6) S. Bern. epist. 106. — 7) S. Chrysostr. in epist. ad Hebr. serm. 25. — 8) Senec. epist. 22. — 9) Ecclae. 7, 10. — 10) Anis. — 11) S. August. serm. 36. ad frat. in erem. — 12) Anis. — 13) Ovid.

Numquid hosce naturae motus in te sedulo coerces?

„Efficacissimum irae coercendae remedium est dilatio vindictae, vel operis in ira concepti<sup>1)</sup>“.

„Ut fragilis glacies, interit ira mora<sup>2)</sup>“.

Athenodorus philosophus Caesari Augusto ultimum hoc monitum pro *Vale* dedit: „Iratus nil dicas, nil facias, priusquam Alphabetum integrum recitaveris<sup>3)</sup>“.

#### AMBITIO.

Numne „amas primos recubitus in coenis, primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus: Rabbi<sup>4)</sup>“?

„Quoties hominibus praeesse desidero, inquit S. Bernardus, toties Deum meum praecire contendo, et tum vere non sapio, quae Dei sunt<sup>5)</sup>“.

„Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum aerugo, tineae sanctitatis, excaecatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. . . . Quantos hoc negotium perambulans in tenebris trudi fecit in tenebras exteriores, veste spolians nuptiali, et virtutum exercitia fructu pietatis evacuens? Quantos pestis haec nequiter supplantatos turpiter quoque dejecit, ut ceteri quoque, quos latuit occultus effossor, subitam expavescerent ad ruinam<sup>6)</sup>?“ **Ambitionis** usus brevis, finis ignotus. . . „O Ambitio, ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales crebrius negotiis ejus<sup>7)</sup>“.

Quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur.

„Saepe, quos nulla vitia delectant, quos nulla potuit

<sup>1)</sup> Senec. lib. 3. de Ira. Cap. 1. — <sup>2)</sup> Ovid. — <sup>3)</sup> Plutarch. in *vita Augusti*. — <sup>4)</sup> Matth. 23, 6. — <sup>5)</sup> Homil. 2. super „Missus est“. — <sup>6)</sup> S. Bern. serm. 6. in Psalm. 90. — <sup>7)</sup> Idem. lib. 3. de *Consid.* c. 1.

movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos <sup>1)</sup>“.

HYPOCRISIS.

„Hypocrisis est odium, amicitiae habitu velatum, est invidia dilectionis stylum imitans, est justitiae simulatio, quae sola conservatur apparentia, quae astute mores colorat, et pravam animi affectionem tegit apparente pietatis habitu <sup>2)</sup>“.

„Vae vobis, . . . hypocritae <sup>3)</sup>“! „Non venietis in conspectu Dei <sup>4)</sup>“.

Inquire in te, num sis „duplici corde <sup>5)</sup>“, et habitatio tua in medio doli <sup>6)</sup>“.

„Nulla simulatio diuturna <sup>7)</sup>“.

„Mores latentes tempus educit foras <sup>8)</sup>“.

„Quidquid in occulto est, in apricum proferet aetas <sup>9)</sup>“.

INVIDIA.

„Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius <sup>10)</sup>“.

„Invidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiae causa, ignominiae principium, mortifer stimulus, mucro reconditus, naturae morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, intestinorum ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est <sup>11)</sup>“.

„Virus est, quo alios spargitis, vos ipsos necatis <sup>12)</sup>“.

„Sicut aerugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit et consumit <sup>13)</sup>“.

---

<sup>1)</sup> S. Ambros. in cap. 4. Luc. — <sup>2)</sup> S. Maxim. Cent. 3. Oecon cap. 67. — <sup>3)</sup> Matth. 23. — <sup>4)</sup> Job. 13, 16. — <sup>5)</sup> Eccli. 1, 36. — <sup>6)</sup> Jerem. 9, 6. — <sup>7)</sup> Ludow. Viv. — <sup>8)</sup> Anis. — <sup>9)</sup> Horat. epist. 1, 6, 24. — <sup>10)</sup> Sap. 2, 24. — <sup>11)</sup> S. Gregor. Nyss. in vita Moysis. — <sup>12)</sup> Annae. — <sup>13)</sup> S. August. serm. 83. de temp.

„Livor edax hominum vivorum encomia carpit,  
Ut defunctorum corpus vermibus edit<sup>1)</sup>“.

„Invidus alterius macrescit rebus opimis;  
Invidia Siculi non invenere Tyranni  
Tormentum majus<sup>2)</sup>“.

Et quae est causa hujus sceleris? „Nulla penitus.  
respondit S. Chrysostomus, nisi tantum intensa nequitia<sup>3)</sup>“.

Inquire in te, num tu liber sis ab isto vitio, illudque  
cane pejus et angue fuge, cum sit diaboli inventum, omnium  
morbus gravissimus, Deo maxime odibilis, „de cuius adeo  
auribus invidi oratio solet propulsari<sup>4)</sup>“.

Quod si autem tibi invidetur, gaude; nam:

„Miserrima est fortuna, quae invidia caret<sup>5)</sup>“.

„Nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis domine-  
tur iniquitas“.

#### CONTENTIO.

„Abstine te a lite, et minues peccata; homo enim  
iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos,  
et in medio pacem habentium immittet inimicitiam<sup>6)</sup>“.

„Nimium altercando veritas amittitur<sup>7)</sup>“.

„Contentiones a principio quidem exiles esse solent, et  
facile curantur; at procedente tempore auctae insanabiles  
omnino evadunt<sup>8)</sup>“.

„Cum pare contendere anceps est, cum inferiore sor-  
didum, cum superiore furiosum<sup>9)</sup>“.

„Cede repugnanti, cedendo victor abibis<sup>10)</sup>“.

„Plena victoria est, ad clamantem tacere, et non re-  
spondere provocanti<sup>11)</sup>“.

„In caput enim conviciantis dicta  
recidunt“.

---

1) Owen. — 2) Horat. lib. 1. epist. 2, 57. — 3) Homil. 44. ad  
popul. — 4) S. August. serm. 255. de temp. — 5) Publ. Syr. —  
6) Eccli. 28, 10 et 11. — 7) Publ. Syr. — 8) S. Basil. orat. 9. —  
9) Senec. de Ira. c. 34. — 10) Ovid. — 11) S. Valerian. homil. 9.

„Infelix victoria est, qua superans hominem, succumbis vitio<sup>1)</sup>“.

„Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio<sup>2)</sup>“.

Ergo „lite abstine, nam vincens multa amiseris<sup>3)</sup>“;  
et „si cesseris, dum viceris, bis viceris<sup>4)</sup>“.

Investiga vitam tuam, qualem te hac in re hucusque gesseris. In posterum: „Dissensio ab alio incipiat, a te reconciliatio<sup>5)</sup>“.

#### A V A R I T I A.

„Cavete ab omni avaritia<sup>6)</sup>“.

„Conturbat enim domum suam, qui sectatur avaritiam; qui autem odit munera, vivet<sup>7)</sup>“.

„Avarum irritat, non satiat pecunia<sup>8)</sup>“.

Quapropter cum regio Psalte sedulo ora: „Inclina cor meum (Deus) in testimonia tua, et non in avaritiam<sup>9)</sup>“.

„Ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis<sup>10)</sup>“.

Divitiae et vestimentum in usum tantum; usum autem non adjuvant immensae opes, sed opprimunt, ut navem ingentia onera.“

„Aurum si non utare, a caeno non differt, nisi quod magis angit ejus custodia<sup>11)</sup>“.

„Despice divitias, si vis animo esse beatus.

Quas qui suspiciunt, mendicant semper avari<sup>12)</sup>“.

¶ Perscrutare proin, numne nimio studio terrena et caduca quaeras, tenacius retineas, damna impatienter aegriusve feras; an libenter eleemosynas distribuas, detrimentaque aequo animo patiaris.

---

1) S. Bern. — 2) Prov. 17, 1. — 3) Anis. — 4) Idem. — 5) S. Martin. sent. ad Miton. — 6) Luc. 12, 15. — 7) Prov. 15, 27. — 8) Publ. Syr. — 9) Psalm. 118, 36. — 10) S. Hieron. epist. ad Nepot. — 11) Ludow. de Viv. — 12) Cat. dist. lib. 2.

„Monstro similis est avaritia senum; quid enim stultius est, quam via deficiente viaticum augere<sup>1)</sup>“?

„Qui possidet se, non qui opes, dives est<sup>2)</sup>“.

### OTIUM.

Lex lata est omni homini: „Si quis non vult operari, nec manducet<sup>3)</sup>“.

„ . . . . . Nil sine magno

Vita labore dedit mortalibus<sup>4)</sup>“;

„ . . . fugit irreparabile tempus<sup>5)</sup>“,

„ . . . Nec nasci bis posse datur<sup>6)</sup>“.

„Jactura nulla gravior est quam temporis<sup>7)</sup>“.

Num otium vitas, ut malorum omnium et imprimis impuritatis seminarium?

„Multam enim malitiam docuit otiositas<sup>8)</sup>“.

„Omnium tentationum et cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors animae<sup>9)</sup>“.

„Quemadmodum ex temperato labore carnis incendia cohibentur, sic ex otio foventur et crescunt<sup>10)</sup>“.

„Sicut aqua, quae caret decursu, ac jacet in foveis, putrescit, ita corpus, otii tabe confectum, concupiscentiarum ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam<sup>11)</sup>“.

Idem et Poeta canit:

„Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus:

Ut capiant vitium, ni moveantur aquae<sup>12)</sup>“.

„Otium et reges simul, et beatas perdidit urbes<sup>13)</sup>“.

Otium adeo execrandum est, ut potius supervacaneus labor placeat, quam nullus. Ergo:

1) S. Martin. Bracar. — 2) Anis. — 3) 2. Thess. 3, 10. — 4) Horat. lib. 1. sat. 9, 60. — 5) Virgil. lib. 3. Georg. — 6) Idem lib. 10. Aeneid. — 7) Anis. — 8) Eccli. 33, 29. — 9) S. Bern. epiat. ad fratr. de mont. Dei. — 10) S. Laurent. Iust. lib. de ligno vit. cap. 5. — 11) Idem. lib. de Perfect. grad. cap. 9. — 12) Ovid. Pont. 1, 5, 5. — 13) Catull. ad Lesb.



„Segnitiam fugito, quae vitae ignavia fertur :

„Nam cum animus languet, consumit inertia corpus<sup>1)</sup>“.

Vitam proin tuam minutatim interroga, num sine ordine tua facias negotia, num ea differas, peragasve oscitanter, propere, levi brachio, aut perfunctorie. Inquiras etiam, an somno, quantum licet, subtrahas. Sapientium iudicio septem horarum spatium liberalis est somni mensura; quod excedit, et superfluum et damnosum est, quantumcunque sit gratum.

„Plus quam labor, desidia corpus conficit<sup>2)</sup>“.

#### CASTITAS.

„Mundamini, qui fertis vasa Domini<sup>3)</sup>“.

„Quo non oportet esse puriorem, tali fruentem sacrificio! Quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem! Os, quod igni spirituali repletur, linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit! Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris<sup>4)</sup>“.

Quomodo affectus es erga hanc virtutem? Eamne magni habes? Adeo pagani incastos ab aris arcebant; audi Poetam :

„Vos quoque abesse procul jubeo; discedite ab aris,

    Queis tulit hesternae gaudia nocte Venus.

„Casta placent superis; pura cum veste venite,

    „Et manibus puris sumite fontis aquam<sup>5)</sup>“.

Pro conscientiae pace et hilaritate, pro independentia et vigore interiore, pro intima cum Christo conservanda familiaritate et fovenda, pro Sacerdotii gloria et populi aedificatione, „te ipsum castum custodi<sup>6)</sup>“, et pro ea, quae te decet, et tibi stricte incumbit, sacerdotali gravitate vel minimam incontinentiae suspicionem devita.

Adverte, sufficere quaecunque „peccatum externum

1) Cat. Dist. lib. 3. — 2) Anis. — 3) Jsaï. 52, 11. — 4) S. Chrysost. Homil. 60. ad popul. Antioch. — 5) Tibull. lib. 2. Eleg. 1, 11—14. — 6) 1. Timoth. 5, 22.

grave contra sextum praeceptum, licet sit solus tactus sive colloquium“, ut sacerdos potestate careat, ab eo *complicem* suum absolvendi, et incurrat excommunicationem papalem, si absolvat<sup>1)</sup>.

#### PRO CASTITATE SERVANDA.

Vigilansne semper super te, orasque Deum, et in tentatione ad ipsum mox fiducialiter recurris?

„Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire, cujus esset hoc donum, adii Dominum, et deprecatus sum illum<sup>2)</sup>“.

„Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Tuta requies in vulneribus Salvatoris<sup>3)</sup>“.

An humilitatem colis? „Ut castitas detur, humilitas meretur<sup>4)</sup>“.

Custodisne oculos, aures, linguam, omnesque sensus, simulque cordi et menti tuae invigilas, haud nescius, etiam turpia libere desiderantem cogitantemve supplicia aeterna mereri: „Momentaneum quod delectat, aeternum quod cruciat<sup>5)</sup>“.

„Heu! quanta insania est, exiguis et brevi tempore duraturis deliciis aeternos emere dolores<sup>6)</sup>“!

Fugisne occasiones ansasque tentationum et lapsuum? „Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam<sup>7)</sup>“.

„Cum femina semper esse, et non peccare cum femina, nonne plus est, quam mortuum suscitare<sup>8)</sup>“?

„Omni homini noli intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri<sup>9)</sup>“.

---

1) S. Alphonsus de Lig. lib. 6. Th. Mor. Tract. 4. Cap. 2. Nro. 554.  
 — 2) Sap. 8, 21. — 3) S. August. medit. — 4) S. Bern. — 5) S. Gregor. — 6) S. Hieron. — 7) S. August. in serm. 350. de temp. —  
 8) S. Bern. serm. 65. in Cantica. n. 4. — 9) Eccli. 42, 12 et 13.

Numquid omnem familiaritatem cum sexu altero, et evitatem cane pejus et angue abhorres et fugis?

„Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis<sup>1)</sup>“.

„Non raro sub praetextu pietatis latet viscus libidinis<sup>2)</sup>“.

„Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt<sup>3)</sup>“.

Num cum domestica aliisque ambulas, vel ad convivia et dedicationes vadis?

„Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter ingi potest, ne fingatur, ante devita<sup>4)</sup>“.

Neque dicas, tibi sufficere tuam conscientiam, et flocci pendere, quid homines oggant. Etenim „duae res sunt conscientia et fama; conscientia necessaria tibi, fama proximo tuo<sup>5)</sup>“.

— „Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus<sup>6)</sup>“.

Ut autem sacerdos, cui gravissima incumbit obligatio, bonum praebere virtutum exemplar, bona provideat coram Deo, oportet sane, et suspicionis ansam omnem e medio tollat. Quod qui negligit et „spernit modica, paulatim lecidet<sup>7)</sup>“.

Hinc illae lacrimae, hinc foedissimi illi lapsus, qui parvis saepe ab initiis, non raro per omnium malorum summum, per apostasiam a fide desinunt. Utinam Confessarii saltem officio suo, pro data sibi divinitus potestate, intrepide fungerentur! Utinam omnes servarent, quod Fr. Conradus Episcopus Constantiensis an. 1767 sapientissime praescripsit: „Confessarii non solum levitates quascunque, quas fornicationum initia esse sapienter non nemo dixit, in clericis et puellis, illis deservientibus, acriter reprehendant, sed *separationis remedium ceu tutissimum mature suadeant et injungant*, memores, quod secus, et si in hac re

1) S. Hieron. — 2) S. Augustin. — 3) S. Augustin. in Psalm. 50.  
 4) S. Hieron. epist. ad Nepot. — 5) Senec. — 6) 2. Corinth. 8, 21.  
 7) Eccl. 19, 1.

mitius agant, non solum subsequen-  
tium graviorum peccato-  
rum, verum etiam prostitutionis, in totum venerabilem  
Clerum ex paucorum lapsibus, si hi publici fiant, redun-  
dantis, gravissimam Deo reddituri sint rationem<sup>1)</sup>“.

„Periclitatur castitas in deliciis, Humilitas in divitiis,  
Pietas in negotiis, Veritas in multiloquio, Charitas in hoc  
nequam saeculo<sup>2)</sup>“.

#### SOLITUDO.

„In silentio et spe erit fortitudo vestra<sup>3)</sup>“.

„Qui vult feliciter vivere, studeat nec videre multa nec  
audire<sup>4)</sup>“.

„Quid tibi vitandum praecipue existimem quaeris?  
Turbam . . . Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nun-  
quam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod  
composui, turbatur; aliquid ex his, quae fugavi, redit . . .  
Inimica multorum est conversatio. Nemo non aliquod no-  
bis vitium aut commendat aut imprimit, aut nescientibus  
allinit<sup>5)</sup>. . . . Sic est, non muto sententiam: fuge multitu-  
dinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum . . . Non invenio,  
cum quo te malim esse, quam tecum. Recede in te ipsum,  
quantum potes<sup>6)</sup>; . . . ut extra bellum oculorum, aurium  
et linguae vivas<sup>7)</sup>“.

„O Solitudo beata! o ereme, mors vitiorum, vita vir-  
tutum! Te lex et Prophetae mirantur, et quicumque ad  
perfectionem venerunt, per te in te paradisum introierunt . . .  
Ipsae Dei Filius Salvator et Magister noster exemplum de-  
dit nobis, fugiens in desertum, et mansit in solitudine<sup>8)</sup>“.

Examina te sincere, num inter istos pertineas, qui  
„garruli et vagi, quietis impatientes, non valent in domo

<sup>1)</sup> Cfr. Examen ad usum Cleri. Ratisbonae et Cothenii 1844. pag.  
31., opusculum egregium et apprime commendandum. — <sup>2)</sup> S. Bern. —  
<sup>3)</sup> Isai. 30, 15. — <sup>4)</sup> Just. epist. ad Zen. et Seren. — <sup>5)</sup> Senec.  
epist. 7. — <sup>6)</sup> Senec. epist. 10. — <sup>7)</sup> S. Hieron. — <sup>8)</sup> S. Bern.

consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis cur-  
sitantes<sup>1)</sup>“.

Inquire in te, an non cubiculum solitarium oderis, et  
potius convivia anheles, cauponas et venationes?

„O miseram sacerdotum vitam! qui dum lucrandis  
fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt: 'qui  
dum mortibus student animalium, vitam suarum perdunt  
animarum<sup>2)</sup>“.

Vitae vagae dediti et dissipatae multis se implicant  
naevis, et nonnisi magnis luctis et pugnis fortiter exant-  
latis resipiscunt. Ergo:

„Principiis obsta! sero medicina paratur,  
Cum mala per longas convaluere moras<sup>3)</sup>“.

„Vince te ipsum! haec optima omnium victoria est<sup>4)</sup>“.

#### CUSTODIA SENSUUM.

„Ad custodiendam cordis munditiam exteriorum sen-  
suum mundities servanda est. Mors per fenestras ascendit,  
et domum ingreditur<sup>5)</sup>“.

„Oculis, voluptatis ministris, impera<sup>6)</sup>“.

„Lingua mali pars pessima servi<sup>7)</sup>“; „et in multis  
sermonibus invenietur stultitia<sup>8)</sup>“.

„Difficilem oportet aurem habere ad crimina<sup>9)</sup>“.

„Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab  
angustiis animam suam<sup>10)</sup>“.

Inquire in te, num sedulo compescas sensus tuos?

„Virtutem primam esse puta, compescere linguam:  
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere<sup>11)</sup>“.

„Quod semel emissum est, volat irrevocabile verbum<sup>12)</sup>“.

„Contra verbosos noli contendere verbis:

Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis<sup>13)</sup>“.

1) Prov. 7, 11. — 2) Nicol. 1. epist. ad Alvin. — 3) Ovid. —  
4) Anis. — 5) S. Gregor. cap. 31. Job. — 6) Anis. — 7) Juvenal.  
Sat. 9, 120. — 8) Ecclae. 5, 2. — 9) Publ. Syr. — 10) Prov. 21, 23.  
— 11) Cat. dist. lib. 1. — 12) Horat. epist. 1, 18, 81. — 13) Cat. dist. lib. 1.

## MODESTIA.

„Modestia vestra nota sit omnibus hominibus<sup>1)</sup>“.

„Sic decet omnino Clericos . . . vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant<sup>2)</sup>“.

„In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendant adspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem<sup>3)</sup>“.

Modestia eluceat oportet in lingua, vultu, incessu, victu atque vestitu, in domus supellectili, et conversatione.

„Modestus esto aequae in jocis ac seriis<sup>4)</sup>“.

„Inter convivias fac sis sermone modestus:

Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi<sup>5)</sup>“.

„Cum sederis, ne in latus pigrorum instar reclinaveris, pedes ne longius coram aliis protendas. Exterior enim incompositio corporis est indicium indevotae mentis<sup>6)</sup>“.

Examina singula tua: Sermonem, adspectum, vultum, incessum, gestum, habitum. . . An non foede cachinnes, inconsiderate garrias, oculis circumvageris, petulantius incedas, cursites per nundinas et compita?

„Sunt Clerici, qui scurras in conviviis agunt, qui digni non sunt, ut Clerici appellentur. Sunt curiosi et leviculi, qui in foris, in compitis, in plateis, in vicis obambulant vagis oculis, effreni lingua, petulante fluidoque incessu, quos aversamur<sup>7)</sup>“.

## SUPELLEX.

„Nolite declinare post vana, quae non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt<sup>8)</sup>“.

Num uteris modesta supellectili, an justo elegantiori, nimiumve saeculari et fastosa?

1) Philipp. 4, 5. — 2) Trident. Sess. 22. Cap. 1. de Ref. —  
3) S. Augustin. in Regul. — 4) Anis. — 5) Cat. dist. lib. 3. —  
6) S. Bonav. de trip. stat. relig. part. 1. cap. 20. — 7) Synod. Colon. an. 1536. — 8) 1. Reg. 12, 21.

„Contemne omnia, quae supervacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te praeter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est<sup>1)</sup>“.

Heu! quam multi ogganniant huic Senecae iudicio, qui utem non e sapientiae schola prodiisse censendi, sed ex illiteratae plebis taberna, quae noctes diesque sudat pro vanitate.

„Sacerdotes modesta supellectili ac mensa, ac frugali rictu contenti sint<sup>2)</sup>“.

An propter supellectilis comparandae sumptus cogeris lebita contrahere, et solvenda differre?

#### HABITUS.

„Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo<sup>3)</sup>“.

„In vestitu ne glories unquam<sup>4)</sup>“.

„Oportet . . . clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant: tanta autem hodie aliorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus<sup>5)</sup>“.

Habetne vestis tua formam elegantiolem „deformitatis nentis et morum indicium<sup>6)</sup>“.

„Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori . . . Mollia ndumenta animi molliem indicant<sup>7)</sup>“.

Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum autem nullus, aut exiguus<sup>8)</sup>“.

---

<sup>1)</sup> Senec. epist. 8. — <sup>2)</sup> Dist. 41. Cap. Episcopus et Trident. sess. 25. Cap. 1. de Ref. — <sup>3)</sup> Eccli. 19, 27. — <sup>4)</sup> Eccli. 11, 4. — <sup>5)</sup> Trident. Sess. 14. cap. 6. de Ref. — <sup>6)</sup> S. Bernard. de Consid. b. 3. cap. 5. — <sup>7)</sup> S. Bern. Apol. ad Guill. c. 9 — <sup>8)</sup> Idem. ist. 42.

„Ornatus et sordes pari modo fugiendae; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet<sup>1)</sup>“.

„In vestitu vanitas ac levitas omnino vitetur: vestes sint, quantum fieri potest, nigri coloris, et maximae simplicitatis, et ut mundanus vestem mutandi modus clericum minime afficiat, valde optamus, ut uniformis sit sacerdotum vestitus, nec non in hunc finem vestem, quam vocant synodalem, omnibus commendamus. Deinde volumus et stricte mandamus, ut tonsura clericalis, istud insigne dignitatis et humilitatis, quae decet Sacerdotem Christianum, memoriale et character a vobis omnibus sine discrimine portetur, et saepius renovetur<sup>2)</sup>“.

„Nos Sacerdotes in coronam attondemur, ut semper memores simus Christi infandi cruciatus et ignominiae<sup>3)</sup>“.

Quomodo hisce obtemperas? . . .

#### CONVERSATIO.

Num in mansuetudine, „in simplicitate cordis, sinceritate . . . et gratia Dei<sup>4)</sup>“ conversamini cum proximo, sine querela, morositate et levitate: „Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum<sup>5)</sup>“.

„Mansueti autem haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis<sup>6)</sup>“.

„Statuit Synodus, ut quae alias . . . de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessionibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscunque criminibus, nec non saecularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur<sup>7)</sup>“.

„Vestitu insuper decenti tam in Ecclesia, quam extra-

1) S. Hieron. ad Nepot. — 2) Decret. Synod. Monast. die 19. Martii. 1844. — 3) V. Beda. — 4) 2. Corinth. 1, 12. — 5) 2. Corinth. 6, 3. — 6) Psalm. 30, 11. — 7) Trident. Sess. 22. cap. 1. de Ref.



assidue utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant<sup>1)</sup>“.

Voce unanimi synodales canones et dioecesana statuta, nova et vetera, tabernarum frequentatione edendi, bibendi vel ludendi causa, poenis severis clericos prohibent, excepto itineris vel necessitatis casu: „vilescit enim plurimum ex ea turpi et indecora consuetudine Ecclesiastici ministerii dignitas<sup>2)</sup>“; et adeo Poetq̄:

„Improba corrumpunt rectos consortia mores“.

## EBRIETAS.

„Vae, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem<sup>3)</sup>“.

„Vinum memoriae mors<sup>4)</sup>“.

An lauta mensa et abundantiori potu foveas libidinem?

„Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes<sup>5)</sup>“.

Nonne sacerdotalem deificamque professionem tuam ebrietatis sordibus contaminas? „Quanto melior asinus ebrioso est, quanto canis praestantior est! Omnes certe animantes, quae rationis expertes sunt, cum bibunt et comedunt, ultra quam satis est, etiamsi mille homines coegerent, nunquam biberent: pejores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini<sup>6)</sup>“.

Quid boni praestabit heluo, vino aut cerevisia madens? Ad quod vitium non disponitur et inclinatur? „Ubi ebrietas, ibi certo certius luxuria est<sup>7)</sup>“ — „Nunquam ego ebrium castum putabo<sup>8)</sup>“?

1) Trident. Sess. 24. cap. 12. de Ref. — 2) Synod. Constant. et Camerac. — Item Can. Apost. 53. — Adversus illos Sacerdotes, qui Popinas frequentare non verentur, juxta decretum Clementis Augusti, Episcopi monasteriensis, de dato 5ta Octobris 1750, ac illud de 30ma Octobris 1761 constituta est mulcta sex imperialium a quovis semel contraveniente exigenda. Cfr. decret. Synod. Monaster. 12. Martii 1800. — 3) *Isai.* 5, 11 et 22. — 4) *Lud. Viv.* — 5) *Eccli.* 19, 2. — 6) *S. Chrysost. hom.* 50 in *Matth.* — 7) *S. Ambros. in cap. 5 ad Ephes.* — 8) *S. Hieron. in cap. 1. ad Tit.*

Quod autem maxime horrendum est, et nos stimulet oportet contra istud vitium, ut principii viriliter obstemus, difficultas sane est, ex gulae sordibus et spurcitiis exurgendi. Audi S. Basilium et discce tibi timere: „Multos, inquit, ego animadverti saepe, qui cum alterius cujusvis generis vitiis laborarent, ad sanitatem tamen postea redierint; qui tamen gulae vitio teneretur, *neminem ex omnibus vidi unquam, qui convalesceret* <sup>1)</sup>“.

Ergo:  
 „Principiis obsta! sero medicina paratur,  
 Cum mala per longas convalescere moras <sup>2)</sup>“.

#### MORTIFICATIO.

„Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me <sup>3)</sup>“.

Num tibi persuasa est mortificationis praestantia, necessitas, utilitas et aequitas?

„Non est ad astra mollis e terris via <sup>4)</sup>“.

Omne virtutis exercendae compendium, teste vetere philosophia, exprimitur tribus voculis: „*Sustine, abstine, age*“.

„Est virtus, placitis abstinuisse bonis <sup>5)</sup>“.

„Tolle superflua, et salubria surgunt. Utilitati accedit, quidquid cupiditati demis <sup>6)</sup>“.

Num serio perpendis, sine mortificatione te non posse virtutes acquirere, obtentasque conservare?

„Castimoniam nunquam assequeris, nisi te carnis maceratione afflictaveris, sensus omnes compresseris <sup>7)</sup>“.

Quomodo eam exerces in cibo, potu, corporis situ et motibus naturae? An unquam desinis, et naturae indulges?

„Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata <sup>8)</sup>“;

Ergo et semper contra nitendum est et pugnandum.

1) Serm. de abdic. saecul. — 2) Ovid. — 3) Matth. 16. 24. —  
 4) Senec. Herc. fur. 437. — 5) Ovid. Her. 17. 98. — 6) S. Bern.  
 — 7) S. Carol. Borr. — 8) Ovid.

## JEJUNIUM.

„Bona est oratio cum jejuni<sup>1)</sup>); Deus enim corporali vicio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur praemia<sup>2)</sup>“.

Num jejunii legem et abstinentiae ab esu carniū rite ervas, vespere modica collatiuncula contentus?

Synodus Salisburg. an. 1569. praecipit, ut Clericus unii legem negligens, „omnibus beneficiis privetur, et carcere, triduo quidem in hebdomada solo pane et aqua acerandus, tanto tempore detineatur, quo usque firmis- am verae poenitentiae significationem dederit<sup>3)</sup>“.

Habesne perspectam jejunii praestantiam, aequitatem, itatem et necessitatem?

„Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem vitui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, conscientiae pravae nebulam dispellit, libidinis fomitem exiguat, castitatis splendorem et pudoris radios emittit<sup>4)</sup>“.

Adeo corporis sanitati prodest jejunium: „In multis m escis erit infirmitas. . . . Propter crapulam multi obiect; qui autem abstinens est, adjiciet vitam<sup>5)</sup>“.

„Si vis incolumem, si vis te reddere sanum, Parce mero, coenato parum“.

## SOBRIETAS.

„Sobrius esto<sup>6)</sup>“.

Anhelasne mensas lautas et convivia? „Convivia veluti isdam catenas fugias voluptatum<sup>7)</sup>“.

„Facile contem- nr Clericus, qui saepe vocatus ad prandium, ire non usat<sup>8)</sup>“.

„Tantum cibi et potionis adhibendum est, ut refician- vires, non opprimantur<sup>9)</sup>“.

<sup>1)</sup> Tob. 12, 8. — <sup>2)</sup> Eccles. in Praef. — <sup>3)</sup> Conatit. 58. — <sup>4)</sup> August. Serm. de jejun. — <sup>5)</sup> Eccli. 37, 33 et 34. — <sup>6)</sup> 2. Timoth. 3. — <sup>7)</sup> Hieron. — <sup>8)</sup> Idem epist. ad Nepot. — <sup>9)</sup> Cat. maj.

„Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. In his ergo tentationibus positus certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi et bibendi<sup>1)</sup>“.

Quin imo sobrietate morbi corporis sanantur: „Legimus enim, quosdam articulari morbo et podagrae humoribus laborantes, proscriptioe bonorum ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos, convaluisse<sup>2)</sup>“.

#### OBEDIENTIA.

„Obedite praepositis vestris, et subjacete eis<sup>3)</sup>“.

„Sola obedientia tenet palmam, sola inobedientia invenit poenam<sup>4)</sup>“.

Num magni aestimas Superiorum mandata et praescripta, eisque humiliter, prompte et laete acquiescis, v. g. decisionibus Summi Pontificis, tui Episcopi mandatis, etc. eaque sincere in praxim deducis? An internum iis praestas obsequium, sine murmuratione? — „Vir obediens loquetur victoriam<sup>5)</sup>“.

„Nullam prorsus inobedientiam dico parvi ducendam<sup>6)</sup>“.

#### PAUPERTAS SPIRITUS.

„Beati pauperes spiritu<sup>7)</sup>“.

„Divitiae si affluent, nolite cor apponere<sup>8)</sup>; habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus<sup>9)</sup>“.

„Contemne vivens, quae post mortem habere non poteris<sup>10)</sup>“; et omnia, quae morte amittes, jam nunc amissa duxeris.

Serione perpendis, sine spiritus paupertate te non posse salvum fieri?

---

<sup>1)</sup> S. Augustin. lib. 10. Confess. cap. 31. — <sup>2)</sup> S. Hieron. Dist. 5. de consec. c. Legimus. — <sup>3)</sup> Hebr. 13, 17. — <sup>4)</sup> S. August. in Psalm. 70. — <sup>5)</sup> Prov. 21, 28. — <sup>6)</sup> S. Bern. de praecep. et disp. cap. 9. — <sup>7)</sup> Matth. 5, 3. — <sup>8)</sup> Psalm 61, 11. — <sup>9)</sup> 1. Timoth. 6, 8. — <sup>10)</sup> S. Bern. serm. 53. de modo bene vivendi.

Annō immoderate terrenis caducisque inhias, jura tua ultimum assem exigendo, ditiora beneficia venando, quater eos pertineas, „quos Salvator *mercenarios* appellat, ... met ipsos, non oves pascentes, quorum turpitudine et imobitas ... efficit, ut ipsi nihil amplius ex sacerdotio conquantur, quam Judas ex Apostolatus munere, quod illi impiternum exitium attulit<sup>1)</sup>“.

„Quaestus et lucri causa ad altare accedere, maximum crilegium est<sup>2)</sup>“.

„Boni Pastoris est, non quaerere quae sua sunt, sed pendere<sup>3)</sup>“.

Cui thesaurizas? Interdictum plane beneficiatis: „ne ex ditibus Ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere ideant<sup>4)</sup>“.

Utrum, ut ditescas, beneficia tibi cumulare studes? An nio confectus, et oneri ferendo impar, ad evitandos sumus auxilia recusas? „Omnia vitia senescunt, senescente mine, sola avaritia non senescit<sup>5)</sup>“.

#### ELEEMOSYNA.

„Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere ciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec a te tertatur facies Domini<sup>6)</sup>“.

„Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et vestimentis tuis nudos tege<sup>7)</sup>“.

„Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum si fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude<sup>8)</sup>“.

„Praemium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis<sup>9)</sup>“, „quoniam eleemosyna ab omni peccato et aorte liberat, et non patietur animam ire in tenebras<sup>10)</sup>“.

---

1) Catech. Rom. p. 2. c. 7. q. 4. n. 4. — 2) Catech. Rom. p. 2. 7. q. 4. n. 3. — 3) S. Bern. lib. 4. de Consid. c. 2. — 4) Triat. Sess. 25. cap. 1. de Ref. — 5) S. Gregor. Moral. lib. 15. p. 11. — 6) Tob. 4, 7. — 7) Ibid. 17. — 8) Ibid. 9. — 9) Ibid. — 10) Ibid. 11.

Numquid haec Tobiae monita rite observas, et lubens de tuis distribuis? „Hilarem datorem diligit Deus<sup>1)</sup>“.

„Si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti<sup>2)</sup>“.

Num attendis, beneficiatos teneri redditus beneficiales, congruae sustentationi superfluos, pauperibus piisve causis erogare?

„Quidquid praeter necessarium victum et vestitum simplicem de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est<sup>3)</sup>“.

„Cave, ne intra loculos tuos includas salutem inopum, et tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum<sup>4)</sup>“.

„Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur<sup>5)</sup>“.

„Saepe tecum in animo revolvas, tibi, cui cura animarum commissa est, praecepto divino mandatum, . . . pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere<sup>6)</sup>“, et „omnino interdictum, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos familiaresve tuos augere studeas<sup>7)</sup>“.

Annon sumptuose et prodige vivendo te imparem redditus pauperibus sublevandis?

„Negandi causa avaro nunquam deficit<sup>8)</sup>“.

#### CHARITAS ET HOSPITALITAS.

„Charitas fraternitatis maneat in nobis: et hospitalitatem nolite oblivisci<sup>9)</sup>“.

„Ante omnia autem mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum: hospitales invicem sine murmuratione<sup>10)</sup>“.

---

<sup>1)</sup> 2. Cor. 9, 7. — <sup>2)</sup> S. August. in Psalm. 42 et 45. — <sup>3)</sup> S. Bern. ep. 2. — <sup>4)</sup> S. Ambr. in Psalm. 119. — <sup>5)</sup> Prov. 21, 13. — <sup>6)</sup> Trident. Sess. 23. cap. 1. de Ref. — <sup>7)</sup> Trident. Sess. 25. cap. 1. de Ref. — <sup>8)</sup> Publ. Syr. — <sup>9)</sup> Hebr. 13, 1 et 2. — <sup>10)</sup> 1. Petr. 4, 8 et 9.

Num cum collegis vicinis charitate conjunctus es in  
ificationem gregis, „et a detractone parcis linguae<sup>1)</sup>“.

„Odit Dominus . . . eum, qui seminat inter fratres  
ordias<sup>2)</sup>“.

„Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum dam-  
ilius sit, non facile dixerim<sup>3)</sup>“.

„Ad poenitendum properat, cito qui judicat<sup>4)</sup>“.

Colisne hospitalitatem? „Hospitalem Sacerdotem esse  
rtet, ne sit de numero eorum, quibus in iudicio dicetur:  
*spes fui et non suscepistis me*<sup>5)</sup>“.

„Excipite hospites; at illis excipiendis intra parsimo-  
e fines vos continete, ita ut frugalitatis, non sumptuosi  
vivii testes illos habeatis<sup>6)</sup>“.

#### TEPOR.

Tepor seu acedia importat juxta S. Thomam<sup>7)</sup> quod-  
n taedium bene operandi, et est torpor mentis bona  
gigentis, et tristitia aggravans retrahensque a bene  
rando.

Signa, quibus hoc lolium dignoscas, enumerat S. Ber-  
rdus, dum tepidos depingit: „Est invenire, inquit, . . .  
nines pusillanimes et remissos, deficientes sub onere,  
ga et calcaribus indigentes ob pigritiam; quorum brevis  
rara collectio et compunctio spiritus; quorum animalis  
sensualis cogitatio, immodesta et scandalosa conversatio;  
orum obedientia sine devotione, sermo sine circum-  
ectione, oratio sine debita attentione, lectio sine sui con-  
eratione; quos vix gehennae metus inhibet, vix pudor  
inhibet, vix fraenat ratio, vix disciplina coerçet<sup>8)</sup>“.

Vitium hoc est „abominatio desolationis in loco sancto<sup>9)</sup>“,  
et oratio ejus fiat in peccatum<sup>10)</sup>“, terribilem trahens

1) Sap. 1, 11. — 2) Prov. 6, 19. — 3) S. Bern. de Consid.  
2. cap. 13. — 4) Publ. Syr. — 5) Grat. dist. 12. c. 1. — 6) S.  
col. Borr. in conc. Mediol. IV. cap. 3. c. 7. — 7) 2. 2. q. 35. a.  
2. — 8) Serm. ad fratres. — 9) Matth. 24, 15. — 10) Psalm. 108, 7.

secum ruinam: Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo<sup>1)</sup>“.

„Longe plus nocet falsus Catholicus, quam verus haereticus<sup>2)</sup>“.

Quantum autem nocebit tepidus Sacerdos?

Aequa lance proin vitam pensites tuam, indagesque, utrum tu, quod Deus averruncet, illa *sis sterilis ficulnea*<sup>3)</sup>, ille *arescens palmes*<sup>4)</sup>, succidi et foras mitti jam pridem meritus? Utrum „facias opus Dei fraudulenter<sup>5)</sup>“? et sint sine devotione orationes tuae, sine morum correctione tuae confessiones? . . . An adeo tibi fingas effugia „ad excusandas excusationes in peccatis<sup>6)</sup>“.

„Unusquisque clericus illud apud se repetere debet, se non ad inertiam et ignaviam, sed ad spiritualis et ecclesiasticae militiae labores vocatum esse<sup>7)</sup>“.

Ceterum „sicut ad succensam ollam muscae non appropinquant; si vero tepida fuerit, insident in ea, et faciunt vermes: ita et animam, divini amoris igne succensam et ferventem fugiunt daemones; tepidam vero illudunt et insequuntur<sup>8)</sup>“.

---

1) Apoc. 3, 16. — 2) S. Bern. serm. 65. in Cantica n. 4. — 3) Luc. 13, 7. — 4) Joan. 15, 6. — 5) Jerem. 48, 10. — 6) Psalm. 140, 4. — Sic v. g. tepidus beneficiatus, omittens culpabiliter Breviarium. inanes sibi finget excusationes; ast aquas e pumice petit. Attendant constit. S. Pii V. „Ex proximo“, in qua expresse ita habetur: „Nos huic rei evidentius atque expressius providere volentes, statuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij seu beneficiorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero Matutinum tantum, dimidiam: qui ceteras alias horas, aliam dimidiam: qui horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittat; tametsi aliquis Choro addictus non recitans omnibus Horis Canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola praesentia, juxta statuta, consuetudinem vel alias sibi lucrificasse praetendat; is etiam praeter fructuum et distributionum amissionem, *grave peccatum* intelligat se *admisisse*“. Cfr. etiam Propos. 20. et 33. inter damnat. ab Alexandro VII. — 7) S. Carol. Borr. in Conc. Mediol. IV. — 8) Abb. Pimen. ap. Ruffin. lib. 3. n. 204.



## ZELUS ANIMARUM.

„Omniium divinorum divinissimum est, cooperari in salutem animarum<sup>1)</sup>“.

„Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis“.

„Etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen mereris, si unam converteris animam<sup>2)</sup>“.

Num zelo ardes, et „laboras sicut bonus miles Christianus<sup>3)</sup>“?

„Sufficit unus homo zelo succensus totum corrigere vulgum<sup>4)</sup>“.

„Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmit constantia, sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus: teporem habeat, nec careat discretionem, nec timidus<sup>5)</sup>“.

„Zelus absque scientia dum prodesse festinat, ininitur obesse<sup>6)</sup>“.

Estne zelus tuus purus, simplex, universalis, generosus, modestus, fortis, indefessus et invictus?

„Zelus certissimum argumentum est tui erga Jesum Christum<sup>7)</sup>“.

„In reprehendis vitiis ita se gerant, ut pietatis et veritatis studio adductos, non hominum, sed peccatorum vitio id facere omnes intelligant<sup>8)</sup>“.

„Diligite homines, interficite errores<sup>9)</sup>“.

Utrum rogatus ad Sacramenti administrationem ire das? an obmurmuras? „Mira res!... Cadit asina, et asinus, qui sublevet; perit anima, et nemo est, qui reputet<sup>10)</sup>“.

Nonne sine causa multiplicas absentias cum animarum periculo?

Quid de devitiis in fide? num ad eos zelus tuus extenditur? „Manus eis porrigamus, magnaue eis mansuetudine

<sup>1)</sup> S. Dionys. de caelest. hierar. c. 3. — <sup>2)</sup> S. Chrysost. homil. n. 1. Cor. — <sup>3)</sup> 2. Tim. 2, 3. — <sup>4)</sup> S. Hieron. — <sup>5)</sup> S. Bern. n. 20. in Cant. — <sup>6)</sup> Idem de convers. ad Cler. n. 38. — <sup>7)</sup> S. Chrysost. — <sup>8)</sup> S. Carol. Borr. Conc. Mediol. 1. — <sup>9)</sup> S. August. — S. Bern. de consid. lib. 4. c. 6.

loquamur. Nam magna nobis opus est mansuetudine et longanimitate, ut possimus eos eripere et educere ex laqueis diaboli<sup>1)</sup>.

Absit tamen, ut dicamur „canes muti, non valentes latrare<sup>2)</sup>“; sed fortiter excubemus pro grege domini, „instantes opportune, importune; arguentes, obsecrantes, increpantes in omni patientia et doctrina<sup>3)</sup>“.

#### INSTRUCTIO PUERORUM.

Annon in te cadunt lamenta: „Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis<sup>4)</sup>“.

Maximine facis puerorum instructionem? „Quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, ceterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc dico, qui juvenum animos fingere non ignoret<sup>5)</sup>“.

„Qui munere parochi funguntur, iis mandatum, singulis octo diebus, quoad fieri potest, scholam parochialem ac scholas secundarias subinde invisendi, quam severissime exequendum injungimus<sup>6)</sup>“.

Num scholam rite visitas, pueros instruis, praesertim pro prima communione, atque eorum moribus invigilas?

Nunquam aliquid boni duraturi in parochia efficies, nisi a parvulis inceperis:

„Si vis amari, ama<sup>7)</sup>“.

An malos libros schola arces, parentes sedulo admones. ut proles ad scholas divinaeque officia rite mittantur?

Dasne operam, ut pueri mature et rite confiteantur. atque dimissi Sacramenta frequentent, ut augeatur, quantum in te est, cum annis eorum devotio?

An omni, qua potes ratione prohibes, ne acatholicorum

1) S. Chrysost. in c. 1. Genes. homil. 8. — 2) Isai. 56, 10. — 3) 2. Tim. 4, 2. — 4) Thren. 4, 4. — 5) S. Chrysost. in c. 18. Matth. homil. 60. — 6) Decret. Syn. Monaster. 12. Martii 1800. — 7) Senec. ep. 9

holas pueri frequentent? „Prohibemus, ne ulla de causa eros aut domesticos suos permittant, cujusquam scholam iam triviale frequentare acatholicorum<sup>1)</sup>“.

## CATECHESIS.

„Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae perpetuas aeternitates<sup>2)</sup>“.

„Saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri rabunt<sup>3)</sup>“.

„Saepius et solide juventutem pro Catechesi instituant; ebro scholas visitent, dicta in templo repetant, denuoque culcent; audiant magistros catechizantes, errantes corrigant, ignaros imbuant, fiantque omnibus sua catechizanditione regula et exemplum<sup>4)</sup>“.

„Pueri, qui praescripta ex memoria prompte recitent, aut ad interrogata apte responderint, eos laudet catecheta, et praemiolis afficiat, alios suavi potius ac parna, quam severiore objurgatione castiget<sup>5)</sup>“.

Num sedulo salutaria ista monita observas, diligenter pro Catechesi, etiam pro adultis alliciendis te praeraras, et cum simplicitate et composita loqueris, ut ab omnibus intelligaris? „Facti sumus parvuli in medio verum, tanquam si nutrix foveat filios suos<sup>6)</sup>“.

## CONCIO.

„Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt<sup>7)</sup>“.

„Clama! ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et nuntia populo meo scelera eorum<sup>8)</sup>“.

<sup>1)</sup> Synod. Colon. an. 1662. — <sup>2)</sup> Dan. 12, 3. — <sup>3)</sup> Trident. sess. 24. cap. 4. de Ref. — <sup>4)</sup> Decret. Syn. Monaster. 27. Febr. 1796.

<sup>5)</sup> Synod. August. an. 1610. — <sup>6)</sup> 1. Thessal. 2, 7. — <sup>7)</sup> Eccli. 31. — <sup>8)</sup> Isai. 58, 1.

„Diebus saltem dominicis et festivis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascent salutaribus verbis; docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat; ut poenam aeternam evadere, et caelestem gloriam consequi valeant<sup>1)</sup>“.

„Ex sacris litteris, ex sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum libris hauriant sibi solidam doctrinam, modum item loquendi, ac verba, quibus utantur; ab iis, et ab iis solis discent, quomodo verbum Dei digne ac graviter proponatur. Incalescat illo animus eorum ac repleatur: quaeque ex ea cordis plenitudine loquuntur, in cor audientis ea transibunt<sup>2)</sup>“.

Num ex puris istis fontibus, et non ex spurcis cisternis conciones tuas hauris? ... nonnisi praeparatus cathedram ascendis, exponisque scitu magis necessaria fidei et morum, et ea speciatim, quibus auditores cumprimis indigent?

Num eum effectum, quem producere speras, ipse antea non solum nosis et aestimas, sed et praesentis, ne concio sit declamatio vaga absque fine proposito?

„Nolo te declamatorem esse, et rabulam, garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum et Sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est<sup>3)</sup>“.

Studesne frequentationi Sacramentorum inducendae et devotioni augendae?

An debita ratione errores et vitia perstringis, abusus tollis, ita tamen, ut bonus in omnibus maneat usus, neque triticum eruncetur?

<sup>1)</sup> Trident. Sess. 5. cap. 2. de Ref. — <sup>2)</sup> Decret. Synod. Monaster. 30. Martii 1802. — <sup>3)</sup> S. Hieron. ep. ad Nepot.

Finita concione, in te animo deprimis, conferens fructum quantulumcunque cum longe uberiori, si non obstarent peccata tua?

An non consideras, quantopere praedicatione evangelica te obstrinxeris, ut eadem, ad quae alios adhortatus es, ipse rite impleas? Nam „bene vivendo et bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere; bene autem docendo et male vivendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare<sup>1)</sup>“.

„Illa vox lubentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; quia tunc, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat<sup>2)</sup>“.

## LIBRI MALI.

„Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, con- tulerunt libros, et combusserunt coram omnibus<sup>3)</sup>“.

En! resipiscentiae solidae exemplum!

Nonne ipse retines aut legis sine licentia libros prohibitos, aut pro posse alios ab iis arces?

Libros malos *arma diaboli ad eversionem Ecclesiae* vocat S. Chrysostomus<sup>4)</sup>.

Quasnam ephemerides lectitare soles?

Annon probro foret maximo, ex haereticorum officina

<sup>1)</sup> S. Chrysost. homil. 23. in Matth. — <sup>2)</sup> S. Gregor. de Past. Cur. p. 2. c. 3. edit. nostr. pag. 27. — <sup>3)</sup> Actor. 19, 19. — <sup>4)</sup> Homil. 32. in ep. ad Rom. — „Laudabili Romanorum Pontificum zelo ac vigilantia, inquit Benedict. pap. XIV. in Brevi: »Quae ad Catholicae«, die 23. Decemb. 1757, provisum et cautum fuit, ne ullum propter pravos, exitiososque libros, quibus fides et pietas labefactari plerumque solent, Christianifidelium animabus praedudicium ac detrimentum irrogaretur“. — Attendas hac in re praesertim oportet, quae in 2da et 10ma Regula Indicis habentur: „Haereticorum libri, qui de Religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur“.

„Quod si quis libros Haereticorum, vel cujusvis auctoris scripta ob haeresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legeri sive habuerit, statim in Excommunicationis sententiam incurrat.“

cum pecuniae, temporis et animae detrimento conjecta in nos mendacia et calumnias propriis nummis comparare?

Denique :

„Eloquar invitus : *Teneros ne tange poetas* <sup>1)</sup>“.

#### ZELUS DOMUS DEI.

Potesne in veritate quotidie in Altari dicere : „Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae<sup>2)</sup>“ . „Zelus domus tuae comedit me<sup>3)</sup>“?

An invigilas, ut Ecclesia sit munda et nitida, niteatque Altare ?

Ut vasa sacra sint polita, interiusque deaurata ?

Ut linteamina ex solo lino vel cannabi sint integra et munda, item in statu decenti cetera paramenta ?

Ut SS. Sacramentum tute custodiatur lampasque ardeat ?

Ut praescripto tempore Ciborium purificetur, et sacrae species renouentur ?

Ut in Sacristia omnia sint in suo ordine seposita, item in Caemeterio Crux sit erecta ?

Vigilasne, ut Sacro inservientes sint compositi, devoti, reverenter se gerant in Ecclesia, silentium custodiant, eis-que bonum praestes exemplum ?

„Pavete ad Sanctuarium meum<sup>4)</sup>“!

#### ADMINISTRATIO SACRAMENTORUM.

„Non obiter et praecipitanter, sed cum debita gravitate, reverentia ac pietate, sine gesticulationibus et caeremoniis non consuetis, cum stola et superpelliceo Sacramenta administrentur, ut populus, cum viderit sancta sancte ac religiose tractari, similiter ad sancte et religiose Sacramenta suscipienda moveatur<sup>5)</sup>“.

---

<sup>1)</sup> Ovid. — <sup>2)</sup> Psalm. 25, 8. — <sup>3)</sup> Psalm. 68, 10. — <sup>4)</sup> Levit. 26, 2. — <sup>5)</sup> Synod. Constant. an 1609.

An proin graviter et reverenter te habes, praevia oratione praeparatus, ut adstantes aedifices, te ipsum autem ad pietatem promoveas, non oculis vagis, non animo dissipato, non motus vel verborum praecipitatione et impia festinatione? „Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter<sup>1)</sup>“.

Num nunquam, quod Deus avertat, peccati mortalis tibi conscius ad sacramenta administranda sacrilege accedis? Sancta sancte sunt tractanda; et „impure et indigne ea ministrantes aeternae mortis reatum incurrunt<sup>2)</sup>“.

An uteris lingua latina, et accurate servas omnes ritus praescriptasque preces sine ullo additamento et omissione?

„Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit<sup>3)</sup>“.

Num verba sacramentalia reverenter, distincte et devote pronuntias, atque conjungis cum materiae applicatione?

#### BAPTISMUS.

An Baptismum devote et attente juxta Rituale Dioecesanum cum adstantium aedificatione confers, et summo pere curas de conjungenda vera lotionem cum exacta formae pronuntiatione?

An audes praescriptos in baptismo Exorcismos negligere, et adeo violare, quae per Promissionem fidei spondidisti: *te receptos et approbatos Ecclesiae ritus in omnium Sacramentorum solemni administratione recipere et admittere?*

Curasne, ut patrini tantum Catholici admittantur? ut notanda statim in libro baptizatorum (idem valeat de libro

---

<sup>1)</sup> Jerem. 48, 10. — <sup>2)</sup> Ritual. Rom. — <sup>3)</sup> Trident. Sess. 7. can. 13. de Sacrament.

defunctorum et Matrimonii) annotentur, non autem in chartula volatili cum periculi periculo?

„Parochos quoque monemus, ut juxta praescripta Benedicti pap. XIV. in Inst. eccles. Inst. 8. obstetrices exacte edoctas esse curent, examen instituant, quomodo, vita neonatorum periclitante, sacramentum Baptismi in eo casu necessitatis eisdem conferri debeat: ad id examen habendum assignamus tertiam post festum Paschatis diem Dominicam<sup>1)</sup>“.

#### CONFIRMATIO.

Instruisne parochianos opportuna occasione de hujus Sacramenti praestantia et multiplici utilitate, serioque admones, ne illud suscipere nimis differant, vel omnino negligant?

Num rite praeparas confirmandos praevia instructione et confessione?

Consultum est, confirmatorum et patrinorum nomina conservare.

#### S. S. EUCHARISTIA.

Num maximam devotionem et reverentiam ipse foves, et populo inspiras erga venerabile hoc Sacramentum, „quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei<sup>2)</sup>“.

„Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus<sup>3)</sup>“?

An qua decet gravitate, modestia et devotione, horaque populo opportuna hoc Sacramentum distribuis, cavendo, ne ulla particula perdatur? Vae sacrilegis manibus, vae immundis pectoribus immundorum sacerdotum, a quibus tam insolenter quotidie tangitur et suscipitur<sup>4)</sup>“.

1) Decret. Synod. Monaster. 30. Martii 1802. — 2) Ritual. Rom.  
— 3) Malach. 1, 6. — 4) S. Thom. de Villan. conc. 3. de Euchar.



„Sumunt boni, sumunt mali :  
 , Sorte tamen inaequali,  
 , Vitae vel interitus<sup>1)</sup>“.

An unquam praesumis communicaturum alium aut te  
 im dispensare a lege ecclesiastica sub mortali obligante  
 jejunium naturale? Nulla sane et irrita foret talis dis-  
 satio. „In fractione hujus jejunii non datur parvitas  
 eriae. Ita omnes doctores<sup>2)</sup>“.

An Processiones SS. Sacramenti pro posse splendidas  
 solemnes reddis?

#### VIATICUM. — EXTREMA UNCTIO.

Numquid populum sedulo et opportune instruis de mul-  
 ici horum sacramentorum virtute et efficacia? „Ideo  
 pe nullum solamen in morbo obtinetur, quia nimis  
 ertur<sup>3)</sup>“.

Nonne oculis vagis, animo dissipato, corpore parum  
 ente viaticum defers?

An vocatus ad infirmum sine omni mora statim accedis?  
 O! si per culpam tuam una tantum anima sine gratia  
 ctificante discederet, „qualis ultio te maneret! In saecula  
 colorum malediceret tibi perdita anima<sup>4)</sup>“.

Gerisne sedulam et specialem curam de infirmis pueris,  
 1 malitia in iis saepe suppleat aetatem?

„Haud enim leviter delinquere (parochos) credimus, qui  
 ros etiam duodennes, et perspicacis ingenii (ut cibum  
 m caelestem et supernum a communi et materiali dis-  
 aant), sinunt ex hac vita migrare sine viatico, hanc  
 m ob causam, quia scilicet nunquam antea, parocho-  
 1 certe incuria et oscitantia, Eucharisticum panem  
 ustarunt<sup>5)</sup>“.

---

<sup>1)</sup> Hymn. „Lauda Sion.“ — <sup>2)</sup> S. Alphons. de Lig. Theol. Moral. 6. Tract. 3. N. 278. — <sup>3)</sup> Bellarmin. — <sup>4)</sup> Memorial. vit. Sacer. 1. — <sup>5)</sup> Benedict. XIV. de Synod. Dioecess. lib. 7. c. 12.

## INFIRMORUM VISITATIO.

„Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis<sup>1)</sup>“.

„Parochus cum primum noverit, quempiam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, non exspectabit, ut ad eum vocetur: sed *ultra* ad illum accedat, idque non semel tantum, sed saepius, quatenus opus fuerit. . . . Eorum vero praecipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti benigni ac providi Pastoris charitatem et operam requirunt. — Accedat autem ad aegrotum ite paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac praesertim Sanctorum exempla, quae plurimum valent, quibus eum in Domino consoletur, excitet et recreet<sup>2)</sup>“.

Nonne haec salutaria monita exsequeris atque prospicis, ut post primam viatici sumptionem perdurante infirmitate in praesidium contra ingruentes tentationes Communio iterum ac tertio administretur, atque aegroti ad piam mortem amplius disponantur?

„Potest et debet sanctissimum viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, praesertim si ipsimet aegrotantes iterum caelestem illum panem esuriunt<sup>3)</sup>“.

## MATRIMONIUM.

Numquid leges Ecclesiae atque statuta circa matrimonium et matrimonii praesertim impedimenta, circa vagos et ignotos sponso exacte memoria tenes et observas, inquirendaque inquiris?

Num matrimonio jungendos convenienti modo examinas circa doctrinam christianam etc.; eosque, quantum opus est, edoces, quomodo caste et sancte conjugium inire, in eoque christiane degere, se suosque sanctificare debeant?

<sup>1)</sup> Eccli. 7, 39. — <sup>2)</sup> Ritual. Rom. — <sup>3)</sup> Benedict. XIV. de Synod. Dioec. lib. 7. c. 12.

An eos adhortaris, ut Sacramenta frequentent, dies dominicos et festivos rite sanctificent, atque piae domesticorum vitae consulant?

Haec plana est via ad Caeli benedictiones, etiam temporales promerendas. Praedici possunt omnis generis miseriae, nisi Deus in familia ametur, et Religio exerceatur: „Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum<sup>1)</sup>“.

„Parochis praeterea id iterum iterumque inculcamus, ne ad Sacramentum matrimonii contrahendum eos admittant, qui non satis in doctrina religionis et morum instituti sunt<sup>2)</sup>“.

An fideles tuae curae commissos a connubiis mixtis, ex quibus tot tantaque in Ecclesiae et animarum perniciem mala, indifferentismus cumprimis religiosus, omnium pestis maxima, dimanant, avertere hactenus allaborasti, atque etiamnum, et posthac allaboras, „horum deinde laborum copiosam in caelis mercedem accepturus“?

„Maxime opportunum erit eandem (sponsam Catholicam) adhortari, ut meminerit firmissimum illud nostrae Religionis dogma, quod: *extra veram Catholicam fidem nemo salvus esse potest*; proindeque agnoscat, se in filios, quos a Deo exspectat, jam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat eorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram<sup>3)</sup>“.

#### POENITENTIA — CONFESSIO NALE.

„Ars artium est regimen animarum<sup>4)</sup>“; et nullibi periculosius erratur.

Verissimum S. Pii V. effatum: „Dentur idonei confessarii, ecce omnium Christianorum plena reformatio“.

---

<sup>1)</sup> Rom. 2, 9. — <sup>2)</sup> Decret. Syn. Monaster. 30. Mart. 1802. —  
<sup>3)</sup> Pius pap. VIII. in Brevi 25. Mart. 1830. „Litteris altero“. —  
<sup>4)</sup> S. Gregor. Past. p. 1. c. 1.

Nonne ex fide et amore in Jesum Christum et proximum multum afficeris erga munus confessarii?

„Oportet, ut magno affectu Curatus quisque ad confessiones excipiendas feratur. Proinde crebro perpendendum, quod audire poenitentes sit actus valde *heroicus*, summopere placens Deo: cum immediate sic cooperemur Deo ad reducendas animas, pretioso Christi sanguine redemptas; quod sit insignis actus *misericordiae* spiritualis, dum docentur ignorantes, corriguntur errantes, et spiritualiter captivi ac incarcerati solvuntur. Quod sit actus summæ *charitatis*, quæ teste Jacobo Apostolo et animam proximi salvat, et propriorum cooperit multitudinem peccatorum<sup>1)</sup>“.

„Sacerdotes ad confessiones audiendas vocati, abrumpannt omnem moram, et prompti eant, quo vocati sunt, pleni desiderio juvandi animas<sup>2)</sup>“.

An parochianos in spiritu charitatis allicis ad frequentem Sacramentorum usum, te quoque ipsum sponte frequenter offerendo ad confessiones audiendas?

„Nulla res fidelibus (ergo et confessariis) adeo curæ esse debet, quam ut *frequenti* peccatorum confessione animam studeant expiare<sup>3)</sup>“.

Utrum assiduus indefessusque es sacrae Poenitentiae minister, ut cum Apostolo dicere queas: „Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar<sup>4)</sup>“?

An nonnisi solemnioribus festis confessiones audis, frequenterque confessuros impie arces?

„Vae . . . quia clauditis regnum caelorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare<sup>5)</sup>“.

Sit Sacerdos Pater, Medicus, Doctor, Judex.

---

<sup>1)</sup> Ritual. Monaster. — <sup>2)</sup> Synod. August. an. 1610. — <sup>3)</sup> Catech. Rom. Part. 2. c. 5. q. 46. — <sup>4)</sup> 2. Corinth. 12, 15. — <sup>5)</sup> Matth. 23 13

„Habendum pro oculis S. Francisci Salesii monitum: Considerate, quod poenitentes vos Patres vocant: ergo paternum illis affectum exhibete<sup>1)</sup>“.

An ut Pater, libenter et cum charitate grandi et benignitate juxta Christi exemplum peccatores etiam magnos recipis?

„Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, attentionem<sup>2)</sup>“.

„Primordia conversorum blandis refovenda sunt modis, ne ab asperitate incipiant, exterriti ad priores lapsus revertantur. Qui enim conversum sine benignitate erudit, desperare potius, quam corrigere novit<sup>3)</sup>“.

„Vos non quasi iudices criminum ad percipiendum constituti estis, sed quasi iudices morborum ad sanandum<sup>4)</sup>“.

„Quamvis odio habeam peccatum, ipsum tamen diligam peccatorem<sup>5)</sup>“.

An quasi Samaritanus Evangelicus pro ratione maleum et vinum sauciati vulneribus infundis, ita tamen, ut amor sit, sed non emolliens; ut rigor sit, sed non exasperans; ut zelus sit, sed non immoderate saeviens; ut ietas sit, sed non plus, quam expediat, parcens<sup>6)</sup>“?

Num tibi persuasum: „ex imparatis ad absolutionem paratos saepe fieri posse, si confessarius sciat studiose, mansuete et patienter cum ipsis agere<sup>7)</sup>“?

„Quoniam Sacerdoti maxime verendum, ne semel dimissi amplius non redeant<sup>8)</sup>“; nonne proin ita indispositum dimittis, ut cordi ejus desiderium inhaereat, redeundi ad Patrem?

Num ut medicus alligas vulnera poenitentis, caute exa-

<sup>1)</sup> Ritual. Monaster. — <sup>2)</sup> Coloss. 3, 12. — <sup>3)</sup> S. Isidor. Hisp. b. 2. sent. c. 8. — <sup>4)</sup> Hugo a S. Vict. — <sup>5)</sup> Godfrid. Abb. opusc. 5. — <sup>6)</sup> S. Gregor. Cur. Past. p. 2. c. 6. edit. nostr. pag. 44. — <sup>7)</sup> Leo pap. XII. in Encycl. Jubil. — <sup>8)</sup> Ritual. Rom.

minando, prudenter et discrete interrogando, non nimium festinando, et patientem te habendo?

„Medico spirituali necessarium est vinum fervidi zel cum oleo mansuetudinis<sup>1)</sup>“; uti videre est in medicis corporis, qui licet male habeantur ab aegrotis, minime irascuntur.

„Suscepti muneris partes non implent Sacerdotes, imo vero gravioris criminis rei sunt ii omnes confessarii, qui nulla tacti sollicitudine, poenitentes tantum audiunt, non moneant, non interrogant; sed expleta criminum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt<sup>2)</sup>“.

Num applicas remedia salutaria et convenientia pro natura morbi, qualitate personae, sexus, status, conditionis, et dispositionis, considerato simul peccatorum numero et gravitate, „distinguendo inter lepram et lepram<sup>3)</sup>“; inter fragiles peccatores et malitiosos, consuetudinarios, recidivos, eosque instruis?

An non eadem fere adhortatiuncula omnes dimittis, vel longiori fatigas?

Num adhibes, quando necesse est, confessionem generalem, remedia suggeris vitandi peccata, quae sunt e. g. occasionum fuga, sacramentorum frequentia, oratio, mortificatio, pia lectio, meditatio passionis Christi nec non novissimorum, atque imprimis invocatio dulcissimi Nominis Jesu et Mariae?

Num ipse, quantum satis, instructus es in Theologia Morali, praesertim in materia de Sacramentis, de iustitia et restitutione, de occasione proxima, recidivis et consuetudinariis, nec non de casibus reservatis et censuris? Saepissime haec relegas oportet<sup>4)</sup>.

---

<sup>1)</sup> S. Bern. serm. 44. in Cant. — <sup>2)</sup> Benedict. pap. XIV. in *Encycl. Jubil.* — <sup>3)</sup> Deut. 17, 8. — <sup>4)</sup> Opportune hic referuntur non sat expendenda verba viri aequae sancti ac docti, S. Alphonsi de Ligor *Theol. Moral.* lib. 6. Tract. 4. cap. 2. n. 628: „Ceterum, inquit, e

An ut iudex meministi, te „non hominis exercere iudicium, sed Domini; et quodcumque judicaveris, in te redundare<sup>1)</sup>“.

„Noli quaerere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in aequitate tua<sup>2)</sup>“.

An justo tutoque adhaeres medio, nec declinas ad dexteram noxii rigoris, neque ad sinistram perversae laxitatis?

„Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem. Prima saepe salvat damnandum; secunda contra damnat salvandum<sup>3)</sup>“.

Cave, ne sis in examinandis poenitentibus nimius, ne inquiras complicem, iisque utaris verbis, pudorem laedentibus.

„Cum pueris adhibere debet confessarius omnem caritatem et modos suaviores, quantum fieri potest<sup>4)</sup>“.

ad hoc munus excipiendi Confessiones inbiant, non facile sibi suadeant, quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiae moralis, pro qua certe non sufficit aliquam percurrere Summulam earum, quae circumferuntur, nec satis est generalia principia hujus facultatis scire, ut quidam, qui, casuistas contemnentes, Litteratorum arrogant sibi nomen, autumant. Moralis enim scientia non solum valde necessaria est Christianae Reipublicae, cum ex ea dependeat bonum regimen animarum, sed etiam est summo opere difficilis; tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium; tum quia tot diversas complectitur materias inter se dissitas; tum quia in magna parte constat tot legibus positivis, quae non nisi apud casuistas allatae inveniuntur; . . . demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendet variatio. Nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia, et in hoc difficultas consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione vel plurium accurata lectione librorum, qui res examinant et dilucidant“. Ita iste vir sanctus et doctus. Quot tamen hodie inveniuntur, qui Theologia morali vix summis labris degustata, *tremendum Dei Judicium* tota vita exercent, quin amplius de acquirenda sibi idonea doctrina cogitent, atque se innumerabilesque animas propter suam ignorantiam periculo salutis exponunt?

<sup>1)</sup> 2. Paral. 19, 6. — <sup>2)</sup> Eccli. 7, 6. — <sup>3)</sup> S. Bonav. Comm. Theol. de verit. lib. 2. c. 32. — <sup>4)</sup> S. Alphons. de Lig. Praxis Confess. n. 90.

Attendisne diligenter, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio?

„Quando agitur de *occasione proxima*, fortiter se gerat in differenda absolutione, quousque poenitens occasionem removeat, quando actu existit; et si occasio est necessaria, saltem quousque e proxima fecerit remotam, adhibendo media sibi assignata<sup>1)</sup>“.

An oras ante confessiones excipiendas, et in difficultatibus pravisque cogitationibus, atque oculos severe custodis?

Numquid sigillum rigore servas, et nunquam inter confessiones excipiendas altiori voce, vel tono increpantis loqueris, cum periculo frangendi sigilli, et poenitentes a sincera confessione deterrendi?

„Inter excipiendum confessiones sedulo caveat confessarius, ne quae signa edat admirationis, suspiret, manu genua pulset etc.,... cum sic facile coram aliis frangatur sigillum<sup>2)</sup>“.

Haud unquam, ne leviter quidem, de confessionibus in genere, de conscientiae casibus, de loquendi poenitentium modo, aut eorum stupiditate, praesertim coram laicis loquaris. Alto silentio sepeliantur ea omnia, quae respectu confessionis accepisti.

Quum a bono confessario totius parochiae bonum dependet, „erit sicut populus sic sacerdos<sup>3)</sup>“; exerceas ergo oportet maximo quo potueris zelo hoc munus angelicis formidandum humeris, et scrutare vitam tuam, quomodo hoc munus hactenus exercueris? an sine omni respectu humano, interrogando, dirigendo ad perfectionem, stimulando?

Ceterum in omni hac re ante oculos habeamus oportet illud Prophetiae :

„Vae pastoribus Israel“ . . .

„ . . . Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod

<sup>1)</sup> S. Alphons. de Lig. Praxis Confess. — <sup>2)</sup> Ritual. Monaster. — <sup>3)</sup> Osee 4, 9.



egrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis,  
et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non  
quaesivistis; sed cum austeritate imperabatis eis et cum  
potentia, et dispersae sunt oves meae<sup>1)</sup>“.

---

<sup>1)</sup> Ezechiel. 34, 2—5.

# SYNOPSIS.<sup>1)</sup>

## DE SERVANDIS IN STATU CLERICALL

### MONITUM PRIMUM.

*Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt<sup>2)</sup>.*

Habitum suscipe	non ex	{	Levitate,
			Avaritia,
			Ambitione;
Incede in habitu	sed	{	Vocante Deo,
			Perfectione status alliciente,
			Zelo tuae proximique salutis impellente.

Incede in habitu	{	Gravi,
		Modesto, <i>Indues sanctis vestibus<sup>3)</sup>.</i>
		Mundo,
		Canonico,

<sup>1)</sup> Juxta exemplar Romanum. — <sup>2)</sup> Levit. 21, 6. — <sup>3)</sup> Exod. 40, 13.

isto scopo uo	}	Obediens in	{	Praeceptis, Decretis, Monitis.	
		Obsequens		{	Corde, Verbo, Opere.
Fuge	}	Domus suspectas, Consortium mulierum, Ludos, Choreas, Theatra, Venationes perstreperentes.			
		Contemptus, Susurraciones, Tumultus,	}	in {	Episcopum, Superiorem, Quemcunque.
		Viles famulatus ex turpi oeconomia;			
		Avaritiam	{	Ex munerum acceptione, Ex importunis exactionibus, Ex rei alienae administrationibus.	

## E SERVANDIS IN STATU CLERICALI.

### MONITUM SECUNDUM.

*Perfectus eris et absque macula* <sup>1)</sup>.

nplum sto um in	}	Scientia	{	Divina, Ecclesiastica, Civili.
		<i>Quia tu. scientiam, repulisti, repellam te,                  ne sacerdotio fungaris</i> <sup>2)</sup> .		
Tim. 12.	}	Prudentia in	{	Consiliis, Judiciis, Imperiis.
<i>Dux indigentia prudentia multos opprimet</i> <sup>3)</sup> .				

<sup>1)</sup> Deut. 18, 13. — <sup>2)</sup> Os. 4, 6. — <sup>3)</sup> Prov. 28, 16.

**Synopsis.**

<p>Exem- plum esto fide- lium in</p> <p>1. Tim. 4, 12.</p>	<p>Modestia et gravitate in</p>	<p>{ Indumentis, Sermonibus, Moribus.</p>	<p><i>Amictus corporis et risus dentium et gressus hominis enunciant de illo</i></p>
	<p>Liberalitate erga</p>	<p>{ Peregrinos, Pauperes, Templa.</p>	<p><i>Quo modo potueris, ita esto miseric</i></p>
	<p>Temperantia in</p>	<p>{ Divitiis, Conviviis, Solatiis.</p>	<p><i>Attendite autem vobis, ne graentur vestra in crapula et ebrietate et hujus vitae<sup>5)</sup>.</i></p>
	<p>Integritate coram</p>	<p>{ Deo, Hominibus, Te ipso.</p>	<p><i>Custodi igitur temetipsum et animam sollicite<sup>4)</sup>.</i></p>
	<p>Obedientia, Obsequio, Amore erga</p>	<p>{ Sanctam Ecclesiam, Summum Pontificem, Ejusque decreta.</p>	

*Qui sequitur me, non ambulat in tenebris<sup>5)</sup>.*

*Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit<sup>6)</sup>.*

---

1) Eccli. 19, 27. — 2) Tob. 4, 8. — 3) Luc. 21, 34. — 4) 4, 9. — 5) Joan. 8, 12. — 6) Luc. 10, 16.

## E SERVANDIS A SACERDOTIBUS.

## MONITUM TERTIUM.

*damini, qui fertis vasa sacra Domini<sup>1)</sup>. Sacerdotes tui  
ir justitiam<sup>2)</sup>.*

le s	}	Dignitatem	{ Angelicis humeris formidandam, Regia celsitudine excelsiorem. Omnibus venerabilem.
		Admirandam potestatem	{ In corpus et sanguinem Filii Dei, In remissionem peccatorum, In aëreos atque tartareos spiritus.
		Strictam obligationem studendi	{ Angelicae puritati, Seraphico fervori, Incessanti progressui in virtutibus.

id { Interpres et legatus Dei, aeterna decreta promulgans,  
Sacerdos in aeternum, immolans et offerens Filium aeterni  
Patris in victimam,  
Mediator inter Deum et homines per oblationem sacri-  
ficii pacis precumque fidelium,  
Dispensator mysteriorum coelestium.

' { Sacrorum contemptor,  
Summi Pontificis auctoritati parum obsequens,  
Periculosae aut dubiae doctrinae sectator,  
Rigidus et asper, aut remissus in poenitentes,  
Avarus, Immundus, Impudicus, Violentus, Turpis lucri  
cupidus<sup>3)</sup>.

o { Pius, Innocens, Sobrius, Impollutus, Segregatus a pecca-  
toribus, Excelsior coelis factus<sup>4)</sup>.

*is mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi  
steris populis, ut essetis mei<sup>5)</sup>.*

a. 52, 11. — <sup>2)</sup> Psalm. 131, 9. — <sup>3)</sup> I. Tim. 3. Ad Tit. 1.  
sbr. 7, 26. — <sup>5)</sup> Levit. 20, 26.

## DE RATIONE SANCTIFICANDI STAT

### MONITUM QUARTUM.

*Obsecro itaque vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis*

Media :	{	Timor	}	Dei.
		Amor		
	{	Custodia	}	Cordia,
				Sensuum.
	{	Sancta occupatio	}	Memoriae,
				Intellectus, Voluntatis.
	{	Assidua frequentia	}	Collationis cum confessario,
				Lectionis spiritualis,
{	Orationis	}	vocalis,	
			mentalis,	
{	Examinis Sacramentorum.	}	Examinis conscientiae,	
{	Devotio erga	}	Deum,	
			S. Virginem, Sanctos.	
{	Cautela et Moderatio in	}	Negotiis,	
			Conversationibus, Solatiis.	
{	Fidelitas in	}	Servanda temporis oeconomia,	
			Sanctificandis diebus festis, Obeundis quotidianis pietatis exer	

*Hoc fac, et vives* <sup>2)</sup>).

## AD MAJOREM DEI GLORIAM DEIPARAEQUE HONOREM.

<sup>1)</sup> Ephes. 4, 1. — <sup>2)</sup> Luc. 10, 28.

lage von I. H. Deiters in Münster erscheint nächsten:

**Petri Ballerinii**  
 Presb. Veron.  
**e Potestate Ecclesiastica**  
 summorum Pontificum  
 et  
 Conciliorum generalium  
 Liber,  
 cum vindiciis auctoritatis Pontificiae contra opus  
 Justini Febronii.

Textum recognovit et edidit

**E. W. Westhoff,**  
 Parochus, SS. Theol. Dr.

er den vielen Schriften, die über den Primat des römischen verfasst sind, haben die Abhandlungen des gelehrten P. Ballerini, „De Vi ac Ratione Primatus“ und „De Potestate ecclesiastica“ in der katholischen Literatur längst eine besondere Würdigung und fortwährend behauptet, und bleiben immer im Gebrauche. Weshalb diese Abhandlungen fortwährend gesucht und gewendet werden, liegt darin, weil die Irrthümer, welche Ballerinius ft, gleich dem vielköpfigen Drachen des Herkules, immer wieder retet, und höchstens die äusserliche Form derselben und Ang einen Wechsel leidet. — Die Geschicklichkeit des Verfassers, Gegenstand in strengwissenschaftlicher Weise mit seltener Gründ- und Tiefe und Allseitigkeit zu behandeln; die feine Dialektik, len mit dogmatischer Präcision und logischer Schärfe, und end- bewunderungswürdige Kenntniss des Verfassers in der kirch- Tradition oder Patristik haben diesen Schriften einen bleibenden gesichert, dieselben längst unter die klassischen Werke der schen Literatur gereiht und ihnen eine doctrinelle oder wissen- che Auctorität verschafft: denn die ausgezeichnetsten Männer izers Jahrhunderts weisen in ihren theologischen und kirchen- en Werken auf den Ballerinius hin.

Das Werk: „De Vi ac Ratione Primatus etc.“, welches sich zur eigenen Aufgabe macht, den Primat zu begründen, seine Prärogative zu bezeichnen und nachzuweisen, ist bereits im vorigen Jahre in einer neuen schönen Ausgabe in meinem Verlage erschienen. Dieses zweite Werk: „De potestate ecclesiastica summorum pontificum et conciliorum generalium . . .“ schliesst sich überall dem ersten an, verfolgt consequent die Principien, steigt mit logischer Klarheit und Bestimmtheit hinab zu den Folgerungen, Licht und Aufklärung zwischen den Missverständnissen der Gegner verbreitend.

Der Verfasser erörtert die Theilnahme der Bischöfe an dem unfehlbaren Lehramte der Kirche, bespricht deren Verhältniss zum Kirchenoberhaupte in den Concilien, die Kirchen-Gewalt des Papstes und der Concilien in Glaubens- und Disciplin-Sachen, und sucht allenthalben, den positiven Boden der Kirche mit bündiger Klarheit verfolgend, richtige und die für das Kirchenrecht wesentlichsten Grundsätze zu behaupten. — Wichtig und interessant sind die Besprechungen über die grosse Kirchenspaltung, die Synoden zu Pisa und Konstanz und die Pseudo-Isidorischen Decretalen.

Die unterzeichnete Buchhandlung findet sich demnach veranlasst, auch dieses echt wissenschaftliche Werk, in gleich schöner Ausstattung, in denselben Typen, Format und Papier, wie die bereits erschienene schöne Ausgabe: De Vi ac Ratione Primatus etc., recht bald folgen zu lassen, und hofft dadurch dem gelehrten Publicum um so mehr einen angenehmen Dienst zu erweisen, als die Beschaffenheit dieses Werkes, welches gerade diejenigen Gegenstände behandelt, welche in jüngster Zeit so vielfach wieder in Anregung gekommen sind, schwieriger geworden.

Das Ganze wird keine 300 Seiten in gr. 8. füllen und soll der Preis 1 Thlr. nicht übersteigen.

Münster, im Juli 1846.

J. H. Deiters.

---



5-260

# EXAMEN

AD USUM

## C L E R I,

CUM ORDINE DIURNO ET MONITIS

PRO EXERCITIIS SPIRITUALIBUS,

ET BREVI MEDITANDI METHODO.

„Quid prosunt lecta et intellecta, nisi  
temetipsum legas et intelligas? Da ergo  
operam internae lectioni, ut legas, inspi-  
cias et cognoscas te ipsum.“

(S. Bernard. medit. c. 17.)

RATISBONAE ET COTHENII.

1844.

THE NEW YORK

NEW YORK 1940

INC.

# Index libelli.

## Examen.

	Pagina
Quae tua Vocatio? . . . . .	1
Quae tua Vita? . . . . .	3
<i>I. Qualis ratiōe Dei?</i> . . . . .	4
1. Fides. . . . .	—
Spes. . . . .	7
Charitas. . . . .	8
2. Oratio. . . . .	9
Sacrificium Missae. . . . .	10
Officia divina. . . . .	15
Horae Canonicae. . . . .	18
Meditatio. . . . .	21
Examen conscientiae. . . . .	23
Confessio frequens. . . . .	24
Lectio pia. . . . .	25
Praxes devotionis solidae. . . . .	26
<i>II. Qualis ratiōe Tui ipsius?</i> . . . . .	28
1. Castitas. . . . .	—
Sobrietas. . . . .	34
Modestia et decor clericalis. . . . .	36
Bonus usus temporis . . . . .	39
2. Spiritus paupertatis. . . . .	43
3. Humilitas. . . . .	48

VIII

	Pagina
<b>III. Qualis ratione Proximi?</b> . . . . .	50
1. Erga Superiores. . . . .	—
2. Erga Aequales. . . . .	52
3. Erga Inferiores. . . . .	54
<b>IV. Qualis Pastor?</b> . . . . .	57
Zelus animarum. . . . .	—
1. Instructio. . . . .	64
Catechesis - Schola. . . . .	65
Concio. . . . .	68
2. Administratio Sacramentorum. . . . .	75
Baptismus et Confirmatio. . . . .	76
S. S. Eucharistia. . . . .	77
Poenitentia. . . . .	79
Extrema Unctio — Cura Infirmorum et Exequiarum. . . . .	90
Matrimonium. . . . .	94
3. Caetera Munia Parochi et Decani. . . . .	97
—	
Oratio Poenitentis ad Christum. . . . .	100
Alia oratio. . . . .	101
Oratio ad B. V. Mariam. . . . .	102
Oratio Clerici renovantis Proposita. . . . .	—
<b>Pro Exercitiis spiritualibus.</b>	
Ordo diurnus. . . . .	104
Monita. . . . .	106
De animi dispositione ad exercitia. . . . .	107
De variis spiritibus dignoscendis. . . . .	108
De commendandis ei, qui absolvit exercitia. . . . .	111
Brevis meditandi Methodus. . . . .	112

# EXAMEN

## AD USUM CLERI.

---

**A**nimo sursum elevato, coram Deo, supremo Judice, te siste, *sicut mortis reus quispiam*, ait S. IGNATIUS (lib. exercit.), *ferreis ligatus compedibus, duci ad tribunal solet*, humiliterque gratiam postula, ut omnia tua peccata cognoscere ac detestari valeas. Deinde singula hujus Examinis puncta attente percurrrens, sincere de unoquoque ab anima tua rationem exige. Cum vero omnem miseriam tuam ob oculos tuos posueris, dolenter coram immensa Dei bonitate te accusa, emendationem ex animo pollicere, divinumque auxilium instanter efflagita \*).

### Quae tua vocatio?

Quid censes de statu sacerdotali, quem S. AMBROSIIUS nominat *deificam professionem*, (de dignit. sacerdot. c. 2.) quem S. AU-

---

\*) Quodsi hoc libello pro meditatione uti, ac idcirco singulis punctis diutius cogitatione inhaerere volueris, poteris insuper considerare, 1) quam *mala* sint peccata ea, quae in quovis fere puncto hujus Examinis designantur, et quam *juste prohibita*; quem in finem perpendes textus appositos e Conciliis et sanctis Patribus: 2) *quantum noceant*, si non fugiantur: 3) quanam *salutis viae ineundae*, ut omne deinceps peccatum fugias. Insistendum vero est in hujusmodi exercitio non tam aridae perscrutationi quam affectibus. Ingemisce, luge, pro peccatis expavesce et deprecare. confitere te vilissimum peccatorem, indignum pane, quo vesceris, aëre, quem respiras. Spem tamen noli abjicere, sed fidenter ad Jesum, cruci affixum, te converte, divino sanguine te immerge, vulneribus absconde, ad Matrem misericordiae supplex confuge, omnes denique coeli incolas propitios tibi redde. *Curre per singulos*, inquit S. Bernardus, (Meditat. c. 4.) *supplica singulis, et simul omnibus clama et dic: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Recipite fugitivum vestrum, sed fratrualem, sed consanguineum in sanguine Redemptoris.*

**EUSTINUS** admirans exclamat: *O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero Virginis Filius Dei incarnatur!!* (Conc. 2. in Ps. 37.)

An saepe mente revolvis Sacerdotis officia et dignitatem, et quae ab eo bona aut mala proveniant? — *Hoc enim omnibus fere seculis compertum fuit, pro sacerdotum vita benedictionem aut maledictionem a Deo in populum procedere.* (Synodus OSNABRUGENS. anni 1628).

Quibus rationibus permotus statum sacerdotalem elegisti? an studio divinae gloriae fratrumque salutis, an potius ex ambitione, cupiditate, spe commodioris vitae, aut inordinata affectione erga consanguineos?

Anne caeco impetu, sine praevia inquisitione utrum a Deo vocatus, utrum par sis ferendo oneri, necne, ad sacros ordines transilliisti? — *Ante juxta consilium Salvatoris sedisse debueras, ante aestimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, suntus computasse virtutum.* (S. BERNARD. l. 2. de consider. c. 6.)

Quae fuit tua ad sacerdotium praeparatio? quale studium extirpandi vitiosos habitus et acquirendi idoneam virtutem ac doctrinam? — *Vae ministris infidelibus, qui necdum reconciliati reconciliationis alienae negotia adprehendunt! Vae filiis irae! Vae, qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, et placare velle praesumunt!* (S. BERNARD. de convers. ad cleric. c. 19.)

An mundo saltem corde, nulli censurae lethaliq̄e culpae obnoxius, sacros ordines suscepisti? An prioris vitae maculas condigna poenitentia elueras? Tune forsitan unus illorum, quos denotat S. BERNARDUS: *Ingrediuntur cum hac macula tabernaculum Dei viventis; inhabitant cum hac macula templum, sanctum Domini polluentes?* (loc. cit. e. 20.)

An solemnia primae tuae Missae non profanasti comessationibus, choreis, lusibus aut alio strepitoso apparatu? — Extat hac de re canon synodi RATISBONENSIS an. 1512, obsoletus quidem sed testis pristinae disciplinae. Eo vetatur „districtissime, in „virtute obedientiae et sub poena suspensionis mulctaque viginti „florenorum, ne occasione primae Missae neosacerdos, cujus- „cumque status, conditionis aut dignitatis existat, ultra decem „personas virilis sexus duntaxat (inter quos sibi etiam ad altare

„ministrantes comprehenduntur) in prandio et in coena secum habent, beat invitatas, neque choreas duci aut canere cantilenas permittat.“ — Idem habet Synodus BAMBERG. anni 1491.

An aestimas vocationem sanctissimam, et pro illius singulari beneficio grates Deo rependis? — *Audite, filii Levi: num parum vobis est, quod separavit vos Deus ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu Tabernaculi?* (Num. 16, 8. 9.)

Si fors in clericatum irrepisti non vocatus; an serio studes praeteritam culpam poenitentia diluere, et eo ferventius omnia salutis subsidia adhibere? — *Si non es vocatus, fac ut voceris.*

### Quae tua vita?

Qualem hucusque duxisti vitam? an ambulasti digne vocatione tua adeo sancta? An *exemplum fuisti fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate?* (1. Tim. 4, 12.)

Quis te spiritus animavit? Christine spiritus, an spiritus hujus mundi? — *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* (Rom. 8, 9.) *Quicumque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur.* (Jac. 4, 4.)

Quorumnam exemplo vitam moresque tuos conformasti? piorumne sacerdotum, quorum *conversatio in coelis est?* an potius tepidorum atque mundanorum, qui ambulant viam *spatiosam* perditionis?

Annon vitam traxisti mollem, otiosam, inertem, a lege evangelica reprobam? Vel an desudasti quidem sed stulto labore, unice honori plausibusque humanis inhians, ut te feriat illud Prophetæ: *Seminasti multum, et intulisti parum . . . ; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum?* (Agg. 1, 6.)

Si, uti coepisti, vivere pergas; poterisne quondam cum S. PAULO laetabundus dicere: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi . . . in reliquo reposita est mihi corona justitiæ?* (2. Tim. 4, 7.)

Qualem hactenus egisti poenitentiam? an saltem serio de ea cogitasti — voluisti — coepisti? Tota enim christiana vita, asserente S. Synodo TRIDENTINA, *perpetua poenitentia esse debet.* (Sess. 14. de extrem. unct.)

Inprimis disquire, quales fuerint tuæ sacramentales peccatorum confessiones, et quem ex iis fructum retuleris. *An per eas*

tibi comparasti divitias justitiae? an potius, quod Deus avertat! *secundum duritiam tuam et impenitens cor thesaurizasti tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei?* (Rom. 2, 5).

Vide igitur, utrum semper omnia candide et aperte confessus sis. An fors leviora diligentius enumerans, praeteristi omnino, aut obiter duntaxat attigisti pravissimas consuetudines, sacrilegia, damnabiles tui muneris negligentias? — *O poenitentes, non poenitentes sed, illusores! excolantes culicem, camelum autem glutientes!* (S. AUGUST.)

An omni confessioni sincerum animi dolorem ac emendationis propositum praemisisti? annon tempus, quod ferventiori praeparationi et gratiarum actioni impendendum erat, inanibus confabulationibus fors computationibus consumpsisti?

\* \* \*

Scrutare jam accuratius intimas cordis latebras. Reduc in mentem annos pristinos: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* (Isai. 38, 15.) — Considera, quae sint obligationes tuae erga *Deum*, erga *teipsum*, erga *proximum*, et quaenam speciatim *Pastoris* animarum. — Inquire in omnia tua opera, verba, cogitationes et omissiones — qui fueris — qui sis — qualis deinceps esse velis. —

Quodsi te reum inveneris; geme, luge, ad poenitentiae lavacrum confestim accurre:

*Exitus aquarum deducant oculi mei. — Operiat confusio faciem meam. — Deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.*

## I. Qualis ratione Dei?

Examina, qua fidelitate observes ea, quae spectant ad Dei servitium. 1) Quae tua fides, spes, charitas? 2) Qua ratione opera pietatis, sacrificium Missae, recitationem breviarii, meditationem, lectionem etc. obire soles?

### 1. Fides.

An Deo saepe gratias agis pro inaestimabili dono fidei?

An in *captivitatem redigis* tuum intellectum in obsequium fidei, firmissime et absque ulla haesitatione credendo, quaecumque per Ecclesiam credenda proponuntur?



*Dico enim per gratiam, quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* (Rom. 12, 3.)

An Ecclesiam, optimam Matrem, filiali pietate ac reverentia prosequeris? zelus illius honorem? servas praecepta? damnas quod illa damnat? \*) — *Credamus, fratres, quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum.* (S. AUGUST. tract. 32 in Joan.)

An debitam summo Pontifici venerationem et omnimodam obedientiam, sine qua religio catholica stare nequit, in te foves, atque aliis sedulo inspirare soles? — Nunquam Romanae sedi nomine Romanae curiae detrahis? — An orta fors controversia, cum S. HIERONYMO clamitas: *Si quis cathedrae Petri jungitur, meus est?* (Epist. 16. ad Damas.)

An damnare vel carpere audes, quae sancta Mater Ecclesia probat sua praxi, aut Romana sedes suo iudicio confirmat, ex gr.: pias congregationes et sodalitates — consuetas toti Ecclesiae devotiones, peregrinationes, et benedictiones — usum numismatum, rosariorum etc., quibus Pontifex indulgentias applicare solet, et reliqua huiusmodi pietatis ac devotionis nostrae adminicula? — *Si quid universa per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, intolerantissimae insaniae est.* (S. AUGUST. ep. 54.) — *Ecclesia Dei multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* (Idem ep. 55, alias 119.) — *Oportet nos tanquam membra inhaerere capiti nostro, Romano Pontifici, et throno apostolico; ex quo nostrum est quaerere, quid credendum, quid sentiendum, et quid tenendum sit.* (S. CYRILLUS Alexandr. in thesauris l. 1. c. 21. n. 4.)

---

\*) Inter regulas, quas S. Ignatius in aureo libello Exercitiorum servandas tradit, ut semper cum Ecclesia orthodoxa sentiamus, decima tertia ita effertur: „Denique ut ipsi Ecclesiae catholicae omnino unanimi, conformesque simus, si quid, quod oculis nostris apparet album, nigrum illa esse definierit, debemus itidem quod nigrum sit, pronuntiare. Indubitate namque credendum est, eundem esse Domini nostri Jesu Christi, et Ecclesiae orthodoxae, sponsae ejus, spiritum, per quem gubernamur ac dirigimur ad salutem: neque alium esse Deum, qui olim tradidit Decalogi praecepta, et qui nunc temporis, sanctam nostram Matrem, Ecclesiam instruit atque regit.“

Annon foves opiniones suspectas, temerarias, male sonantes, quae potius perniciosum genium hujus seculi, quam Ecclesiae sensum et spiritum redolent? — *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* (1. Tim. 6, 20.) *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci.* (Hebr. 13, 9.) \*

An vitas lectionem librorum, haereseos aut impietatis veneno infectorum, quos Ecclesia adeo semper abhorruit, ut nullo non tempore saeverissimis poenis interdixerit? Quia tanta nunc est eorum copia; credisne, minus esse periculum perversionis? — *Haec mea sublimior interiorque philosophia, scire Jesum, et hunc crucifixum.* (S. BERNARD. serm. 43. in cantic.) — Quodsi facultatem habeas libros prohibitos retinendi; an praecaves, ne post tuum obitum publica venditione vel alia ratione ad eos deveniant, qui iis abuti vel perverti possint?

An caves a colloquiis, consortio et ab omni consuetudine, qua fides tua amitti aut minui, aut qua scandalum apud fideles oriri potest? — Synodus PRAGENS. an. 1605 hortatur suae aetatis clericos, „ne cum haeticis et praesertim cum haeticorum ministris, qui praedicantes dicuntur, frequentem consuetudinem

---

\*) Recole nonnunquam Constitutionem Pii VI. *Auctorem fidei* contra Synodum Pistoriensem, qua damnantur plures propositiones, quas tamen hodie nonnulli recinere audent, non attendentes, se ita contradicere toti Ecclesiae, quae Pontificis Constitutionem reverenter accepit. Damnatur inter alias Propositio 40. asserens, *indulgentiam aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti*; item Prop. 42. et 43., quibus invehitur in *thesaurum meritorum Christi et Sanctorum, unde Papa dat indulgentias, et in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata etc.* Damnatur quoque Prop. 62. et 63., quibus *devotio erga sucratissimum cor Jesu rejicitur.* — Prop. 65., qua *spiritualia exercitia vel missiones* exploduntur. — Prop. 66., qua agitur *de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae* — Prop. 64., qua ut superstitiosus notatur *Ecclesiae mos recitandi determinatum numerum precum et piarum salutationum.* — Prop. 76., qua rejiciuntur *in doctrinam scholasticam privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt.* — Eadem Constitutione pontificia male etiam notantur, qui Ecclesiae disciplinam, reservationem casuum, frequentem peccatorum venialium confessionem, statum regularem vel monasticum etc. reprehendunt et calumniantur. — Videant quoque qui *lectionem S. Scripturae* laicis sine discrimine commendandam, et vix non obtrudendam existimant, Propositionem 67. et in Clementis XI. Constitutione *Unigenitus* Propositiones 79. usque ad 86.

„habeant, neve cum eis cibum sumant: hujusmodi enim familiaritates laïcis praesertim rudioribus absque scandalo esse non possunt.“

Annon ignave taces, annuis vel arrides, ubi oblatrantes novatores intrepide redarguere deberes? *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* (Luc. 9, 26.)

Estne fides tua viva, an mortua? *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? . . . Et daemones credunt, et contremiscunt.* (Jac. 2, 14. 19.) Quid respondebis cum in divino judicio tibi dicitur: *En haec credidisti, et tamen sic vixisti?*

*Justus meus ex fide vivit.* (Hebr. 10, 38.) Vivisne vita fidei? Estne fides norma tuarum actionum et consiliorum, lux in dubiis et perplexitatibus? — Judicasne de rebus secundum lumina fidei, an secundum dictamina mundi? Quid censes de contemptu mundi, fuga honoris, de paupertate, persecutionibus, abnegatione sui etc.? Potesne dicere cum Apostolo: *In fide vivo Filii Dei?* (Galat. 2, 20.)

*Domine, adauge nobis fidem.* (Luc. 17, 5.)

## Spes.

Quenam est spes tua?

Confidisne unice in Deo? an contra in hominibus, in sapientia mundana, bonis fluxis? Clamasne in angustiis et tribulationibus: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam?* (Ps. 72, 28.)

Estne spes tua fortis, magnanima, inconcussa? Credisne, *omnia te posse in eo qui te confortat?* — *Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant.* (S. BERNARD. in cantic. serm. 85. n. 5.)

An, si labor tuus non illico fructificat, mox abjecto animo, omnia deseris? — *Tanto plus sperandum in Deo, quanto res magis videntur desperatae: ubi deficiunt humana, ibi praesto sunt auxilia divina.* (S. IGNAT. scintil. sive apophthegm. sacr.)

An, ut molestiis et vexationibus te subtrahas, taces, ubi loqui, cedis, ubi reniti oporteret? — *Qui multum metuit homines, grande aliquid pro Deo nunquam conficiet.* (S. IGNAT. loc. cit.)

An conscius pravitatis tuae et insitae tibi fragilitatis vix non desperas, te posse vitam ducere puram et sanctam? — *Ergo tu non poteris quod isti et istae? An vero isti et istae in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo sunt? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas. Projice te securus, excipiet te, et sanabit te.* (S. AUGUST. confess. 1. 8.)

An etiam aliis misericordiam Domini praedicas? neque ulli unquam peccatori quantumvis perverso, spem adimis?

An vero falsa spe delusus, abuteris Dei misericordia, donec veneris in profundum, et non sit, qui eripiat? — *Sperant ut peccent . . . Dinumerari non possunt, quantos haec inanis spei umbra deceperit.* (S. AUGUST.)

An in omnibus, quae tibi agenda sunt, sequeris auream regulam S. IGNATII (loc. cit.): *Sic Deo fide, quasi rerum successus omnis a te, nihil a Deo penderet; ita tamen iis operam omnem admove, quasi tu nihil, Deus omnia solus sit facturus?* Id est: Spes non minuat tuam diligentiam, neque diligentia spem.

### Charitas.

Amasne vere Deum? amasne toto corde? — Proba cor tuum — interroga opera tua. — Vide, num respondere possis: *Etiam, Domine, tu scis quia amo te?* (Joan. 21, 16.) *Sine charitate Sacerdos dici potes; esse non potes.* (PETR. BLESSENS. tract. de charit. c. 1.)

Fugisne sollicitate, quaecumque Deo displicent? nec modo gravia, nec modo quae in oculos hominum incurrunt; sed etiam levia, et quorum Deus solus testis est? — *Qui timet* (quanto magis, *qui amat*) *Deum, nihil negligit.* (Eccl. 7, 19.)

An ad Deum collimant affectus tui et desideria tua? Deumne in singulis tuis actionibus honorare et laudare intendis, ac ideo saepius per diem renovas bonam intentionem?

An adversa, injurias, et opprobria patienter imo libenter sustines ex amore Domini pro te crucifixi? — *Nihil suavius est, quam amare Deum, sed ista, ut ex amore illius multa patiaris.* (S. IGNAT. scint. sive apophthegm.)

An amor divinus te stimulat, ut grandia pro Deo indesinenter et opereris et patiaris, non exhorrens sudorem et contradictiones?

— *Amor operatur magna, et reputat parva; operatur multa, et reputat breve.* (ap. S. THOM. Aquin.)

An curas servire et placere divinae Bonitati propter seipsam et propter charitatem et eximia beneficia, quibus praevenit nos, potius quam ob timorem poenarum vel spem praemiorum, quamvis hinc etiam juvari debeas?

An contendis te exuere, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferras, eum in omnibus creaturis amando, et omnes in eo, juxta sanctissimam ac divinam ipsius voluntatem? — Domine! *minus te amat, qui aliud praeter te amat, quod propter te non amat.* (S. AUGUST. confess. 10. c. 29.)

*Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi! vae tempori illi, quando non amavi te!* (Idem Solil.)

### 3. Oratio.

Quale tibi studium orationis? An libenter, devote — assidue cum Deo conversaris? — An contra orationem negligis, vilipendis? eos, qui orationi dediti sunt, male sugillas? — *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere.* (1. Cor. 2, 14.)

Audi S. BONAVENTURAM, qui profecto *sensum Dei* habet: „Cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregiae dotis possidere. Et quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, et vita carens, expersque sanae mentis; nam hoc ipsum est evidentissimum argumentum amentiae, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium.“ (De sex alis.)

An oratio tua est humilis, fervens, fiducia plena, ex intimo cordis affectu, et indefessa? — *Vult enim Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Esto igitur in precibus importunus.* (S. GREGORIUS.)

Annon ob ariditatem despondes animum? annon ob consolationem superbis? — *Nonnulli se periisse putant, quando sensibili consolatione privantur; et rursus se sanctos Deoque accep-*

*tissimos esse credunt, quando illam accipiunt: sed falluntur et errant.* (LUD. BLOSIUS in titut. spirit.)

An ad exemplum omnium Sanctorum tibi familiaris est creber Dei intuitus, creber ad Deum recursus, crebra amoris jacula? *Ille beate vivit, qui quoad fieri potest, et in Deo mentem, et Deum in mente versat assidue.* (S. IGNAT. scintil.) — *Ubiunque ergo fueris intra te metipsum ora, aut aliquid salutare in animo tuo versa.* (S. BERNARD. medit. c. 6.)

An contra totus effusus es ad exteriora? non te colligis, non redis ad cor? non tibi invigilas? Num mens tua similis *molendino, quod velociter volbitur, et nihil respuit, sed quidquid inponitur, molit?* (Ibid. c. 9.)

Ut fias homo orationis, ama solitudinem, et mortifica inordinatas passiones. (Vide Imitat. Christi l. 1. c. 11 et 20.)

### **Sacrificium Missae.**

„Quodsi necessario fatemur, nullum aliud opus a deo sanctum  
„ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum  
„tremendum mysterium . . .; satis etiam apparet, omnem ope-  
„ram ac diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri  
„potest, interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori de-  
„votionis et pietatis specie peragatur.“ (Concil. TRIDENT. sess.  
22. de sacrif. Missae.

Quae tua in celebrando cordis munditia et puritas? an mundus es ab omni peccato, non solum mortali, sed etiam, ut par est, veniali deliberato, atque ab omni affectu erga peccatum qualecumque?

*Quo non oportet esse puriorem tali fruente sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividente? os, quod igne spirituali repletur? linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit?* (S. CHRYSOST. hom. 60. ad pop. Antioch.)

An quia contritus tibi videris, negligis fortasse confessionem peccati etiam lethalis, non attendens verba Concilii TRIDENT.: „Nullus sibi conscius mortalis peccati, *quantumvis* sibi contritus  
„videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram  
„Eucharistiam accedat. Quod etiam ab iis sacerdotibus, quibus  
„ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo

„servandum esse decrevit, modo non desit copia confessoris.“  
(Sess. 13. de Euchar. cap. 7.)

Provincialis Synodus SALISBURG. an. 1569 decernit, ut „sacerdos, qui repertus fuerit, mortaliter Deum offendisse et proximum scandalizasse, et nihilominus absque sacramentali confessione Missam celebrasse, tanquam *haereticus omnibus spoliatus beneficiis*, si quae habet, acerrime puniatur: nam qui tale scelus audent perpetrare, profecto ab infectione haeresis alieni esse non possunt: praesertim qui in eodem scelere non erubescunt perseverare.“

*O Sacerdos, qui debes offerre! noti prius temetipsum maligno spiritui victimam immolare.* (S. PETR. DAMIAN.)

Quodsi necessitate urgente, post commissum lethale peccatum, absque praevia confessione celebraveris, an saltem postea quam primum confessus es, quemadmodum Synodus TRIDENT. ibidem stricte praecipit? — Vide hac de re propos. 38. et 39. ab *Alexandro VII.* damnatas.

Accedisne ad altare ex motivo saltem pio et supernaturali? — non ex arida et insipida consuetudine? non quaestus causa? — „Quamvis enim, ex Apostoli sententia (1. Cor. 9.) natura et divina lex jubeat, ut, qui altari servit, ex altari vivat; tamen quaestus et lucri causa ad altare accedere, maximum sacrilegium est.“ (Catech. Rom. p. 2. c. 7. q. 4.)

An ad SS. Missae sacrificium, per aliquod temporis spatium, ferventer te praeparas, in tam alti mysterii meditatione toto animo defixus? — „Cum celebrandi tempus imminet, colligant se sacerdotes ab omni animi distractione, et gratiam tremendum illud mysterium digne peragendi a Deo implorent, curentque, ut ex precibus canonicis saltem Matutinum cum Laudibus absolverint, quemadmodum etiam rubricae Missalis romani praescribunt.“ (Synod. AUGUSTANA an. 1610.)

*Cum sacerdos fuerit totus alteratus et divinus effectus, ita ut nihil videat nisi Deum, tunc accedat.* (S. BONAVENT.)

An induens sacra paramenta devote recitas praescriptas preces? an ideo curas, silentium in sacristia servari? — „Dum sacerdos Sacrum facturus in sacrario induitur, nemo ibi confabulari praesumat, unde ipsius devotio inturbetur.“ (Synod. TREVIRENS. tit. de Missa an. 1549.)

Extat ne etiam in sacristia pelvis cum aqua et imago Crucifixi, ut celebraturus manus laves, et priusquam ad altare egrediaris, calicem manu tenens, profundam facias cruci reverentiam?

An ad altare procedis et ab eo recedis, quemadmodum rubricae Missalis praescribunt, *oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore*?

An fortasse supra calicem defers birretum, strophium aut perspicillum etc., quod non decet?

Quae tua est pietas et devotio? An nunquam celebras Missam cum quadam negligentia aut irreverentia? — Nescis, *maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter*? Nescis *irreverentiam in S. Missa ab impietate vix sejunctam esse posse*? (TRIDENT. sess. 22, de celebr. Missae.)

An omnem motum et actionem ita moderaris, ut non minus aliorum aedificationi quam propriae devotioni servias?

An vitas *omnem indecorum et absurdum capitis, oris et reliqui corporis motum*? (Synod. AUGUST. an. 1610.)

An accurate facis genuflexiones et signa crucis, nec praecipitanter, nec affectate? \*)

An singula verba distincte pronuntias, alia voce elata, non tamen ita, ut caeteri, eodem tempore celebrantes, perturbentur, alia secreto? — An ita lente, ut non pergas, nisi finita a ministrante tota phrasi; et vicissim an curas, ut hic non incipiat, nisi finita tua? — „Illud certissimum est, non deesse, qui Sacrum „negligentissime faciunt, verba cum festinatione proferentes, in „tempestive quae agenda sunt properantes. . . . Ad altare tam „exiguo tempore, adeoque tam incomposite detinentur, ut nullam „animo religionem, nullam verbis ac precibus, quae ad sacrificium pertinent, attentionem habere procul dubio videantur. „Sacerdotibus ejusmodi illud aptissime convenire potest, quod „olim Tertullianus, cum diversam rem pertractaret, postulavit: „*Sacrificat, an insultat?*“ (BENEDICT. XIV. de sacrif. Missae.)

Vel an Missam dicis adeo lente, ut semihoram multum excedas, cum taedio audientium?

---

\*) Genuflexiones fieri debent usque ad terram, recto tamen corpore et recto capite et non demisso. (P. Hoeflinger manuale rituum T. I. c. 1 §. 2.)



An verba consecrationis profers interruptim, vel tono nimis alto?

*An praescriptas in Missali romano caeremonias ad unguem ervas, neque ullas alias adhibes?* (Synod. AUGUST. an. 1610.) An ea de causa rubricas interdum legis, adhibito etiam, si opus sit, auctore interprete? \*)

An orationes, ad incensum sub Missa praescriptas, memoria enes et recitas?

Annon uteris solo vino in secunda ablutione, qui mos in aliquibus locis per abusum irrepsit? \*\*)

An etiam pro rei gravitate attendis, ut vinum in sacrificio Missae sit purum et genuinum? — Monet Synodus AUGUST. an. 1610. *non expedire illud ex publicis cauponis afferri*, ob periculum corruptionis.

An nunquam celebras sine veste clericali, veste saltem nigra et longa? an semper servas colorem quem rubricae praescribunt? \*\*\*)

An dicta Missa, mox divino hospiti dorsum obvertens, discellis, neque curas cum eo paulisper conversari? — *Nullum certe pietatis sensum habere convincitur, qui non libenter cum Deo marset.* (Cardin. BONA de sacrif. Missae c. 6.)

\*) S. Pius V. in bulla, quae posita est in principio Missalis, ait: *Mandantes et districtè praecipientes in virtute sanctae obedientiae, ut Missam juxta ritum, modum et normam, quae per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent ac legant.* „Unde communis omnium sententia docet, inquit Benedictus XIV., (de sacrif. Missae Sect. 2. §. 102.) rubricas Missae esse leges praeeptivas, quae obligant sub mortali, nisi excuset invincibilis imprudentia aut parvitas materiae. — Non te puleat addiscere, quanquam provectoris forte sis aetatis. *Ad discendum quod opus est*, scribit S. Augustin. ep. 166., *nulla mihi aetas sera videri potest: quia etsi senes magis deceat docere, quam discere; magis amen decet discere, quam ignorare.*

\*\*) „Vino solo in digitis abluendis uti non licet absque indulto Pontificis, non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusus esse patet, quia contra mandatum Rubricae.“ (Hoeflinger manuale lit. Tit. 1. c. §. 6.)

\*\*\*) „Recitantes officium de Martyre, et celebrantes in Ecclesiis, ubi licitur de Confessore, petitur, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiamsi nulla ibi sit solemnitas? — Respondetur: *affirmative*, etiam quoad Missam, quae non poterit celebrari de Confessore, si color fuerit rubens.“ (S. Congreg. Rituum 7 Maj. an. 1746.)

Tam cito fastidis Deum? O probrum! o dedecus Sacerdotis christiani! — *Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiae et fluenta gratiae.* (S. BERNARD. serm. 51. in cont.)

An memor accepti beneficii curas per diem, piis affectibus crebrisque aspirationibus divino Salvatore te unire? — *Esse sine Jesu gravis est infernus; esse cum Jesu, dulcis paradisos.* (Imitat. Christi l. 2. c. 8.)

O Jesu mi dulcissime  
Spes suspirantis animae,  
Te quaerunt pie lacrymae,  
Et clamor mentis intimae.

Quocunque loco fuero,  
Mecum Jesum desidero:  
Quam laetus cum invenero!  
Quam felix cum tenuero!

(S. Bernard.) \*)

An unquam ausus es Missam dicere, non stricte servato a media nocte jejunio?

Annon vereris inter divina mysteria *Tabacum* sumere, aut ansam dare, ut sacrum corporale eo pulvere indecenter conspergatur, aut guttis foede maculetur? — Notanda hic veniunt verba Synodi EICHSTETTENS. an. 1700.: „Indigna prorsus res est, et „sacerdotem deturpans tam frequens haustus tabaci e fistula, „unde tales ita immoderate huic potui vacantes, stomachose foetent, ut honesti viri, cum talibus sacerdotibus tractantes, merito inde horrorem concipiant; nedum quod sacra paramenta „foetore suo repleant et contaminent.“ Examina te ergo, utrum non etiam immodice et intempestive tabaco utaris?

An audes sine legitima dispensatione bis aut, quod multo intolerabilius est, ter in die celebrare? — Romana sedes facultatem bis in die celebrandi non solet dare ipsis missionariis, nisi apposita conditione, *ut facultate hac nullatenus uti liceat, nisi rarissime et ex gravissimis et urgentissimis causis, in quo graviter tam Superiorum quam ipsorum missionariorum conscientia oneratur.*

\*) Juvat hic ex. gr. hujusmodi aspirationes aliquas notare e libello Card. Bona de sacrif. Missae: „Bone Jesu! quandonam mihi totique mundo mortuus ero, ut in te solo vivam, et tu vivas in me? — O si semper te amarem, te semper possiderem! a te nunquam discederem, in te prorsus converterer! — Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram! — Refice, Domine, esurientem animam meam, accende frigiditatem meam igne amoris tui.“ etc.

Si parochus es, an diebus dominicis et festis Missam parochiam applicas? — Proderit etiam hac de re populum aliquoties admonere, quo ferventius Missae parochiali assistat.

An Missas, ex justitia celebrandas, ultra licitum tempus non differs, aut plane omittis? \*)

An tabellam sive librum habes, ubi omnes hae Missae accurate notatae cernuntur, ne memoria excidant?

An juxta Superiorum praescripta aut dioeceseos statuta curas, ut peregrinus vel ignotus sacerdos, nonnisi litteris debite exhibitis, Sacrum celebret?

### Officia divina.

An Ecclesiam ingrederis modeste ac reverenter, non concitatiore gressu, non circumvagando oculis, aut garriendo? — *Cum ad orandum sive psallendum Ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus obliviscere, ut soli Deo possis vacare.* (S. BERNARD. medit. c. 6.)

An officia divina eadem semper *fixa* hora, et populo commoda, inchoas?

An in sacris officiis, in administratione Sacramentorum, in processionibus, in exequiis, in vesperis etc. pie, reverenter ac religiose te geris? Non ades oscitans aut incompositus, non oculis vagis, animo dissipato? Verba et ceremonias non indecenter praecipitas? — Denique an nullam das ansam, ut fides in populo minuatur per tuam vel aliorum, qui Ecclesiae deserviunt, irreverentiam? — *Pavete ad Sanctuarium meum. Ego Dominus.* (Levit. 26.)

An pro officii ratione sedes, stas, genua flectis, caput aperis et inclinas? accurate demum omnia observas, quae praescripta sunt? an nihil pro libitu addis vel ommittis? non sequeris pro legitimo usu abusum?

---

\*) Consent plerique Theologi, esse graviter illicitum, Missas, ex justitia celebrandas, differre ultra duos menses, nisi id fieret de consensu stipendium dantis, aut etiam, si Missa sit dicenda pro defuncto, differre per integrum mensem, aut, si sit pro urgente necessitate, differre, donec causa siye necessitas non amplius existat.

Quae in sacra scriptura levitis et sacerdotibus V. T. praecipuntur, etiam ea, quae levia videri possunt, fere semper sub poena mortis intimantur: adeo nihil contemnendum, quod pertinet ad Dei cultum.

An oras junctis devote manibus ante pectus, idque etiam alios praesertim pueros doces? An orando non pigrius sedes, vel cubitis nixus cubas, protenso in scamnum indecenter corpore?

An quoties ante SS. Sacramentum transis, reverenter decentique modo usque ad pavimentum genuflexionem facis? \*)

Quomodo curas recitari a populo rosarium vel alias preces? An omnes graviter recitant, et distincte, et quasi una voce cum decenti pausa? nemo caeteris citius aut lentius?

An in Missis solemnibus cantum partim omittis propria auctoritate?

An festinanter vel truncando cantas, idque a cantoribus fieri sinis? An vocis modulatio potius vanitatem quam devotionem redolet? — „Psalmi in Ecclesia non cursim et excelsis atque inordinatis seu intemperatis vocibus, sed plane et dilucide et cum compunctione cordis recitentur: ut et recitantium mentes illorum dulcedine pascantur, et audientium aures illorum pronunciatione demulceantur.“ (Conc. AQUISGRAN. an. 816.)

An dum ore psallis, laudas Deum corde et opere? — *Fratres*, inquit S. AUGUSTIN., *non tantum ad sonum attendite, cum laudatis; sed totum Deum toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta.*

An cantus et musica est gravis, devota, et religionis sanctitate ac majestate digna? — Monet synodus AUGUST. an. 1610. „ut vitetur quaevis levis modulatio, et quidquid pietati excitandae et fovendae non conducit.“ Etiam synodus MONASTERIENS. an. 1655. et VRATISLAVIENS. an. 1446. et plures aliae proscribunt „omnes melodias, quae sapiunt levitatem vel nugas seculares.“ — Proscribit quoque synodus AUGUST., ut in Missa tempore elevationis non cantetur, sed „altum ab omnibus servetur silen-

\*) Utrouque genu sunt faciendae genuflexiones a transeuntibus ante Sanctissimum patenter expositum, etiamsi in pixide sive ciborio expositum sit. (S. Congreg. rit.)

„tium; elevato autem calice, si musice cantandum sit, id devote  
„et submissa voce fiat.“

An in omnibus sacris functionibus talari, uti decet, veste es  
indutus?

An officia celebras, non temporali emolumento inductus, sed  
charitate religionisque cultu? — *Voluntarie sacrificabo tibi, et  
confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.* (Ps. 53.)

Est ne tibi etiam curae, ut quicumque in Ecclesia vel ad aram  
ministrant, sint reverentes, decenter vestiti, atque bene instructi,  
ne verba sacra detruncet, aut devotionem fidelium turbent?

An pro viribus impedis vana colloquia, deambulationes, gar-  
ritum et omnem irreverentiam in Ecclesia, atque etiam strepitum  
et clamores circa Ecclesiam? *ut Domus Dei vere domus orationis  
esse videatur ac dici possit.* (TRIDENT. sess. 22.)

An venditores, lusores, animalia et alia, quae locum sacrum  
dedecent, a coemeterio conaris arcere? An in eo Crux erecta con-  
spicitur?

An pro viribus prohibes, ne quis canem secum in Ecclesiam  
introducat?

An sollicite curas munditiam, nitorem et ornatum domus Dei,  
ut vere dicere possis; „Domine, dilexi decorem domus tuae?“

Noverat hoc apprime NEPOTIANUS, de quo scribit S. HIR-  
RONYM. (ep. ad Heliodor.): „Erat sollicitus, si niteret altare,  
„si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa . . . si Sacra-  
„rium mundum, si vasa luculenta, et in omnes caeremonias  
„pia sollicitudo disposita. Non minus, non majus negligebat  
„officium. Ubicunque eum quaereres, in Ecclesia invenires.  
„Basilicas Ecclesiae diversis floribus et arborum comis vitium-  
„que pampinis adumbravit; ut, quidquid placebat in Ecclesia,  
„tam dispositione quam visu, presbyteri laborcm et studium  
„testaretur.“

An suo tempore Ecclesia verritur, lavatur, dealbatur, ornatur?  
an omnia in ea rite ordinata? — *Nihil magis ornat Ecclesiam  
quam rerum omnium ordo.* (Conc. ROTHOMAG. an. 1581.)

An debite curas, ut ornamenta non sint lacera; illuvie et cras-  
sities sordida? — ut altarium canones non sint cerae maculis et in-  
decoro pulvere oppleti et longo contactu sordidati? — ut tabulae,

imagines, nimia vetustate aut sordibus deletae, restaurentur, parum decentes removeantur?

An attendis, ut diebus festivis altare splendidius niteat, et solemniori pompa divinum officium celebretur? — *Maxime sacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum decoꝛe congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.* (S. AMBROS. l. 2. offic. c. 21.)

### Horae Canonicae.

An Breviarii recitationem consideras ut orationem Ecclesiae, quam ejus nomine pro toto christiano orbe facere debes? — *Pro universo terrarum orbe legatus intercedit apud Deum Sacerdos.* (S. CHRYSOST. de sacer. c. 6.) — „Presbyterorum officium in „orando Deum pro totius Ecclesiae et populi christiani prosperitate „situm est.“ (Synod. COLON.) — Ut Clerici horas canonicas recitent „religiosissimi legumlatores suis suaserunt sanctionibus „dicentes, Clericos ea re maxime constitui, ut suis precibus benevolentiam Dei clementissimi Rebus publicis acquirant.“ (Prov. Synod. SALISBURG. an. 1569.)

An Breviarii recitationem consideras quoque ut praeceptum Ecclesiae, quod sub peccato mortali te obligat? — „Districte „praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum officium diurnum pariter et nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose „celebrent et devote. (CONC. LATERAN. oecumen. sub Innoc. III.) — „Ad canonicas horas recitandas se sub peccati mortalis reatu „omnino adstrictos scire debent quicumque beneficiati et omnes „in sacris ordinibus constituti.“ (Synod. PRAGENS. an. 1605.) — „Districte sub excommunicationis poena“ praecipit Synodus BAMBERG. an. 1491. breviarium recitare „non transcurrendo, „syncophando sed rite et devote.“ — Synod. PROV. SALISBURG. an. 1569. eum, qui breviarium recitare negligit, „vult primo ad „monitione privata per suum corripri Superiorem: ad quam si se „non emendaverit, publice perpetuae suspensionis poena populo „denuntietur. Quam contemnens, si ab ipsa publicatione intra „mensis spatium ad cor non redierit, exinde contra talem ad perpetuam suspensionem ministerii sacerdotalis sententialiter et „summarie procedatur.“ — Synodus CONSTANT. an. 1609. inter alia sic habet: „Parochi et alii Clerici Constantiam ob negotia re-

„nientes, diligenter examinentur de modo ac ratione horarum canonicarum et an de praesenti breviarium secum habeant: et si quos deprehenderit, qui vel Breviarium secum non sumpserunt, vel horas secundum rubricas Breviarii recitare non possunt, eos severissime mulcta pecuniaria, piis locis applicanda, carcere aut privatione pro qualitate delicti puniant.

Cui haec non sufficiunt, adeat ipse decreta et canones Conciliorum tum veterum tum recentium: nullum certe reperiet, quod Clericis, in majori ordine constitutis, potestatem faciat Breviarium pro libitu vel commoditate recitandi, certe nullum, quod recitationem solummodo consulat, non vero praecipiat. \*)

An omisisti recitationem breviarii ob nauseam et ariditatem spiritus, ut licitum nonnulli putant per gravissimum sane errorem? — Si aridus es, accende in te ignem orationis. —

An omisisti praetextens, te alia longe utiliora recitare aut meditari? — *Stulte egisti . . . Melior est enim obedientia, quam victimae . . . Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere.* (1. Reg. 13. 13 et 15, 22.)

An omisisti ob aliam levem causam? — „Clerici itinerantes, aut ii, qui levi aliquo morbo corripiuntur, non aestiment se ab horarum recitatione immunes.“ (Synod. CONSTANT. an. 1609.)

Vide, annon tenearis ob breviarii omissionem ad restitutionem? — „Quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si

\*) Quod si negari nullo modo potest, omnes Clericos, beneficiatos, aut majoribus ordinibus insignitos, jam ab antiquissimo aevo per universam Ecclesiam horarum canonicarum lege obstrictos esse; si quidem innumeri canones id invicte testantur, ac de Oriente etiam Benedict. XIV. in Constit. ad missionar. apud Cophtas §. 43. Tom. 1. ejus Bullar: quis sine insigni temeritate eam legem contemnere aut irritam dicere audeat? Quam nobis legitimam citabunt auctoritatem, quae legem hanc abrogavit? An contrariam forsitan consuetudinem? — Aliquorum ergo praevericatio vim habebit convellendi legem? Annon *consuetudo, quae canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti?* (Innoc. III. c. 3. de consuet.) Annon juxta effatum S. Thomae: *Si adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.*“ (1. 2. quaest. 97. art. 3.) Quis vero dicet, non amplius stare rationem, propter quam horae canonicae recitentur? cessasse hodie necessitatem orandi pro totius Ecclesiae et populi christiani prosperitate?

„intra sex ab obtento beneficio menses divinum officium, cessante  
 „omni legitimo impedimento, non dixerit, beneficii fructus non  
 „faciat suos pro rata omissionis et temporis; sed illos tamquam  
 „injuste acceptos, vel in fabricas beneficii; vel in pauperum  
 „eleemosynas erogare teneatur.“ (Conc. LATER. V. sub Leone X.  
 vide etiam bullam Pii V. \*)

An recitas Breviarium *loco et tempore congruo*? annon omnia  
 simul et semel, quo citius te expedias? non sub noctem somno  
 jam gravis? annon absque legitima causa differs Matutinum et Lau-  
 des usque post Missam? \*\*)

An recitas *reverenter* — decenti corporis situ — non leviter in-  
 terrumpendo — non deproperanter? Vel an sufficit tibi, preces  
 has horarias utcumque permurmurasse? — „O ingens perversi-  
 „tas multorum Clericorum! Producitur somnus, producitur  
 „mensa, producuntur recreationes, producuntur confabulatio-  
 „nes, lusus, nugae nugarum: solius supremae Majestatis cul-  
 „tus summa, qua potest, celeritate deproperatur, luride absol-  
 „vitur.“ (KUGLER de spiritu Eccl.)

An recitas *attente*? — „Quid enim est, voce psallere, mente  
 „autem domum aut forum circumire, nisi homines fallere et Deum  
 „irridere?“ (Synod. TREVIR.)

An recitas *devote*? — *Si orat psalmus, orate; si gemit, ge-  
 mite; si gratulatur, gaudete; si sperat, sperate; si timet, timete.*  
 (S. AUGUST. in Ps. 30.)

*Ante orationem praepara animam tuam, ne sis, quasi homo  
 tentans Deum.* (Eccli. 18, 23.) Proderit ante quamlibet ho-  
 ram, iterum mentem colligere, sibi que cogitatione praefigere  
 peculiarem intentionem aut aliquam impetrandam gratiam. —  
 Post orationem autem, inquit S. CAROLUS BORROM. (Concil.  
 Mediol. IV.) „si quid aut negligentia aut alia culpa commiseris,

---

\*) Attendendum tamen in statuenda restitutione, utrum redditus be-  
 neficii sint pingues an tenues, utrum alia onera ei annexa sint multa et  
 gravia necne, utrum mala an bona fide omissio facta sit.

\*\*) Benedictus XIV. censet, perdifficile posse excusari a peccato  
 veniali, qui sine legitima causa celebrat, non recitatis Matutinis et Lau-  
 dibus; imo vix a mortali, qui, nulla causa urgente, id perpetuo fa-  
 ceret, quasi animo statuisset, illud nunquam servare. (De Sacrif. Mis-  
 sae Comment. S. 2. §. 102.)



„ paululum colligens te, veniam a Deo pete.“ Monet quoque idem S. Carolus, ut quisque sacerdos in psalmodum, canticorum et hymnorum intelligentiam opportuno tempore studiose incumbat; atque ita, facile intelligens, quod recitat, devotius orabit.

### Meditatio.

„ Quomodo dilexi legem tuam Domine?  
tota die meditatio mea est.“ Ps. 118.

An quotidie mane aliquod tempus piae meditationi impendis?

An in ea diligenter observas annotationes pro meditatione bene perficienda? Ejusmodi sunt: praelegere meditationem vespere; mane surgendo mox meditationis materiam in mentem revocare; praemittere meditationi orationem praeparatoriam et praeludia; concludere per affectuosa colloquia cum divino Salvatore, B. Virgine etc.

An in Christum, praecipue considerationis obtutus figis, mores ejus observas, eloquia meditaris? (S. LAUR. Iust.) — S. FRANCISCUS Xaver. singulis mensibus vitam Iesu Christi in meditatione percurrerebat.

Aut an speras, te posse, quod nullus unquam Sanctorum potuit, assequi perfectionem, quin mediteris? — Verissimum est flatum spiritualis magistri GERSONII: *Absque meditationis exercitio, nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad rectissimam religionis christianae normam pertingit.* Nam haec est, ait S. BERNARD., *quae mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat.* (de Consider. l. 1. c. 7.)

Quodsi in negotio salutis lentum, socordem et fastidiosum te sentis; si quoties surgis, iterum cadis: annon exinde, quod meditationem negligis? — Utinam nec pejus quid tibi contingat! — Scisne, aiebat S. BERNARD ad EUGENIUM Papam, quo paulatim enturus sis, si meditandi studium remittas? Eo, *quo tu non es. Quaevis, quo? Ad cor durum, quod semetipsum non exorret, quia nec sentit, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis uratur. . . . En quo trahere te habent haec occupationes mala-*

*dictae: si tamen pergis, ut coepisti, ita dara te totum illis, nil tui tibi relinquens.* (Ibid. c. 2.)

An serio perpendis, ab omnibus viris sanctis praescribi Sacerdotibus quotidianum meditationis pensum? (Vide ex. g. S. GREGORII M. reg. past. P. 2. c. 11. — Monitiones S. CAROLI BORROM. ad Cler. et Sacerd. — S. Alphons. de LIGORIO etc.)

P. Mag. AVILA, vir sanctitate et eruditione clarus, sacerdotio haud idoneum ducebat, qui meditationi deditus non erat. — *Eos tantum et re et nomine Clericos reputamus, qui legem Dei die noctuque meditantur, ac vitam agunt sacerdotio dignam.* (Synod. COLON. an. 1536.)

Putasne forsitan, te meditando tempus perdere? — Imo, respondet S. BERNARDUS, *tam pio tamque utili otio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est?* (Ibid. c. 8.)

An nescire te dices meditandi artem? — Ergo meditando disces. *Fabricando fabri fimus.* Consule artis peritos. Pete a Deo gratiam. Si melius non potes; saltem pium librum sume, lege, singulis sententiis legendo inhaere, tibi applica, ingemisce, fac propositum et postula gratiam. Quod tuum est fac, reliqua spera a Deo. \*)

Neque te eximas a meditatione ob defectum temporis. Nam *si te subtraxeris a superfluis locutionibus et otiosis circuitionibus, nec non a novitatibus et rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens et aptum pro bonis, meditationibus insistendis.* (de Imitat. Christi lib. I. c. 22.)

---

\*) Meditationis libri praeter scripturam sacram tibi esse possunt ex. gr. *Clericus instructus*, August. Vindel. an. 1761. — *Del Monte*, Worte Jesu an das Herz des Priesters, Sulzbach bei Seidel. — *Betrachtungen des heil. Liguori*, Regensburg bei Manz. — *Betrachtungen von Ludwig de Ponte*, S. J. daselbst. — *Betrachtungen über das Leben und die Geheimnisse Jesu Christi nach der Anweisung des hl. Ignatius*, Einsiedeln bei Kuriger & Comp. — *Leben und Lehre unsers Herrn Jesu Christi von Avanzin*, Augsburg bei Bolling. — *Der Christ in der Einsamkeit von Joh. Crasset*, S. J., Wien. — *Wegweiser zum Himmel von Franciscus Nepveu*, S. J., Wien bei Grund. — *Betrachtungen über das hl. Evangelium Jesu Christi auf alle Tage des Kirchenjahres von Anton Boissieu*, S. J. München bei Lentner. — *Das betrachtete Evangelium*, Grätz bei Kienreich. — *Neuer Monat Mariae von L. Debussi*, Aachen bei Cremer. etc.

Firmiter tecum statue, te non solum quotidie per breve saltem tempus velle meditationi incumbere, sed quolibet etiam mense diem aliquam seligere internae recollectionis aut ad mortem praeparationis, et quolibet anno per aliquot dies spiritualibus exercitiis in pio secessu vacare. — „O dies piae solitudinis nunquam satis aestimandi, quibus promisit Spiritus Sanctus se ad cor fidelis animae locuturum! O dies totius vitae diebus praestantiores et commendabiliores, ad salutem operandam efficaciores, quosque totius vitae tuae fuisse dies forte aliquando exoptabis. In illa pia solitudine confessioni extraordinariae operam da et ordinatum vitae genus aut suscipe, aut susceptum renova.“ (ex ord. vitae sacerdot.)

### Examen conscientiae.

„Animus quotidie ad rationem reddendam est vocandus. — Utor potestate hac, et quotidie apud me causam dico. — Totum diem mecum scrutor, facta et dicta mea remetior, nihil mihi abscondo, nihil transeo“ Ita SENECA (l. 3. de ira): quid tu Sacerdos Dei altissimi? An quotidie id non obiter sed diligenter praestas?

Quam methodum tenes in examine? an 1) gratias agis Deo? 2) petis lumen? 3) discutis mentem? 4) doles? 5) proponis?

Num etiam quotidie, uti consulunt asceseos magistri, examen particulare de uno aliquo vitio aut virtute instituis, ut illud extirpes, hanc acquiras? Quodnam est illud vitium, quae virtus? — *Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur.* (Imit. Christi L. 1. c. 11.)

Extirpandum est imprimis illud vitium vel ille defectus, qui prae aliis te infestat, id est, a quo tanquam radice alii progermant, et qui tibi frequentiore confessionis sacramentalis materiam praebet, etiam ille, qui proximos notabilius offendit, eisque damno aut scandalo est.

Ad eum scopum praxis est utilissima: mane firmum animi propositum concipere, vitium illud particulare per totum diem sedulo vitandi; dein sub meridiem et vesperi sese examinare, propositum renovare, lapsuumque numerum in peculiari libello notare; denique comparare interdum diem cum die, hebdomadam cum hebdomada, ut videatur num ille numerus minuat an augeatur.

atque etiam, si lapsus frequentiores fuerint, sibi ipsi poenitentiam injungere. — Disquire, num haec omnia hactenus observaris, et quomodo ea deinceps observare velis.

Quales facis preces vespertinas et quas a tuis domesticis fieri curas?

De S. FRANCISCO SAL. legitur in ejus vita: „Vespere peracta lectione spirituali, conveniebant domestici, ut litaniarum recitationi interessent, tum instituebatur examen conscientiae, quo primus ipse palam defungebatur.“

### Confessio frequens.

Quoties peccata tua confiteris? — S. CAROLUS BORROM. Sacerdotibus sequentem regulam dabat: „Singulis saltem hebdomadis, atque adeo saepius, et omnino semper, cum peccati mortalis conscii estis, confiteamini.“ (V. CONCIL. IV. MEDIOL. P. 3.) Ipse S. Carolus quotidie confessione sacramentali ad Sacrum faciendum se parabat. — Concilia atque Statuta dioecessana Germaniae frequenter Sacerdotes hortantur, ut regulariter octavo quoque die peccata confiteantur, nunquam vero ultra quindenam differant. Ita Constitutiones et Decreta RATISBON. an. 1588.: „Sacerdotes quo purius ad divinam rem faciendam accedant, singulis hebdomadis, ubi copiam confessarii habere poterunt, vel saltem et ad minimum decimo quinto die peccata sua confiteantur, nisi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit.“

An saltem confiteris, quoties praescribunt constitutiones tuae dioeceseos?

Quomodo confiteris? an obiter, sine sensu, sine emendatione, ex mera consuetudine? — „Si negligenter agimus, ipsa nobis medicamenta convertuntur in vulnera; et inde habebimus iudicium, unde poteramus habere remedium.“ (S. AUGUST.)

Si peccatum mortale confitendum habes, dicisne etiam, quoties in peccato Missam celebraris, confitentes audieris, vel alia Sacramenta confeceris? Dicisne quam diu ex tua culpa confessionem distuleris, cum TRIDENTINUM praecipiat, ut si quis, necessitate urgente, sine praevia confessione celebraverit, *quamprimum* confiteatur. (v. supra de sacrif. Missae pag. 10.)

An in spiritu fidei confessarium, ut Jesum ipsum, adis?

An serio te praeparas ad absolutionis gratiam recipiendam? — an confessione peracta, aliquandiu remanes in gratiarum actione, vel an mox cum confessario sermonem misces? — Quomodo poenitentiam a confessario inunctam persolvis?

An in singulis confessionibus ferventer proponis vitare peccatum illud, etiamsi veniale non excederet, quod aliorum peccatorum fons est et origo? —

Annon quaeris confessarium tibi nimis facilem, qui nec interrogat, nec stimulat, nec dirigit? fortassis talem, qui eodem morbo ac tu laborat, qui proin ulcus tangere non audet? De his ait divinus magister: *Caecus, si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* (Matth. 15.)

„Summa vigilantia acerrimaque in omnes partes circumspicione operam dato, ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps delectae vitae studiis certissimum ducem se, quaris.“ (S. BASIL. serm. de abn. rer.) Hunc ergo, ubi inveneris, in directorem spiritualem tibi adscisce, eum in omnibus, quae spectant ad animam tuam, candide consule, eique humiliter obedi, ut effugias insidias satanae transfigurantis se in angelum lucis.

### Lectio pia.

Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit.

(S. Isidor. l. 3. de summo bon. c. 8.)

An soles quotidie lectionem ex pio libro instituere, in primis e S. Scriptura, quae a S. Ambrosio liber *sacerdotalis* nominatur?

An in legendis libris piis utilitatem quaeris, non dictionis elegantiam? — *An ita libenter devotos et simplices libros legis, sicut altos et profundos?* (IMIT. CHRISTI l. 1. c. 5.)

An avidus ab uno ad alterum volas, quin rumines, quin ad te reflectas, et pios affectus concipias? — *Habent in epulis suis et animi quandam luxuriam, si ultra modum in eas, et voraciter irruant.* (S. AUGUST. de beata vita. n. 1.)

An tibi familiaris est pius libellus de *imitatione Christi*, quem ob omni aevo viri sanctissimi in deliciis habuere?

An sedulo curas, e libris asceticis acquirere scientiam sancto-

rum, tum tibi tum aliis maxime necessariam? — Absque ea ceterae scientiae plerumque non aedificant sed inflant.

Quales tibi ascetas in lectionem seligis? — Praestat sane inchoare non ab illis, qui altiora et recondita speculantur, cum a multis ea perperam intelligantur, sed potius ab iis, qui viam perfectionis docent intellectu facilem, omnibus perviam, illusionibus minus obnoxiam. \*)

An officeris erga vitas Sanctorum, quae ad virtutem adipiscendam tantos animos addunt? — Lege inprimis acta praeclara sanctorum sacerdotum: S. Caroli Borrom., S. Francisci Salesii, S. Vincentii a Paulo, S. Francisci Xaverii, B. Petri Forer. etc. \*\*)

An etiam legis libros de sacerdotalis vitae rationibus et officiis, ex. gr. S. Chrysostomi Lib. de sacerdotio, — S. Gregorü M. regulam pastoris. — Memoriale vitae Sacerdotalis. — Thesaurum Sacerdotum et Clericorum. — Regulam Cleri. — Kugler, (der Priester nach dem Geiste der katholischen Kirche). — S. Ligor. (vollkommener Weltpriester). — Sevoy — Abelly etc. ac inprimis Constitutiones ecclesiasticas tuae dioecesis?

### Praxes devotionis solidae.

An, ut monet „Imitat. Christi“ l. 4. c. 15, devotionis gratiam instanter quaeris, desideranter petis, patienter et fiducialiter expectas, gratanter recipis, humiliter conservas, studiose cum ea operaris?

Quivis sacerdos sibi dictum existimet, verbum illud praeclari viri BARTHOLOM. a Martyr.: *Vae tibi, Episcopo, si fons devotionis in te siccatu fuerit!*

\*) Eo nomine inprimis veniunt: *Scupuli pugna spiritualis*. — Opusculum hoc magni faciebat S. Franc. Sales. — *Alph. Rodriguez*, S. J., Uebung der Vollkommenheit, Wien, Mechitaristen. — Opus eximium, quod deberet esse lectionis quotidianae ad acquirendam solidam et practicam scientiam asceseos. — Opera S. *Alph. de Ligorio*. — S. *Francisci Salesii*, maxime Philothea. — *Lud. Blossii*, — *Lud. Granatensis* inprimis: Die Lenkerin der Sünder, Aachen. — *Saint-Jüre*, von der Erkenntniß und Liebe Jesu Christi, Landshut. — Directoribus spiritualibus utilissima monita suggerunt: *Scaramelli* de perfectione, et *Pinaconti* de direct. spirit., qui ex idiomate italico in latinum versi exstant.

\*\*) Multas instructiones praeclaras pro Clero continet vita: *Der hl. Vincentius von Paul*, dargestellt in seinem Leben und Wirken, Wien 1835.

An adhibes saltem aliquas piarum praxium, quibus viri sancti devotionem in corde suo excitare et alere solent? — **Quaerisne, quales?**

Num frequenter visitas divinum Hospitem, tecum sub eodem tecto in SS. Eucharistiae Sacramento habitantem? An quia amore tui *absconditus est vultus ejus . . . ; inde nec reputas eum?* (Isaj. 35.)

Quid prohibet quominus illum in tabernaculo solum et desertum sub vesperam visites, adores, veniam tibi aliisque petas, et familiariter cum eo converseris? *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium.* (Sap. 8. 16.)

An saepe cum mellifluo BERNARDO, recurris ad *Cor dulcissimum Jesu?* — *O quam bonum et quam jucundum habitare in Corde hoc! . . . Ad hoc enim perforatum est, ut nobis pateat introitus.* (Serm. 3. de pass. Dom.)

An sedulo mente revolvis acerbissimam Jesu Christi passionem et mortem? — *Ecce moritur Justus et non est, qui recogitet in corde suo.* (Isaj. 57.) — An in illius honorem interdum instituis devotionem, quae dicitur *Via Crucis?*

An singularem corde foves venerationem et amorem erga sanctissimam Deiparam? — *Totis medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et votis omnibus Mariam veneremur, quia haec est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* (S. Bern.) — An eam honoras honorarique curas per Rosarii recitationem et alias pias praxes ac imprimis per imitationem virtutum?

Annon es ex illis, qui continuo lamentantur de excessibus et abusibus in cultu Beatae Virginis, cum nihil sit lamentabilius, quam quod plurimorum corda adeo frigeant? — **Tabescat haeresis, nos Matrem amemus et amari nitamur.**

An etiam saepe commendas Cordi Matris clementissimae non solum te sed miserrimos peccatores, infideles et haereticos? An fors ignoras, quanta prodigia per invocationem sacratissimi illius Cordis divina bonitas hodie operetur? An salutas B. V. Mariam ad pulsum campanae mane, meridie et vespere; atque tam piam praxin aliis commendas?

**An erga S. Angelum custodem foves reverentiam pro praesen-**

*tia, fiduciam pro custodia, devotionem pro benevolentia?* (S. BERNARD.)

An praecipuo etiam cultu honoras S. Josephum, nutritium Jesu, sponsum castissimum B. V. Mariae, patronum vitae interioris? — Apostolici quoque viri est, multum affici erga S. S. Apostolos et erga illos viros sanctos, qui fidem in patria et in dioecesi sudore et sanguine foecundarunt.

An attendis, ut indulgentias, a summis Pontificibus concessas, lucreis, et defunctorum quoque animabus pie applices?

An congregationes et sodalitates, in spirituale emolumentum fidelium ab Ecclesia erectas et approbatas, in pretio habes, atque ex illis fructus percipere curas?

An tota denique domus tua pietatem spirat, ut quocumque oculi incidant, animus ad devotionem incitetur? Adestne Crux, aqua benedicta? Adsuntne pie imagines, piique libelli? etc.

## II. Qualis ratione Tui ipsius?

Inspice jam interiores animi tui recessus; qualis sis in oculis Dei; an, ut decet esse pontificem, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus?* (Hebr. 7. 26.) an non regnat in te peccaminosa concupiscentia, omnis mali radix et fomes, concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae? (1 Joan. 2. 16.) Exercesne studiose virtutes triplici concupiscentiae oppositas: 1) Castilitatem, sobrietatem ac modestiam etc.? 2) Spiritum paupertatis? 3) Humilitatem? — *Admove speculum: foedus se in eo vultus agnoscat . . . Omnia illi desunt, qui nil sibi desse putat.* (S. BERNARD. de consid. 1. 2. c. 7.)

### I. Castitas.

Quomodo affectus es erga virtutem hanc, quae *angelum de homine facit*, an summi aestimas? sincere diligis? — Qui tuus sermo de coelibatus praecepto?

Quomodo virtutem hanc exerces, oppositumque vitium fugis? — an — et quomodo peccasti cogitatione . . . verbo . . . aut opere . . . ?? \*)

\*) Juvat hic canones aliquos poenitentiales e Jure canonico citare, ut ex poena vitii eluceat pretium virtutis: „Sacerdotes si in fornicationis



Pro conscientiae pace et serenitate, pro libertate et vigore interiori, pro intima cum Christo familiaritate conservanda et fovenda, pro gloria sacerdotii, pro aedificatione populi, *te ipsum castum custodi* (1. Tim. 5.), et sacerdotali gravitate vel minimam incontinentiae suspicionem evita. — *Parce, frater, parce animae tuae, parce sanguini qui pro te effusus est. Horrendum cave periculum, ignem qui paratus est, declina.* (S. BERNARD. de convers. ad clericos c. 21.)

„laqueum ceciderint, et criminis *manifestus*, sive ostensus fuerit actus, „sacerdotis non possunt habere honorem, secundum canonicae institu- „tionis auctoritatem. (Can. 33. Dist. 50.) — Presbyter, si fornicationem „fecerit, quanquam secundum canones Apostolorum debeat deponi; ta- „men si in vitio non perduraverit, sed *sua sponte confessus* sit, decem „annis in hunc modum poeniteat: tribus quidem mensibus a caeteris re- „motus pane et aqua a vespera in vesperam utatur, sacco indutus humi „adhaereat, die ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis im- „ploret. Postea unum annum et dimidium in pane et aqua expleat; quo „finito, corporis et sanguinis Domini, ne indurescat, particeps fiat, „psalmos in choro ultimus canat, minora gerat officia. Deinde vero us- „que ad impletionem septimi anni, tres legitimas ferias in unaquaque „hebdomade in pane et aqua jejunet. Quo expleto Episcopus in pristi- „num honorem revocare poterit. Sed usque ad finem decimi anni sex- „tam feriam (nulla interveniente redemptione) observet in pane et aqua. „(Can. 5. Dist. 82.) — Si Presbyter cognovit *filiam suam spiritualem*, „quam scilicet baptizavit, vel in baptismo vel in confirmatione tenuit, „vel quae sibi confessas fuit, debet poenitentiam agere duodecim annis: „et etiam debet deponi, si crimen sit manifestum, et peregrinando quin- „decim annis poeniteat, et postea monasterium intret, tota vita sua mo- „raturus ibidem. Ipsa vero mulier debet omnia relinquere et res suas „pauperibus dare, et conversa usque ad mortem in monasterio Deo ser- „vire.“ (Canon Poenit. 2.)

Animadvertite, sufficere quaecumque peccatum contra VI. Praeceptum, quod tum exteriori actu tum interiori consensu grave sit, ut sacerdos careat potestate ab eo *complicem* suum absolvendi, et incurrat excommunicationem Papalem, si absolvat. — Pariter, ut quis incurrat poenas in *Sollicitantes* statutas, sufficit qualiscumque sollicitatio ad peccatum aliquod grave contra VI. Praeceptum (imo illicitus solum et inhonestus sermo, quin expresse sollicitetur, sufficit) vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione et praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad audiendas confessiones destinatus antelecto cum simulatione audiendi ibidem confessionem. (Vide Benedict. XIV. Constitut. hac de re anni 1741 et 1745. et Theolog. moral. S. Alph. de Ligorio L. 6. Tr. 4. c. 2. d. 2. et c. 3. append.)

**Pro castitate servanda.**

Fugisne velut anguem umbram quoque impudicitiae? Vitas, quidquid puritatis candorem vel minime inficere potest? — Hic vel maxime valet illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* (Eccl. 19. 1.)

An bene custodis oculos, aures, linguam, omnes denique sensus? An sollicite invigilas cordi ac menti tuae, haud ignorans, etiam turpia aut desiderantem aut cogitantem supplicia aeterna promereri?

An sollicite fugis occasiones tentationum et lapsuum? — *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* (S. AUGUST. serm. de temp.)

An in conversatione cum altero sexu semper observas religiosam gravitatem? an abest omnis animi levitas, jocus, cachinnus, sermo scurrilis aut mollis? — *Multae amicitiae spiritu coeperunt, et carne desierunt.*

Annon es familiarior cum tua ancilla? cum illa mensae non assides vel in eodem versaris conclavi, vel ad dedicationes aut nundinas vadis? — „Ancillas suas nunquam secum ad convivia, „nundinas, peregrinationes deducant, multo minus solas in itinere comites habeant.“ (Syn. TREVIR. an. 1678.) — „Caveant „summopere, ne cohabitent (cum ancillis) in eadem contiguatione, nec ejusmodi personas commensales sibi adsocient, „multo autem minus una cum iis huc vel illuc curru vehi praesumant.“ (Compen. Constitut. eccles. RATISB.)

An contra synodorum statuta et Superiorum ordinationes non habes ancillam juniorem, cultu elegantiore, vanam, garrulam, dominatricem, petulantem aut non optimaе famae? — Vetat S. Synod. TRIDENT. gravibus poenis „domi habere mulierem, de „qua possit haberi suspicio.“ (Sess. 25. c. 14. de ref.) — „Ut „non crimen modo sed omnis incontinentiae suspicio evitetur in „Clero, id strictissime observandum edicimus, ut nulli Presbyterorum cum quavis muliere cohabitare liceat, praeterquam cum „matre, avia, amita, matertera, sorore, nepte, fratris uxore, „aut alia, quae ad minimum quadragesimum quintum annum „excesserit et quae nunquam suspectae vitae fuerit.“ (Constitut.

et Decreta. RATISB. 1588.) — Nihil frequentius Synodi inculcant. \*)

*Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis.*

(S. HIER. ad Nepot. cleric.)

An ita agis cum ea, quae tibi famulatur, etiam sorore, nepte, matertera etc., ut nunquam oriatur nimia facilitas, quae contemptum et alia mala pariat? An nihil ipsis vel aliis communicas de parochiae administratione, ex quo saepe dissensio in clero, obloquia et scandala in populo oriuntur?

An omne „suspectarum“ mulierum consortium cautissime vitas? — „Suspectarum seminarum familiaritates, servitutes, colloquia velut pestem fugiant.“ (Synod. SALISBURG. an. 1616.) — Concilium TRIDENT. (loco cit.) graves infligit poenas non modo Clericis, qui in *sua domo*, sed etiam qui *extra domum consuetudinem habere audeant cum mulieribus, de quibus possit habere suspicio*. Suspicioni autem locum dare potest non solum antea vitae macula, sed junior quoque aetas, elegantia, forma, procacitas etc. — Nec dicas, tibi sufficere tuam conscientiam, te

\*) Notum omnibus est, antiquos Ecclesiae canones hac in re multo severiores esse hodiernis ordinationibus. Ast quantumvis indulgentes, necdum satis attendi aut debite urgeri solent. *Hinc illae lacrymae*; hinc profecto turpissimi illi lapsus, qui *deifico* sacerdotio notam inaurunt foedissimam, nec raro per malorum omnium summum, per apostasiam a fide, desinunt. Utinam Confessarii saltem officio suo, pro data sibi divinitus potestate, intrepidi fungerentur! utinam omnes servarent, quod Fr. Conradus, Episcopus Constantiens. an. 1767. sapientissime praescripsit: „Confessarii non solum levitates quascunque, quas fornicationum initia esse sapienter non nemo dixit, in Clericis et puellis, illis deservientibus, acriter reprehendant, sed separationis remedium ceu tutissimum mature suadeant et injungant, memores, quod secus, et si in hac re mitius agant, non solum subsequentium graviorum peccatorum, verum etiam prostitutionis, in totum venerabilem Clerum ex paucorum lapsibus, si hi publici fiant, redundantis, gravissimam Deo redditori sunt rationem.“ — Non noverant S. S. Patres crudelem illam mollietiam, quae connivet, ut perimat. S. Basilius M. Archiepiscopus nullo modo tulit, ut Presbyter quidam septuagenarius secum haberet mulierem sibi inservientem, non quod senis lapsum sed scandalum metuebat. „Ejice eam de domo tua,“ scribit ipse, „et viri tibi serviant: ne nomen Dei per vos blasphemetur.“ Nec veritus est, repugnanti poenam perpetuae suspensionis atque excommunicationis minari. (V. in operib. S. Basilii epist. ad Gregor. presbyt.)

parum curare, quid homines oblaterent. Nam *duae res sunt conscientia et fama; conscientia necessaria tibi, fama proximo tuo.* (SENECA.) — *Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* (2. Cor. 8. 21.)

An visitationes non instituis vel periculosas, vel nimis frequentes ex praedilectione erga aliquam personam? — Quodsi charitatem aut pietatem praetexis, audi S. AUGUSTINUM: *Non raro sub praetextu pietatis latet viscus libidinis: experto crede, expertus loquor, vidi cedros Libani turpiter corruiisse, (magnum Ecclesiae Praelatos) de quorum sanctitate non magis, quam de Hieronymi virtute dubitasset.*

*Caveto omnes suspensiones et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita.* (S. HIERONYM. ad Nepot. cleric.)

An interesse audes choreis aut mimorum histrionumque ludis et spectaculis? quod non modo sacri canones severissime quibuscunque clericis, interdiciunt, sed et impius Apostata, Imperator JULIANUS, Idolorum sacrificulis vetitum esse volebat; non enim alia quam religiosa dramata eis spectare permisit, et quibus nullae feminae aderant actrices aut spectatrices. (v. STOLBERG histor. eccles. Tom. XI. §. 85.) — *An pudicitiam ediscet, attonitus in mimos?* (TERTULL. de spectac. n. 25.) — *Scripturis inquam sacris incumbat christianus fidelis, et ibi inveniet condigna fidei spectacula.* (S. CYPRIAN. de spectac.)\*

„Dicas velim: Non possumus vivere sine voluptate, qui  
 „mori cum voluptate debemus? . . . Quae major voluptas quam  
 „fastidium ipsius voluptatis, quam seculi totius contemptus,  
 „quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita

---

\*) Concilium Turonen., sub Carolo Magno celebratum, ita praecipit:  
 „Ab omnibus quaecunque ad aurium et ad oculorum pertinent illecebras,  
 „unde vigor animi emolliri posse credatur, (quod de aliquibus generibus  
 „musicorum aliisque nonnullis rebus sentiri potest) Dei sacerdotes ab-  
 „stinere debent: quia per aurium oculorumque illecebras vitiorum turba  
 „ad animam ingredi solet.“ — Si a molliori musica, quanto magis a sceni-  
 cis ludis et choreis eos abstinere convenit! — *Choreas ducere in sacer-  
 dote horrendum est*, ait Archiepiscopus Trevir. in ordinationibus an.  
 1720. Et S. FRANCISCUS Salesius Sacerdotem, qui tale quid auderet,  
 ipso facto a divinis suspensum esse jussit in suis synod. Constit. part. 3.  
 tit. 4. — *Nemo saltat sobrius, nisi insanus, ajebat Cicero* (orat. pro  
 Muraena c. 8.).

„sufficiens, quam mortis timor nullus? Quod calcas Deos nationum, quod daemonia expellis, quod Deo vivis? Hae voluptates, haec spectacula Christianorum sancta, perpetua, gratuita.“ (TERTULL. de spectacul. in fine.) — Haecce tua sensa, a Sacerdos? Qui praelia Domini praellari debes antesignanus, tu saltatrici assides, aut mimis inhias! — Vah! miles delicatulus, Dux fugitivus.

An ad tuendam castitatem observas, quod etiam poeta ethnicus praecipit?

Eloquar invitus: Teneros ne tange poetas. (Ovid.)

Cantiones et libros de rebus amatoris, lascivis et qualescunque, minus pudice exaratos, *quasi spurcitiā detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.* (Deuter. 7. 26.)

An in tuis aedibus prostat imago vel statua minus honesta?

An donum angelicae puritatis assiduis precibus a Deo flagitas? in tentatione mox ad ipsum fiducialiter recurris? — *Ne sinas Dominus Jesu et sanctissima Virgo Maria.* (Ita S. THOMAS Aquin. contra insultus impudicae mulieris.) — An ad vulnera Salvatoris confugis? *Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Tuta requies in vulneribus Salvatoris.* (S. AUGUST. medit.)

An etiam adversus hostem te obarmas recordatione novissimorum? — *Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.* (Eccli. 7. 40.) — *Momentaneum quod delectat, aeternum quod cruciat.*

An ut propitia sit tibi gratia divina, non alte sed humiliter de te sentis? *Ut castitas detur, humilitas meretur.* (S. BERNARD.)

Quale poenitentiae aut mortificationis genus exercere soles? Si grandiora te terrent, an saltem minora non refugis? — Aut sperasne, absque mortificationis studio castum te servare posse? Nescis Proverbium: (29, 21.) *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem?* Nescis effatum Apostoli: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis?* (GAL. 5. 21.)

S. HILARION carnis tentatione pulsatus „Ego te, inquit, aselle, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam sed paleis: „fame te conficiam et siti, gravi onerabo pondere, per aestuas

„indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites.“  
 (S. Hieronym. in vita S. Hilar. c. 3.) — Ipse gentium Doctor S. PAULUS castigabat corpus suum et in servitutem redigebat, ne forte cum aliis praedicasset, ipse reprobus efficeretur. (1 Cor. 9. 27.) — Ita Sancti; quid tu . . . ?

### Sobrietas.

Quae tua sobrietas in cibo potuque? An in refectioe corporis semper dominaris appetitui tuo? in omnibus servas temperantiam, modestiam et decentiam?

An opipara mensa vel abundantiori potu fomenta praebes impurae libidini, oleum flammae adjiciens? — *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* (Eccli. 19. 2.) *Luxuriosa res vinum.* (Prov. 20. 1.) *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* (Ephes. 3. 18.) *Nunquam ego ebrium castum putabo.* (S. Hieronym. in c. 1. ad Tit.) *Ubi ebrietas, ibi certo certius luxuria est.* (S. Ambros. in ep. ad Eph. c. 5.)

An gulae indulges cum dedecore tui ordinis? mensae lautitias exquiris? de condimentis cibi potusque sermonem frequenter mices? convivia potius appetis, quam declinas? — *Facile contemnitur Clericus, qui saepe vocatus ad prandium, ire non recusat.* (S. Hieron. ep. ad Nepot.)

An etiam publica convivia frequentas, ad quae pro sua pecunia quisque, cujuscunque sit religionis, convenire potest? — *Obscuro, charissime, ut multitudinem hominum et officia et salutationes et convivia veluti quasdam catenas fugias voluptatum.* (Et S. Hieron. Concil. Aquisgran. 816.)

An nomen sacerdotale, deificam professionem tuam, ebrietas sordibus contaminas? *Quanto melior asinus ebrioso est, quanto canis praestantior est! Omnes certe animantes, quae rationis expertes sunt, cum bibunt et comedunt, ultra quam satis est, etiam mille homines cogerent, nunquam biberent: peiores igitur irrationalibus vos estis, qui inebriamini.* (S. Chrysost. hom. 50 in Matth.) O labe! o probrum! O vere miserandum gregem, qui pastorem habet ebriosum! — Quid boni praestabit heluo temulectus, vino aut cerevisia madens?

Annon erubescis, provocare convivas ad aequales haustus, seu ad bibendi certamen, quod canones vocant rem maxime detestan-

*dem*, et Concilium Oecumen. LATERAN. IV. vetuit suspensione ab officio vel beneficio?

An adire praesumis cauponas vel tabernas vel hortos, ubi cerevisia aut vinum prostat vendibile, quantumvis sacri Canones id nullo non tempore gravibus quoque poenis prohibuerint? \*) — Quodsi nulli canones, nulla poena timenda foret; nonne te a popinis retrahere deberet decor et dignitas tuae professionis? Certe id JULIANUS Apostata vel ipsis idolorum sacerdotibus probrosum et minime ferendum ducebat. Extat inter ejus opera epistola ad ARQACIUM, pontificem ethnicum Galatiae, qua vetat, ne, qui sacris inserviunt, in tabernas, bibendi causa, pedem inferant. — Num in publicis cauponis potitantes praeceptum exequemur apostolicum: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros . . . in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate?* — (2 Cor. 6, 3—6.)

An etiam extra cauponas non vacas comessionibus et compo-

---

\*) Voce unanimi synodales canones ac dioecesana statuta, et nova et vetera, cauponarum frequentationem damnant, nec raro tam in Germania quam alibi plectunt subtractione fructuum beneficiorum et ecclesiasticis censuris. (v. Synod. Constant. Salisburg. Trevir. Pragens. Mogunt.) In „Belgio“ etiamnum poenam suspensionis, soli Episcopo reservatae, ipso facto incurrit quivis Clericus, cauponam edendi aut bibendi aut ludendi causa ingrediens. (V. Decretum Archiep. Mechl. an. 1772. et Instr. pro Conf. Dioec. Namur. Tornac. etc.) *Vilescit enim plurimum*, uti ajunt Synodi Constant. et Camerac., *ex ea turpi et indecora consuetudine Ecclesiastici ministerii dignitas*. Jam 53. canon inter eos, qui vocantur apostolici, sic habet: „Si quis Clericus in „caupona cibum capere deprehensus fuerit, a communione excluditor: „excepto tamen eo, qui necessario in itinere in commune divertit hospitium.“ Et Synod. Turonens. sub Carolo Magno: „Servandum presbyteris firmiter statuimus, ne tabernas ingrediantur comedendi bibendi, dive causa. Quod si contra haec statuta facere praesumpserint, canonica decernimus sententia feriendos.“ Nec finis esset, si omnia forent referenda. Quod si quis severiorem credat pristinam disciplinam, putetque mitius nostro aevo agendum; exemplum is habet in S. Alph. de Ligorio, Episcopo S. Agathae Gothorum, qui nostra fere aetate obiit. Existunt hac de re binae illius litterae ad Ducem quempiam, quibus eum rogat vir eximie sanctus, ut per suos satellites solerter inquirat, et si quem Clericum in caupona deprehendat, eum captum S. Agatham deducendum curet, cum ibi sit Vicarius generalis litem instructurus, et punitus carcer.

tationibus, sed consortia intemperantium quorumcumque et male moratorum evitas et declinas? (Statuta SALISBURG. an. 1616.) — An festa tempora praesertim dedicationis Ecclesiae diurnis nocturnisque comessionibus et crapula polluis, ut ad te quoque spectet comminatio Domini: „Maledicam benedictionibus vestris et dis- „pergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum?“ (Malach. 2, 2. 3.)

Sobrietatis causa eam tibi fige legem, ut in prandio et coena edas et bibas quantum non cupiditas sed necessitas postulat; extra haec tempora raro et tunc modice; in caupona vel hospitio nunquam, nisi in itinere.

Vide etiam, utrum bene observes praescriptum ab Ecclesia jejunium et abstinentiam ab esu carniū? An mane jentaculo abstines? vespere modica collatiuncula contentus es? Synodus Prov. SALISBURG. an. 1569. (Constit. 56.) praecipit, ut Clericus, qui jejunia et abstinentiam a carnibus non servat, „omnibus beneficiis „privetur, et in carcere, triduo quidem in hebdomada solo pane „et aqua emacerandus, tanto tempore detineatur, quousque fir- „missimam verae poenitentiae significationem dederit.“

### Modestia et decor clericalis.

„Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam „moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, „sermone aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac „religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis „maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant „venerationem.“ — (TRIDENT. Sess. 22. c. 1. de ref.) — An ita semper compositus es domi et extra — in Ecclesia et per plateas? Examina singula: habitum — gestum — incessum — sermonem — omnes actiones tuas. An nunquam levitas — superbia — iracundia — aut alius minus moderatus affectus ex iis elucet?

S. AMBROSIIUS Clero adscribi hominem amicū recusavit, qui sedulis commendabatur officiis, ideo solum quod ejus gestus et incessus dedeceret. (l. 1 Offic. S. Ambr.)

Annon foede cachinnas, inconsiderate blateras, oculis circumvagaris, petulantius aut arrogantius incedis, cursitas per nundinas et compita? — „Sunt Clerici, qui scurras in conviviis agunt, „qui digni non sunt, ut Clerici appellentur. Sunt curiosi et levi-



„culi, qui in foris, in compitis, in plateis, in vicis obambulant  
 „vagus oculis, effreni lingua, petulante fluidoque incessu, quos  
 „aversamur.“ (Synod. COLON. an. 1536.) *Tu autem, o homo  
 Dei, haec fuge.* (1 Tim. 6. 21.)

An nihil scurriliter, nihil intemperanter, nihil indecore, nihil  
 turpiter loqueris? Absuntne a tuo sermone maledicta, juramenta,  
 stultiloquium, irrisiones, assentationes et nugae, quae ad rem  
 non pertinent? — *Inter seculares nugae, nugae sunt, in ore sacer-*  
*dotis blasphemiae. Consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam*  
*aperire illicitum, assuescere sacrilegium est.* (S. BERNARD. de  
 consid. l. 2. c. 13.) — Imprimis vide, utrum res aut personas Deo  
 sacras pro ridiculo habueris; utrum verba et sententias sacrae  
 Scripturae detorseris ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes,  
 detractationes etc. S. Concilium TRID. vocat hujus generis homines  
*temeratores et violatores verbi Dei, eosque juris et arbitrii poe-*  
*nis per Episcopos coërceri mandat.* (Sess. 4.)

An vitas rusticitatem et inurbanitatem? Christiana urbanitas  
 mirifice conciliat auctoritatem et fiduciam, oritur ex humilitate et  
 charitate. — *Honore invicem praevinentes.* (Rom. 12.)

Annon ita comam nutris aut componis, ut secularem vanita-  
 tem imitari videaris? — Synodus OSNABRUG. an. 1628. monet  
 Clericos, ut comam gerant, „planam non reflexam, nec calamistra-  
 „tam aut in concinnos compositam, aut instar setarum elatam.“

Estne etiam conspicua in vertice tonsura, quam Synodi passim  
 vocant *Insigne ordinis clericalis, Decus regale, ecclesiasticum  
 Diadema, et quam ex Apostolica traditione manasse perhibet*  
 Catech. roman. P. 2. c. 7. q. 14. — Synodus PRAGENS. an. 1605.  
 vult, ut tonsura sacerdotis non sit minor forma *Taleri*. Catechis-  
 mus rom. notat, „sic ejus orbis formam latiore circumscribi de-  
 „bere, ut quisque in altiori ordinis gradu collocatur.“ (loc. cit.)

An juxta Concillorum statuta et constitutiones tuae dioecesis  
 „vestes proprio congruentes ordini semper defers, ut per decen-  
 „tiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam osten-  
 „das?“ (TRIDENT. Sess. 14. c. 6. de ref.) Concilii Tridentini  
 verba optime interpretatur Synodus TREVIRENS. an. 1720.: „Om-  
 „nibus et singulis districte praecipiendo mandamus, ut in sacris  
 „constituti per decentiam habitus extrinseci morum honestatem  
 „intrinsicam ostendant, ac in forma vestium, quae mentis indi-

„cium est, regalis sacerdotii dignitatem a filiorum hujus seculi  
 „vanitate distinguant, sed habitum clericalem ordini suo con-  
 „gruentem semper deferant, quem juxta decreta Pontificia *talarem*  
 esse optamus.“ — Nam „qui nolit se, ait **BENED. XIV.**  
 (Synod. dioec. l. 11. c. 8.) sacrorum canonum prorsus imperitum  
 ostendere, fateri cogitur, nullam aliam, nisi *talarem*, esse  
 vestem Clericorum propriam, eorumque statui maxime convenien-  
 tem.“ — Estne saltem vestis tua talari non adeo dissimilis, Clerico  
 digna, non redolens levitatem seculi? \*)

\*) „Tanta hodie aliquorum“ (utinam non jam plurimorum!) „inolevit  
 „temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et hono-  
 „rem clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice laicales,  
 „pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus.“  
 (Trid. loc. cit.) — Unde omnibus fere seculis ea nonnullorum propensio  
 abjiciendi aut certe dissimulandi clericalem habitum et tonsuram, cum  
 tamen nemo miles erubescat, militarem vestem vel insigne gerere? An-  
 non exinde, quia sic liberius conformare se possunt huic seculo ejusque  
 luxum, ludos et ineptias consecrari? Pudet enim eos haud immerito  
 talari veste indutos, corona conspicuos, frequentare popinas, theatra,  
 nundinas, choreas etc., venari, negotiari etc. — *Solent quidem dicere:*  
*num de vestibus cura est Deo et non magis de moribus? At forma haec*  
*vestium deformitatis mentium et morum indicium est.* (S. Bernard. de  
 consid. l. 3. c. 5.) — Quare cum habitus, etsi non facit Monachum, miri-  
 fice tamen conferat ad clericalem vitae honestatem: ab antiquissima jam  
 aetate omnes fere synodi Ecclesiae tum orientalis tum occidentalis  
 vestem *clericalem*, puta, qua clericus a ceteris dignoscitur, geri jusse-  
 runt, adjectis etiam in delinquentes poenis. Ac de oriente quidem testis  
 est synodus Trullana anni 688, quae legem prius existentem innovans,  
 monet, „ne ullus eorum, qui in Cleri catalogum relati sunt, vestem sibi  
 „non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingre-  
 „diens, sed utatur vestibus, quae iis, qui in Clerum relati sunt, attri-  
 „butae fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segreget-  
 „tur.“ De Occidente vero testatur Concilium et *Germanicum*, S. Boni-  
 facii auctoritate, et *Romanum*, a Zacharia Papa eodem anno 743  
 celebratum, quae ambo presbyteris et diaconis seculare indumentum in-  
 terdixere, et *tunicam sacerdotalem* geri mandarunt. „De posteriori-  
 bus vero seculis, ait Benedict. XIV. (de Synod. dioec. l. 11. c. 8.)  
 res certissima est, nullique obnoxia dubitationi; cum innumeri occur-  
 rant Conciliorum Canones vestem *talarem* Clericis praescribentem.“ —  
 Dicant vero nobis, qui hujusmodi disciplinam despiciunt, cur adeo un-  
 nimiter, et saepe tam gravibus poenis, eam Ecclesia, in omnibus suis  
 decretis summo opere veneranda, commendavit. Certe synodus Mogunt.  
 an. 1261. subtractione officii vel beneficii ad tonsuram gerendam compu-  
 lit. Synodus Colon. an. 1337. etiam sub poena excommunicationis et

An illud quoque, in vestitu tuo servas, „ut quemadmodum nihil vanum, curiosum aut nimis pretiosum et exquisitum sit, ita nihil sordidum, lacerum, et nimis abjectum appareat?“ (Synod. AUGUST. an. 1610.)

An et aedes tuae ordinem et munditiam prae se ferunt, quae ad aedificationem confert? An „imagines ibidem habes non profanas, sed quae pietatis et religionis argumentum et adjumentum praebent?“ (S. CAROL. BORROM. in Concilio. Med. IV.)

An medendi artem exerces modo, qui Clerum dedecet? — *omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.* (1 Cor. 10. 23.)

An publice arma geris? an cum iis streptosos conventus adis, t praemii causa ad metam explodas? — „Bombardas et sclopetas, dum itinerantur, non portent, aut ephippiis appendant.“ (Synod. REVIRENS. an. 1678.) — „Clericorum arma sunt orationes et lacrymae, quibus si recte se munierint, nihil in mundo est, quod timere debeant.“ (Synod. PRAG. an. 1605.)

An abstines ab illicitis venationibus et aucupiiis? (TRIDENT. s. f. c. 12. de reform.) — „Illas venationes et sylvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdicimus.“ (Concil. Germanic. sub S. BONIFACIO an. 742.) — „Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem. (S. Hieron. in Psalm. 90.)

### Bonus usus temporis.

a) Si de *omni verbo otioso* ratio reddenda est (Matth. 12, 36.); quid erit de tot annis ac horis vitae tuae? — Discute ergo singulas iei horas; vide utrum non plus aequo somno, ludo, jocis, recreationibus et confabulationibus vaces; — utrum non tempus

---

privationis beneficii genus quoddam secularis indumenti Clericis interixit. Ast sufficiat nobis auctoritas Concilii Trident., quod legem hanc non dubitavit, ut „omnes ecclesiastici, qui honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti, denno in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujus modi coerceri possint et debeant (Sess. 14. c. 6. de ref.).“ — *Ad eos sapientes facti sumus nos, ut quae ab omni aevo sanctissime decretant, hodie inter quisquilias rejicienda videantur?*

conteras nihil agendo — aliud agendo — aut male agendo? — *Utinam sapires et intelligeres et novissima prudenter provides!* (S. BERNARD. medit. c. 17.)

An recreationes vel computationes pomeridianas in seram etiam noctem producis, unde ingens jactura temporis, extinctio devotionis, inertia ad omne bonum, neglectio tui muneris, scandalum parochianorum, murmur et indignatio domesticorum? — *Aestimasse lusum esse vitam tuam?* (Sap. 15. 12.)

„Unusquisque Clericus illum ad se repetere debet, se non ad inertiam et ignaviam, sed ad spirituales et ecclesiasticas militiae labores vocatum esse.“ (S. CAROL. BORROM. in conc. Mediol. IV.)

An nunquam non facis aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum? (S. HIERON. ep. ad Rustic.) — *Otiositas mater nugarum, noverca virtutum.* (S. BERNARD. de consid. l. 2. c. 13.)

An lusibus, Clero vetitis, te oblectaris? \*) Aut si licitis et ho-

\*) Inter ludos clero vetitos sacri canones recensent omnem ludum aleatorium, sive ludum, qui a casu non ab arte et industria pendet. Prohibent autem Canones, ait Benedictus XIV. (de synod. dioec. l. 11. c. 10.) ob eandem rationem, propter quam illum damnarunt Cor. Tacitus (de morib. German. c. 24.) et An. Marcellinus (lib. 14. c. 19 et lib. 28. c. 22.), quia nimirum per illum homines ad iram, fraudes, mendacia, perjuriam, furta aliaque enormia scelera (maledicta et blasphemias et sacrilegia) inclinantur. Jam canon apostolicus 41. ita habet: „Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui vel aleae vel ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitor.“ Concilium vero oecumen. Lateran. IV. (cap. 15. de vita et honest. Cleric.) praescribit Clericis, „ad aleas et taxillos ne ludant nec hujusmodi ludis intersint.“ Constat autem Concilium Trident. statuisset, „ut quae alias a summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita et honestate retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscunque criminibus fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerint, eadem in posterum iisdem poenis vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur.“ (Sess. 22. de ref. c. 1.) — Neque negari potest, posteriores synodos etiam chartas sive folia picta, ceu lusum aleatorum, proscripsisse. Ita synodus Prov. Salisburg. an. 1569.: „Nos S. Tridentini Concilii canones atque statuta provincialia et synodalia sequentes, volumus, ne Clerici, in majoribus ordinibus constituti, ad aleas, taxillos vel chartas, neque etiam in privato, lucri gratia, in pecunias ludant.“ — Synodus Prag. an. 1600.: „Taxillis, aleisque

nestis; an eis non alio modo uteris, quam ad instar *salis? parum autem de sale sufficit in cibo.* (S. THOM. AQUIN.)

An nunquam ludis ex vitioso affectu, aut ductus sordidi lucri cupiditate? aut animo dissoluto, gestu et sermone immodesto? — Anne cum laicis ludis, vel in conspectu laicorum, qui tuam auctoritatem ideo vilipendent? Monet S. THOMAS AQUIN. (2. 2. 9. 168 a. 2.), ut, etiamsi honesta sit recreatio, non tamen animus omnino dissolvatur, et *sicut in omnibus aliis humanis actionibus recreatio congruat personae, tempori et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinetur.* Quare variae synodi decreverunt, ne Clerici ullo modo ludant in locis *publicis*, aut in domibus, quo ad id multitudo hominum convenit; nec *pecunia*, aut certe non notabilis, intercedat.

b) Amasne sacrarum literarum *studia*, ut, quod tibi ab oratione et necessariis occupationibus tempus superest, libenter eis impendas? — Si studia non amas, amabis societates, cursitationes, otia, lusum, convivia, nugas, voluptates etc., et ita in profundum malorum rues. „Ama studium scripturarum et carnis, vitia non amabis. (S. HIERON. ad Ruffin.)

An, ut monet S. CAROLUS BORROM., „quotidie aliquid legis ex „S. S. *Bibliis*, ac, si per ecclesiasticas occupationes licet, aliquid „item ex S. S. Patrum opusculis?“ — *Tu quidem divinas saepius scripturas lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio depouatur.* (S. HIERON. ad Nepot. cler.) *Tenenti codicem somnus obrepit, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat.* (Id. ad Eustach.)

An frequenter repetis Theologiam *moralem* et *dogmaticam*, ne tractu temporis et continuis occupationibus ipsa theologiae principia excidant memoria? \*) — *Ignorantia in sacerdotibus mater est*

„ac chartis lusoriis tesserisque atque omni alio ejusmodi ludi genere abstineant. Nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse „volumus, nec quemquam ludentem in aedibus suis permittere.“ — Constitutiones et Decreta Ratisbon. an. 1588.: „Aleis aut foliis pictis „aliove ejusmodi ludi genere, ne unquam ludant ipsi, sed neque etiam „ludentes spectent.“ Idem vetatur in synodo Ratisb. an. 1512. Atque etiam alibi aliae Synodi idem decrevere: ex. gr. Burdigal. an. 1583. Aquens. an. 1585, Narbonen. an. 1607. (v. Collect. Concil. Harduini.)

\*) Liceat hic verba viri non minus sancti quam docti, S. Alphonsi de Ligor. (Theol. moral. lib. 6. Tract. 4. cap. 2. dub. 6.) referre: „Non

*omnium errorum, qui in Ecclesia Dei oriuntur.* (Concil. TOLET. IV.) — *Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* (Malach. 2.)

An etiam studio theologiae *polemicas* non desinis acere tela in hostes Ecclesiae, qui continuo blasphemant, quod ignorant?

Annon plane rudis es in scientia sanctorum sive scientia *ascetica*?

An *statuta* dioecesis tuae ita memoriter tenes, ut ea, ubi opus est, ad praxin deducere memineris?

Putasne forsitan, quia, examine peracto, tibi jam parochia commissa est, non amplius tibi studiis incumbendum esse? — Ergo dum Ecclesiae hostes nihil non molliuntur, et infinitis libellis impietatis venenum disseminant; tu ignavo otio stertere non erubesces? Nihil igitur lucri pro tot tibi creditis talentis referes Creditori? Nescis, *inutilem servum ejiciendum esse in tenebras exteriores*? — Imo tota vita tibi studendum est, quia „tam doctrina „quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor; nam doctrina sine „vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. (Conc. AQUISGR. anni 836. can. 2.)

Studesne primum *necessariis*, dein *utilibus*, reservans *curiosa*, licet honesta, in recreationis tempus?

---

„facile sibi suadeant (Confessarii), quod satis idoneos ad tantum munus „se reddere possint sine *diuturno studio scientiae moralis*: pro qua „certe non satis est generalia principia hujus facultatis scire, ut qui- „dam qui, Casuistas contemnentes, Literatorum sibi arrogant nomen, „antumant. Moralisis enim scientia non solum valde necessaria est Chri- „stianae Reipublicae, cum ex ea dependeat bonum regimen animarum, „sed etiam est summopere difficilis; tum quia ipsa generalem notitiam „requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum, et artium; tum quia „tot diversas complectitur materias inter se dissitas; tum quia magna „parte constat tot legibus positivis, quae non nisi apud Casuistas allatae „inveniuntur; demum difficillima evadit propter innumeras casuum cir- „cumstantias, ex quibus resolutionum pendet variatio: nam ex circum- „stantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia: et in hoc dif- „ficultas consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione, vel „plurium accurata lectione librorum, qui res examinant et dilucidant.“ — Quot tamen inveniuntur, qui, morali Theologia vix summis labris degustata, *tremendum Dei judicium* tota vita exercent, nec amplius cogitant de comparanda sibi idonea doctrina, et ita innumerabiles animas ignorantia sua perdunt!

avaritia hujusmodi pia opera inter tuos adeo non promotes, ut potius impedias!

Quinam thesaurizas? Tuisne haeredibus? Tuisne cognatis? „S. Synod. (TRID. sess. 25. c. 1. de ref.) omnino interdicit, ne „ex redivitibus Ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere „studeant.“ Quod in condendis *Testamentis* quam maxime attendendum.

An, ut quaestum facias, exerces per te vel per alium mercaturam sive negotiationem vel vectigalium defraudationem vel iniquam usuram, aut quod pauperibus erogare deberes in ludum aleatorium (*Lotto*) temere expendis? — *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli.* (1. Tim. 6, 9.)

An nullam committis fraudem in administrandis Ecclesiae bonis? — Annon injustus aut nimis tenax es erga vicarios et cooperatores tuos? — „Parochi vicarios suos et alios ecclesiasticos ministros ita tractent; ut nulla sit de habitatione, victu et amictu „querela justa.“ (Synod. SEDUNENS. an 1626.)

An *simoniae* crimen et poenam incurris vel illicita pactione, vel muneris acceptione seu sponstone, vel alia qualicunque ratione? — An taxam pro sacris functionibus propria auctoritate mutas vel auges? — An illicitum quaestum facis cum Missarum stipendiis? Credisne te excusatum, quia sacerdoti, Missam celebranti et consentienti, te majoris pretii stipendium accepisse indicas? (v. epist. encycl. Bened. XIV. 30. Jun. 1741.) An plura stipendia acceptas, quam Missas congruo tempore dicere potes?

An parochias ex nummis ponderas, et iteratis importunisque postulationibus, ex habendi desiderio, mutationem tuam petis? quod saepe superioribus oneri est et dolori, externis autem et subditis scandalo.

Annon cupidi illi sollicitatores praeter quaestum nihil aliud in sacerdotio spectare videntur? annon tales sunt, quos Salvator noster (Joan. 10, 13.) *mercenarios* appellat, quorum turpitudine efficit, ut ipsi nihil amplius ex sacerdotio consequantur, quam Judas ex Apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit? (Catech. roman. P. 2. c. 7. q. 4.) Optimo igitur jure decrevit S. CAROLUS BORROM. in conc. Mediol. IV., ut „qui Beneficium Ecclesiasticum vacans multis et ambitiosis precibus „per se vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut

„per biennium in eum neque illud neque aliud Beneficium conferri possit.“

An ut ditescas, beneficia tibi cumulare studes? — An senio confectus, et oneri ferendo impar, parochiam cum ingenti animarum jactura ex avaritia retines? neque vicarium tibi substitui, aut coadjutorem tibi dari postulas, ne reditus tibi minuantur? — *Omnia vitia senescunt, senescens homine, sola avaritia non senescit.* (S. Gregor. M. moral. l. 15. c. 11.)

### 3. Humilitas.

*Quid aliud est superbia, quam amor propriae excellentiae? Unde et nos possumus dicere per contrarium, humilitatem propriae excellentiae esse contentum.* (S. BERNARD. de grad. humil. c. 4.) Ex hoc discite, utrum vere humilis sis, an superbus et solum humilis videri velis. *Gloriosa res humilitas, quae ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat!* (Ibid. c. 16.)

*Difficile in se quisque inveteratam superbiam apprehendit: quia nimirum hoc vitium quanto magis patimur, tanto minus videmus.* (S. GREG. M. moral. l. 24.) Acri ergo attentione te examina. Noli, frater, tuum tibi ulcus dissimulare; est enim plaga pessima atque vel maxime exitiosa. Nam superbia *vitiorum regina ac evidentissimum reproborum signum sicut humilitas electorum.* (S. GREG. M.) — *Superbia nota civitatis diaboli.* (S. AUGUST.) — *Nullum est vitium aliud, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque justitia et sanctitate hominem spoliaret ac denudet, ut superbiae malum.* (J. CASSIAN. in collat.)

An coram Deo te annihilans, eum summa veneratione adoras — in adversis pariter ac in prosperis glorificas — praeter tenebras et peccatum nihil tibi tribuis — sed universa bona ad Deum sincero corde refers? — *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritum, et trementem sermones meos?* (Is. 66, 2.)

Annon vane tibi *complaces* de tua industria, pietate, de successu vel hominum aestimatione? — An in ipsis functionibus sacris non avide inanes plausus captas, et vehementius de tua, quam de divina gloria sollicitus es? — Annon vana tui opinione tumescis, et alios prae te aspernaris ac negligis? — *Cum feceritis omnia*



*quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* (Luc. 17, 10.)

Annon mox dejecti et pusilli fis animi, si quando res ex voto non fluant, si minus collauderis, alii contra majoris fieri videantur?

Visne in sacro ministerio successum habere, audi competentem Judicem, S. Franc. XAVER.: (epist. ad P. Barzaeum)  
 „Ne dubites, quin, perseverans longanimiter in sancto exercitio  
 „humilitatis et notitiae intimae defectuum tuorum, cumulat  
 „successibus in procuratione salutis alienae fortunandus sis,  
 „atque usu experturus, quod reipsa verissimum non omnes in-  
 „telligunt, in una demum sincera *sui despicientia* totam spem  
 „sitam esse veri et magni fructus ab Evangelico praecone refe-  
 „rendi.“

Anne arroganter de te *praesumis*? temere iudicas, damnas, insolenter te obrudis? reordinas ordinata, reficis facta, acsi quidquid ipse non feceris aut ordinaveris, nec recte factum, nec pulchre foret ordinatum? — An quae scis aut facis putide ostentas, tuarum rerum fastuosus praedicator, alienarum irrisor et vituperator? — An demum tu solus *magister in Israël* tua contentione ac pertinacia intolerabilem te reddis, nemini cedens, neminem consulens, a nemine dedoceri aut redargui te ferens? — *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* (S. BERN. ep. 87.) — *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebit.* (Eccli. 32, 24.)

Annon inde, quod altius supercilium geris, neque submissius ac tractabilius agis, evenit, ut animi tibi sint aversi, ut nemo parochianorum te velut *patrem* adeat, velut *patrem* diligat? annon inde oriuntur contentiones et luctuosa dissidia inter clerum et magistratum, inter clerum et populum, quae facile vitari potuissent? — Memineris, te personam illius gerere, *qui non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret.* (Marc. 10, 45.)

An ad majora te idoneum arbitrans, fastidis munia minus speciosa? splendoras cathedras, titulos et dignitates somnas? indignaris quod non promovearis? nec vereris, alienis intercessionibus, assentationis artificio ac simulandi studio gratiam accipari? — *O ambitio, ambitio, quomodo omnes torquens omnibus placeas!* (S. BERN. de consid. l. 3. c. 1.)

Qui altius ascendere cupiunt, plerumque in sublimiori gradu se multa magnaque bona operaturos sperant. Ast recte monet S. GREGOR. M. (reg. past. P. 1. c. 9.): *Saepe sibi de se mens ipsa mentitur et fingit, se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat. . . . Inter haec itaque, quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat.*

An nunquam, ut humanum favorem tibi concilies, officii tui partes negligis? Annon, ut cavillationes ac vituperia fugias, v. g. ne *devotulus* aut *scrupulosus* vociteris, te seculi moribus conformas, vel etiam sociorum licentiori vivendi generi? — *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* (Galat. 1, 10.)

### III. Qualis ratione Proximi?

Diligenter etiam ea, quae hic sequuntur, considera, ut videas, quantum absis 1) ab humilli obedientia erga Superiores, 2) a genuina charitate erga aequales sive Confratres, 3) ab evangelica suavitate ac mansuetudine erga Subditos, tum domesticos tum parochianos, denique ab illa vitae sanctitate, qua nulli non prae-lucere debes. Inspicias et defleas, confundaris et erubescas, atque meliora cum divina gratia tibi proponas.

#### 1. Erga Superiores.

*Obedite praepositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis.* (Hebr. 13, 17.)

An debita veneratione ac submissione decisiones ordinationesque acceptas non solius *Summi Pontificis*, sed etiam, ut par est, eorum qui ab eo auctoritatem acceperunt, quales sunt S. Poenitentiarum, Romanae sedis Legati, Congregatio S. Conc. Trid. Interpretum — S. Inquisitionis — S. S. Rituum etc.?

An praestas *Episcopo* tuo reverentiam et obedientiam, quam in ordinatione tua solemniter promisisti? — An contentus es officio, gradu et loco, quae tibi ab eo assignata sunt? An observas

religiose statuta et constitutiones dioecesanæ? An libenter Episcopum adis, consulis, ejusque directioni ex animo acquiescis? — *Sic multorum hodie pusillanimitas et perversitas exigit, ut ab eis quaeri oporteat: quid vis, ut faciam tibi? non ipsi quaerant; Domine, quid me vis facere?* (S. BERN. serm. 1. in conv. S. Pauli.) — *Episcopum sequimini, sicut Jesus Christus Patrem; terribile est enim, tali contradicere.* (S. IGNAT. mart. ep. ad Magnes.)

An etiam omnibus, qui ab Episcopo auctoritatem habent, reverenter te submittis, scilicet Vicario gener., Decano, Capitulo, Parocho tuo etc.? sine qua submissione rectus ordo nullatenus servari potest. — Recordare quæ secundum statuta vel consuetudinem tuæ dioecesis promisisti fors etiam sub juramento.

An omnibus tuis Superioribus obedis non solum exteriori actu sed in spiritu fidei, et quemadmodum S. PAULUS, ad Ephesios (c. 6.) scribens, etiam dominis carnalibus obtemperandum esse docet, nimirum in *simplicitate cordis* tui sicut *Christo*, non ad *oculum* serviens, quasi hominibus placens, sed ut servus Christi, *faciens voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate?* — *Qui involiti et dissentientes, actu tamen jussa praesidium exsequuntur, inter vilissima mancipia sunt numerandi.* (S. IGNAT. scintil.)

Quid securius in vita, quid jucundius in morte, quam in *simplicitate cordis* Superioribus semper obedivisse, sicut *Christo?*

An nullam in corde foves aversionem erga Superiores? An eorum dicta et facta cum gravis peccati periculo non examinas, dijudicas, carpis et in malam partem interpretaris? an si corripis, aut si quod exoptas non obtines, omne murmur in corde compescis, et divinae Providentiae te committens, jussa Superiorum cum debita submissione voluntatis et judicii exequeris? Annon aegre fers, si Decanus et Parochus tibi invigilent, teque moneant, atque etiam justas de te querelas ad Ordinarium deferant?

An unus illorum es, quibus nunquam satis fieri potest, quibus nec victus sapit, nec lectus, nec habitatio, nec officium etc., homo querulus, tetricus, turbulentus, Superioribus intolerabilis?

An etiam ubi laesus a Superiore, tuaque jura defendere tibi videris; semper debitam illi reverentiam observas, nunquam acu-

leatis verbis uteris, nunquam ex sinistro animi affectu tricas et molestias moves?

Annon libenter Superiori contradicis, eumque superbe redarguere audes? — Servasne regulam Juris, ut in *dubio*, utrum res praecepta sit licita nec ne, sequaris non tuam sed Superioris sententiam?

Annon immisces te rebus, quae ad Praesidium administrationem pertinent, et quae minime te occupare debent? An tuo agendi vel loquendi modo parochia non scinditur in partes, ita, ut audiat illud: *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephas?* (1. Cor. 1.) — E contra an stas et sentis, quoad fas est, cum Parocho vel Superiore tuo, illiusque causam tueris?

An absque licentia Ordinarii audes exorcismos adhibere?

An ad conferentiam vel synodum capitularem vocatus, ire non recusas? an, quae in ea acta vel dicta sunt, temere non divulgas?

An quietis amore vel humilitatis praetextu pertinaciter refugis pondus regiminis, ad quod Superioris nutu vocaris? — Ejusmodi *humilitas*, ait S. GREGOR. M., *tunc ante Dei oculos vera est, cum ad respondendum hoc, quod utiliter subire praecipitur, pertinax non est.* (Reg. Past. P. 1. c. 6.)

An populo etiam praeis debita observantia erga magistratum civilem, atque in omnibus, quae ad illius forum pertinent, religiose te submittis? — *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* (Rom. 13, 2.) — An in maximum bonum parochiae omnes tentas vias, ut concordia inter te et magistratus loci, item inter hos et populum existat?

### 3. Erga Aequales.

An cum Clero *seculari et regulari* sollicitus es *servare unitatem spiritus in vinculo pacis?* (Eph. 4, 3.)

Annon omnes nos, Seculares et Regulares, *unum corpus sumus in Christo? Annon posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit? Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii.* (1 Cor. 12, 18—25.) — „Charitas exigit, „ut Confratres tanquam membra de membro mutuo se foveant „in Christo, mutuo amplectantur, sibi que opitulentur: ut sit „*Eclesiasticorum cor unum et anima una, sicut est omnium*

„Sponsa, una Christi Ecclesia.“ (Synod. SŁDUM. an. 1636.)  
Siccine sentis et agis?

An sedulo caves ab omnibus, quae pacem ac unionem inter te et confratres tuos turbare queant? *Dominus detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias.* (Prov. 6, 16. et 19.) Attentius igitur per singula conscientiam tuam discute, nam facile fit, ut alius in alium dissidii causam rejiciat.

An in parochia *concorditer cum collegiis*, secundum sanam doctrinam et praxim, ab Ordinario approbatam, tua munia peragis? an contra separatim ab illis, juxta propria sensa laboras? — An observas Apostoli mandatum (Philip. 2, 2—4.): *Idem sapientis, eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes, non quas sua sunt singuli considerantes, sed ea, quae aliorum?*

An te non immisces rebus alterius parochiae, aut exosam criticam non exerces, quia alter multa ex vero zelo facit, quae tu ex ignavia non facis? — *Charitas non aemulatur, non inflatur, non est ambitiosa.* (1 Cor. 13.)

An *invidiola* non menti insidet, qua fit, ut erga fratrem minus comis et hilaris sis, ut de ejus successu doleas atque angaris, illius acta et dicta sinistre interpreteris, culpam, si quam habet, exaggeres, ac facile rixas et jurgia moveas? — Infelix invidia, qua homo non solum suis malis, sed etiam alienis bonis torquetur!

Annon aequo tenacior es tum in juribus tuis persequendis, tum in honore tuo vindicando? Annon facile offenderis; difficile placaris? — *Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.* (Prov. 28, 22.) — Annon contentiosus es atque immemor verbi ad Timoth. (2 ep. 2, 23.) *Stultus et sine disciplina quaestiones devota: sciens quia generant lites?*

An a detractioe parvis linguae tuae? — Anne si audisti verbum adversus proximum tuum, commoritur in te, fidens quoniam non te disrumpet? (Eccli. 19, 10.) — An contra procax es et *inconsideratus ad loquendum* etiam coram secularibus? quo saepe evenit, ut bona sacerdotum fama et populi in illis fiducia diminuat cum maximo animarum damno et gravis proprii peccati periculo.

Hae in re facillime nonnulli, etiam altoquin viri probi, se ipsi decipiunt, dum detrahentes culpa se vacare censent, nec

*sibi* theologiae principia de detractone famaeque restitutione applicant. — Utinam attendamus ad Spiritus sancti monitum: *Fili mi, cum detractoribus ne commiscearis: quoniam repente consurget perditio eorum: et ruinam utriusque* (dicentis et audientis) *quis novit?* (Prov. 24, 21, 22.)

An *collaboratores* tuos in vinea Domini modo despotico tractas nec habita ratione sacerdotalis dignitatis? An onus imponis iniquum et importabile? asperioribus verbis alloqueris? ex pravo animi affectu suspiciones foves? domesticorum de iis querelas et criminationes temere credis, in illorumque praesentia eos reprehendis et increpas? — Monet Seniores S. PRAEVS, (1 ep. 5. 3.) ut non sint *dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo*. — An vero, quod non minus perniciosum, cooperatorum mores nihil curas, non invigilas, fraternam non adhibes correctionem? quin etiam iis auctor es, ut pia exercitia, meditationem, brevissimi recitationem omittant, frequentent vero lusum, computationes, spectacula? Hac igitur disciplina senior juniolem instruis? Heu, quanta colluvies malorum ex hoc fonte in Clerum profluxit ac etiamnum profluit!

Ratione *familiaris tuae consuetudinis*, servasne quod S. CAROLUS BORROM. Clericis optime praecipit: „Proborum hominum „tantum, praecipue Sacerdotum vitae spiritualis laude praestantum, familiaritate utamini, ex quorum consuetudine fructus capiat.“ (Conc. IV. Mediol. P. 3.) — *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur.* (Prov. 13, 20.)

### 3. Erga Inferiores.

An ad exemplum divini Salvatoris omnibus te suavem, benignum et amabilem exhibes? Studesne charitate vere apostolica ad infimae etiam conditionis homines te dimittere, et omni qua potes ope juvare, solari, mulcere, denique cum S. PAULO *omnibus omnia* fieri, ut *omnes facias salvos?* (1 Cor. 9, 23.)

Annon ex consuetudine docendi atque regendi contraxisti *imperiosam* aliquam arrogantiam et animi durtiem, ut nescias compati humanae infirmitati, et jussa minasque adhibeas, ubi multo plus proficeres consilio atque exhortatione? Annon exinde fit, ut *multi* te vereantur, pauci te ament? — Quantum aliter S. PAULUS,

qui de se testatur: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.* (1. Thess. 1, 7.) *Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quam melui; et si interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica.* (S. BERN. serm. 23. in cant.)

An propter ingruentem negotiorum molem aut propter infirmam valetudinem crebrasve adversariorum tricas non incidis in *morositatem et impatientiam*, ut fias adeuntibus te stomachosus, austerus ac difficilis? — *Imago quaedam Divinitatis est operari bonum cum animi pace, sine perturbatione, cum amore.* (V. DE PONTE S. J. in Enchir.)

An pronus es ad *iram*? an in iracundia non insolenter exandescis, tollis clamores, profers inconsiderate verba imo convitia et maledicta etiam coram laicis? — *Quemadmodum commoto coeno, foetor effunditur; sic animo ira permoto, multa orietur turpitudine et vitiorum graveolentia.* (S. CHRYSOST. hom. 48. in Joan.)

Quodsi homines rudes aut tibi infensi te injuria afficiunt, si vexant, calumniantur ac persequuntur; an ex animo condonas, misereris, pro iis Deum oras, nec aliam exerces vindictam quam coelestem? nam *inimicum diligere*, ait S. PAULIN., *vindicta coelestis est.* — Cavesne praesertim, ne verbis lacesitus duriora verba rependas? num potius studes molli responsione iram frangere, memor proverbii S. Scripturae: (Prov. 15. 1.) *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furorem?*

Quomodo te geris erga pauperes aliasve *miserabiles* personas? Amasne illos affectu vere paterno? an vilipendis? ane ob rusticitatem ac importunitatem fugis et aversaris? — *Hi sunt thesauri Ecclesiae*, aiebat S. LAURENTIUS. *Et verè thesauri, in quibus Christus est*, subjungit S. AMBROS. *Sic enim scriptum est: Quod uni horum fecistis, mihi fecistis?* (Lib. 1. officiorum c. 41.)

Quomodo te geris erga tuos *domesticos*? Annon aut acerbior aut familiarior es? — Acerbitas odibilem, familiaritas contemtibilem reddit. — An pro viribus invigilas, ne domestici potui aut lusu dediti sint, ne juramenta vel turpiloquia proferant, ne cum pravis sociis vel dispari sexu amicitiam habeant, aut noctu foris vagentur? *Non oportet, ut vitia domus tuae ultimus scias: quod quam plurimis novimus contigisse.* (S. BERN. de consid. l. 4. c. 5.) — An, ut par est, nil omnino pateris in tuis domesticis, quod

indecens, dissolutum aut petulans videatur? nullo modo fers, ut rebus parochiae se immisceant, sacerdotum te inventium sermone sese garruli adjungant, vel irreverentes sint erga Vicarios et Cooperatores, qui tecum habitant? Curasne potius, ut exemplo sint modestia, verecundia, pietate ac praesertim frequentatione Sacramentorum et officii divini?

Res haec summi momenti est. *Si quis domui suae praesentem nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?* (1. Tim. 3.) — *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* (1. Tim. 5, 8.) — Nisi quisvis paterfamilias suorum moribus invigilat, atque domesticos aequae ac filios in disciplina et correptione Domini educat (Eph. 6, 4.); profecto tota mox parochia morum licentia depravabitur. Quomodo vero parochus parochianis hanc domesticorum curam inculcabit, si ipsiusmet hac in re negligentia et socordia per omnium ora traducatur?

Considera quoque diligentius, utrum *exemplum sis fidelium* imprimis domesticorum atque parochianorum *in verbo, in conversatione in charitate, in fide, in castitate?* (1. Tim. 4. 12.) — „Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio, dedicarunt: cum enim a rebus seculi in altiore sublati locum, conspiciantur; in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conijciunt ex iisque sumunt, quod imitentur.“ (TRID. sess. 22. c. 1. de ref.) — Estne vita tua sanctimoniae speculum? provocatne mentes ad pietatem et Dei cultum? Efficisne e contra aut exempli pravitatem aut nefaria sceleris sollicitatione, ut prostituatur sacer ordo, blasphemetur religio, ut concidat virtus, exultet libido, pereantque animae, pro quibus Christus mortuus est? — *An vero Salvatori animarum gravior ulla esse potest persecutio? . . . Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt.* (S. BERNARD. serm. 1. in convers. S. Pauli.) — *Vae, vae, sacerdoti illi, per quem scandalum venit! — Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* (Matth. 26, 24.)



## IV. Qualis Pastor?

Parum tibi prodesset vitae integritas prorsus illibata; si *Pastor* constitutus, quae pastoris sunt, negligeres. Vide proinde, utrum sis *bonus pastor*, qui etiam *animam suam dat pro ovibus suis*, (Joan. 10. 11.) non *mercenarius*, non *latro*, non ad instar *Molorum*, qui *pascabant semetipsos, gregem autem non pascabant?* (Ezech. 34.) Disquire attentius, utrum toto corde zeles ovium salutem, easque pascas 1) docendo, 2) S. S. Sacramenta rite administrando, 3) caetera pastoralia munia diligenter obeundo? Ne leviter haec transillas! nam quia plerique pastoris officium adeo negligunt, ut, quale quantumque sit, nec cogitatione quidem perpendant; ideo non veretur S. CHRYSOST. eam tremendam proferre sententiam: *Non temere dico, sed ut affectus sum ac sentio: non arbitror, inter sacerdotes esse multos, qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant.* (Homil. 2. in act. apost.)

### Zelus animarum.

„Omnium divinorum divinissimum est  
„cooperari Deo in salutem animarum.“  
(S. Dionys.)

Nulla certe virtus Pastori magis necessaria, nec ulla tamen rarior est, quam genuinus ac bene ordinatus zelus. — *Mira res! . . . Cadit asina, et est, qui sublevet; perit anima, et nemo est, qui reputet.* (S. BERNARD. de consid. l. 4. c. 6.) — Examina, utrum zelus tuus talis sit, qualem esse oportet.

a) Zelasne *ex corde*, ut non tibi satis sit, dummodo videaris aut dicaris zelosus? Uriturne cor tuum, cum cernis lamentabilem tot animarum interitum? Compaterisne sicut divinus Salvator, qui *videns civitatem flevit super illam?* (Luc. 19, 41.) Tristarisne sicut gentium apostolus, qui de se testatur: *Tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis?* (Rom. 9, 2. et 3.) Orasne saltem instanter pro peccatorum conversione, humilians quoque in jejunio animam tuam, ad exemplum omnium Sanctorum? *Sedi et flevi et luxi diebus nullis, jejunabam et orabam ante faciem Dei coeli.* Ita NEHEMIAS, cum audiret afflictionem populi sui. (2. Esdra. 1.)

An, ut zelum hunc accendas, saepe meditationem instituis de Dei gloria, animarum pretio, de severa Deo reddenda ratione etc.? —

*Quis potest dicere se diligere Deum, qui ejus imaginem videt in sterquilinio jacere, et non curat?* (S. BONAVENT. Phretr. div. amor.) — *Vos estis Presbyteri Dei, et ex vobis perdet anima illorum* (Judith. 8.); anima utique, cujus pretium non exaequat mundus universus, solo Christi sanguine aestimanda. — *Majus opus est ex impio justum facere, quam creare coelum et terram.* (S. AUGUST. Tract. 52. in Joan.) — *Commisa tibi est villicatio gravis, villicationis hujus rationem exactissime requirit terribilis in judiciis suis Deus.* (PETRUS Bless. ep. 132.) — Haec et similia saepius animo perpende. Nemo confidat se genuino zelo animari, nisi homo sit orationis, qui superna meditari solet.

b) Estne zelus tuus purus, alienus a proprio commodo? an zelus non crumenam, non gloriolam, non inanes plausus, sed unice animas? — *Daemon clamat: Da animas, caetera tolle tibi, et quid tu?* (S. CAROL. BORROM.) —

An nulla tibi est acceptio personarum? An curas aequae animas pauperum aut hominum ingratorum, quam divitum aut illorum, qui tibi gratiam et amorem referunt? Dicisne cum S. PAULO: *Ego autem libentissime impendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar?* (2. Cor. 12. 15.)

An, ubi suffragium ferendum est, nunquam spectas tuum vel tuorum commodum, sed unice Ecclesiae ac Patriae emolumentum?

Annon praefers utili speciosum; annon officio graviore eam occupationem, quae magis in oculos hominum incurrit? — Laetarisne de aliorum successu in procuranda animarum salute, licet tu minoris fias? — *Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu Christi.* (Philip. 2, 21.)

*Quam rarus in terris, qui possit dicere, „portio mea Domini“: verus minister altaris, non sibi natus!* (S. AMBR.) Pius LUDOVIC. GRANAT. in sua Rhet. Eccles. monet Evangelii praecones, ut studeant multis lacrymis ac precibus et intimo cordis gemitu intentionis puritatem impetrare tanquam rarum atque eximium divinae Bonitatis donum; quod si fecerint, nec-

dum tamen se putent ab omni labe inanis gloriae aut sui complacentiae immunes.

c) Estne zelus tuus *activus* et ardens, non tamen *impetuosus*?

An *activus*? — Annon unus illorum es, qui nihil curant, quia sibi fingunt, omnia belle procedere, *speculatores caeci, videntes vana, dormientes et amantes somnia*? (Is. 56, 10.) — Ast *leva oculos considerationis tuas, et vide regiones, si non sunt magis siccas ad ignem, quam albas ad messem. Quam multae, quas putaveras fruges, diligenter inspectae, vepres potius apparebunt.* (S. BERNARD. de consid. l. 2. c. 6.)

An vero illis potius adnumerandus es, qui continuo de morum corruptela conqueruntur ac lamentantur; nihil tamen agunt, sed vario praetextu a labore se eximentes, quietem et commoda sectantur? — Annon pro grege tuo Christus sanguinem suum fudit? Tu vero requiem quaeris? Quid potest pejus esse ejusmodi pastoribus? Si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat: numquid tanquam ad nundinas currendum erat? Martyr pro Christo semel; pastor vero, si modo talis sit, qualem esse oportet, millies pro grege moritur. (S. CHRYSOST. hom. in ep. ad Rom.) — Quodsi millies pro grege vita sacrificanda est, quanto magis quies, commoda, sanitas etc.?

Non *impetuosus*? — An specie efficiendi multa bona, agis praecipitanter, turbulenter ac iracunde? Annon uno quasi ictu omnia vis perfringere? *Non in commotione Dominus.* (3. Reg. 19, 11.) — An vix pastorale munus adeptus, meditaris mutationes ac reformationes, quin prius de concilianda tibi fiducia parochianorum cogites? — Non ita Divina Providentia, quae attingit quidem fortiter, sed disponit omnia suaviter. (Sap. 8. 1.)

d) Estne zelus tuus *prudens*, sed non *aulicus*, vel *politicus*, juxta effatum divini Salvatoris: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*? (Matth. 10, 16.)

An *prudens*? — Multi sunt, qui *aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* (Rom. 10. 2.) — Annon abripi te sinis „indiscreto fervore,“ qui maxima bona impedire solet? — An semper ad finem tendis per media honesta et maxime opportuna, vitans omnem, quoad licet, offensionem? — An nihil aggredieris non praemissa oratione ac matura consideratione? — *Inconsulto Deo aggradiendum est nihil.* (S. IGNAT. scintill.) Prudens pastor

*omne opus suum tria quadam consideratione praeveniet. Primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an et expedit. Nam etsi constet in Christiana utique Philosophia non decere nisi quod licet, non expedit nisi quod decet et licet: non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedit consequens erit. (S. BERNARD. de consid. l. 3. c. 4.)*

An sub praetextu tollendi abusus non tollis etiam usum bonorum rerum? Sive, annon ita eradicas zizania, ut tollatur etiam triticum? Nescis, hac ratione natas ac propagatas esse haereses? — An studio innovandi ac reformandi non offendis populum eius scandalo es? — Innumera exinde mala nostro tempore orta sunt. Audi quod sapientissime praescribit S. AUGUST. (epist. 55. alius 119): „In his, quae varie per diversa loca observantur, saluberrima regula retinenda est, ut quae non sunt contra fidem et bonos mores et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit.“ Et (ep. 54. al. 118.) „Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur societatem servandum.“

An per te ipsum indagas, quatenam committantur in tua parochia, nec simpliciter alienae fidis relationi? Annon ita praecoccupatus es pro vel contra nonnullos parochianorum, ut de his nihil boni, de illis nihil mali velis credere? An semper audis accusatum, et locum illi das sese purgandi, si velit? — *Qui inaudita parte iudicat, nihil iudicat.*

Non *aulicus* vel *politicus*? *Qui observat ventum, non seminat: et qui considerat nubes, nunquam metet.* (Eccle. 11, 14.) Id est, qui omnibus cupit placere, ac nemini displicere, qui omnem vult declinare molestiam, ac opportunius semper tempus expectare, qui omnia meticulosus reformidat sibi que cavet, nunquam consilia prudenter concepta exsequetur. — Quatenam est tua agendorum regula? An astutia humana, proprio lucro intenta? anne prudentia evangelica, unice quaerens Deum? — Quousque claudicas in duas partes! *Nemo potest duobus dominis servire.* (Math. 6. 24.)

e) Estne zelus tuus *suavis*, non tamen *mollis* aut *timidus*?

An *suavis*? — Talis erit zelus tuus, si affectus es sicut S. PAULUS, scribens ad Galatas (4, 19.): *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* — Diligisne ita paterne omnes tuos parochianos? an nulli es infensus? nulli non *suavis*? Potesne dicere cum Apostolo: *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Christi?* (Philip. 1. 8.) — An neminem asperius objurgas, neminem a te repellis? an maximis etiam peccatoribus sinum pandis misericordiae? *Bona mater, charitas in pastore; cum arguit, mitis est; cum blanditur, simplex est: pie solet saevire, sine dolore mulcere; patienter irasci, humiliter indignari.* (S. BERNARD. ep. 2.) *Servum Domini non oportet liliare: sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* (2. Tim. 2, 24 et 25.) — Ne corripiendo turberis aut excandescas, an prius exuis omnem animositatem, ac mature consideras, quid et quomodo dicturus sis, et quae tu ipse peccaris aut peccare possis? *Instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* (Gal. 6. 1.)

Non *mollis* aut *timidus*? — *Ferveat in nobis amor justitiae, odium iniquitatis; nemo, fratres, vitia palpet, peccata dissimulet nemo; nemo, quod in se est, aequanimiter ferat, cum viderit ordinem disperire, minui disciplinam; est enim consentire silere, cum arguere possis; et scimus, quia similis poena facientes maneat, et consentientes.* (S. BERN. serm. in nativ. J. Bapt.) Cave ne diligenter, ne specie quadam suavitatis deceptus aut naturali quadam timiditate, abstineas a debita correctione, segnisque sis in eradicandis vitis, in rescindendis malis consuetudinibus, in oppugnandis pravis erroribus? *Diligite homines, interficite errores.* S. AUGUST. — Examina te ipsum, an nullo unquam timore vexationum, calumniarum aut alterius persecutionis omittas tui officii partes, an potius gloriae tibi ducas pati propter justitiam.

Multi suae praetexunt ignaviae causam tuendae pacis et concordiae. Verum pax non est, si proditione ematur. Monet quidem S. PAULUS, ut *cum omnibus hominibus pacem habeamus*; ast conditionem adjicit: *Si fieri potest, quod ex vobis est.* (Rom. 12. 18.) — *Si ab increpatione reticueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non jam Dei lucra, sed vestra quaeritis.* (S. GREG. M.)

f) Estne zelus tuus *perseverans, non pervicax?*

An *perseverans?* — an in contradictionibus, in aerumnis, in malo successu non cadis mox animo? — Nescis, Deum a te exigere *curam non curationem?* Imo *tempestas, absque nostra culpa in nos saeviens, est quaedam futuri et secuturi brevi proventus significatio.* (S. IGNAT. scintil.) — An quia non illico res succedit, deficis a coeptis, vel arbitraris non esse spem emendationis? — *Eccae agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum.* (JAC. 5. 7.)

Non *pervicax?* — An instas mordicus, ut opus inceptum ad exitum deducas, etiam contra legitimam Superiorum voluntatem, aut licet videas, te plus mali quam boni efficere? — *Non est ista sapientia desursum descendens . . . . quae desursum est sapientia est modesta, suadibilis, bonis consentiens.* (JACOB. 3.)

g) Estne zelus tuus *universalis*, extendens se ad omnes parochianos et ad omnia media, quae sunt in tua potestate?

An *diligenter incumbis, ut agnoscas vultum pecoris tui, tuoque greges consideres?* (PROV. 27, 23.) — „Inprimis oves vobis „concreditaee cognoscendae sunt et appellandae nominatim, passendae et custodiendae. Parochiae vestrae incolarum vitam et „mores investigate. Indagate omni studio, si qui haeresi contaminati sint, aut suspecti; aut qui sint, qui haeticorum libros „habeant, vendant, emant, importent, vel legant. \*) Investigate

---

\*) An pro viribus obistis lectioni et dispersioni pravorum librorum ac libellorum? et an curas, qua potes ope, ut boni libri spargantur in populo? — *Libros malos arma diaboli et eversionem Ecclesiae vocat S. Chrysost. et dicti veritatem confirmat experientia.* — „Qui fidelium „mentes corrumpere sibi proposuerunt, cum fieri nullo modo posse intelligerent, ut cum omnibus coram colloquerentur, et in eorum aures „venenatas voces infunderent; idem alia ratione aggressi, multo facilius „ac latius impietatis errores disseminarunt. Nam praeter illa ingentia „volumina, quibus Catholicam fidem evertere conati sunt, a quibus tamen cavere, cum apertam haeresim continerent, non magni fortasse laboris ac diligentiae fuit, infinitos etiam libellos conscripserunt, qui „cum *pietatis speciem* prae se ferrent, incredibile est, quam facile incautos simplicium animos deceperint.“ (Catech. Rom. prooem. q. 6.) —

An invigilas, ne emissarii bibliopolarum aut societatis biblicae, venenum spargant, vili pretio obrudentes omnis generis malos libros et biblia, adhibita etiam per mendacium ecclesiasticorum virorum auctoritate? — *Falsas L. van Ess ex Patribus ecclesiasticisque viris contextas*

„praeterea de iis, qui in vestra parochia docent: eorumque vitam, „mores et fidem observate; cavete et videte, ne superstitiones \*), „magicae cantiones, et ejusmodi diabolicae superstitiones in populo vestro sint. Cognoscite publicos peccatores, corruptores „aliorum, concubenarios, adulteros, usurarios, blasphemos. „Cognoscite etiam alios populorum corruptores, qui festis diebus „non Deo sed aleis, ludis, choreis, diabolo serviunt, quique „festorum dierum cultum quovis modo violant: illos omnes ab „ea male agendi corruptela revocare, ac deterrere, omni pietatis „officio studete, tum Episcopo etiam, si opus erit, significate, ut, „pro curae Episcopalis officio, salutare remedium afferatur. „Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos, caeterosque „aliena ope egentes, quibus et salutari consilio et consolatione et „re subvenite, aut si minus re potestis, cohortatione alios accendite ad eos sublevandos. Seorsum locupletes parochiae incolae „convenite, quibus pauperum egestates proponite et ostendite eis, „divitias a Deo propterea etiam esse tributas, ut inopibus succurrant.“ (S. CAROL. BORROM. Concil. Mediol. 4.) Vide, utrum haec a te servata sint, et quid in posterum faciendum.

An cor tuum, charitate dilatatum, orbem complectitur universum? an ideo pro viribus promoves pias fidelium uniones, quarum scopus est, impetrare a Deo per intercessionem B. Virginis, S. Francisci Xav. S. Bonifacii Germaniae Apostoli etc., conversionem peccatorum, infidelium et haeticorum?

An nullum negligis medium, sanctificandi animas, tuae curae commissas? — Vide quid faciant zelosi animarum pastores, quid egerint, quos Ecclesia veneratur Sanctos. — An, ut sollicitus pastor, excubas, vigilas? an quaeris oviculam perditam, nec quiescis,

---

citaciones et tentatas corruptiones singulari Epistola catholica interlineari detexit Dr. Binterim Dusseldorpii edita 1820. Contra eundem *van Ess* edidit Loth. Franc. Marx Francofurti 1829 libellum sub titulo: „Sind die Vorschriften der Römisch Katholischen Kirche in Ansehung „des Verbotes, die hl. Schrift in der Landessprache zu lesen, mit Grund „ärgerliche päpstliche Verordnungen zu nennen!“

\*) Evenit etiamnum, ut per vulgus spargantur superstitiosae orationculae, quae eas recitantibus aeternam salutem certissime promittunt aut praeservationem a subitanea morte; quod quid aliud est, quam peccatores in peccaminosa vita securos reddere? Remedia etiam morborum passim adhibentur aut suspecta aut aperte superstitiosa et damnabilia.

donec inveneris? An doces, hortaris, corrigis publice atque privatim indefessus ac intrepidus? — *Vos scitis, quemodo docerem vos publice et per domos... Quapropter contester vos hodierna die, quia mundus tum a sanguine omnium... Quoniam per triduum nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.* (Act. apost. 20.) An et tu similiter dicere potes?

An monendo, increpando, obsecrando apud parentes agis, ut liberos vere *catholice instruendos* curent? Ab hac educatione vere *catholica* bonum Ecclesiae, salus familiarum et patriae pendet. — An facis quod potes, ut juvenus arceatur a nocturnis conventiculis, pravis societatibus, a frequentatione cauponarum, a tripudiis et comoediis? An non sinis puellas ancillari in domibus, ubi eorum virtus periclitatur, aut heris acatholicis, unde *indifferentissimus* plerumque ac tepor incautis cordibus inseritur? — An *paterfamilias inducis, ut pios ac probatos libros domi suae habeant, in quorum lectione versentur, seseque ac familiam instituant ad sancte agendum?* (S. CAROL. BORROM.)

An omnibus viribus laboras, ut frequentatio Sacramentorum in parochia vigeat? Hic labor, hic fructus. — An ob hanc aliasque graves rationes instituis, si fieri potest, ac promotes in tua parochia pias fraternitates vel congregationes? — „Proderit ad promovendam in simpliciorum animis devotionem et obtinendam frequentationem S. S. Sacramentorum, si in singulis Parochiis piae fraternitates instituantur sive in honorem S. Crucis, sive B. Mariae Virginis vel aliorum Sanctorum, et quidem iis in locis, ubi vestigia antiquarum fraternitatum deprehendere licet, restituantur in honorem et florem pristinum.“ (Epist. pastor. Episcopi MONAST. an. 1657.) „Pro viribus suadebit Confessor, ut alicui societati poenitentes adscribantur.“ (S. CAROL. BORROM.)

## 1. Instructio.

*Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus: Praedica verbum: insta opportune, importune: argue, obseca, increpa in omni patientia et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaccervabunt sibi magistros, prurientes auribus: et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, et*



*omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple.* (2. Tim. 4.) — *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* (2. Cor. 5, 20.) — *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* (Dan. 12, 3.) — An meditaris saepe haec et similia Scripturae verba? An inde agnoscis, quam grave tibi munus demandatum sit — quam sublime — quam meritorium? Quomodo illo perfunderis? An *instas, obsecras in omni patientia?* an *opus facis Evangelistae?* an doces ita ferventer ac sapienter, tanquam *Deo exhortante* per os tuum? — Quandonam magis quam hac aetate *vigilandum ac laborandum* erat? Annon adest tempus *cum sanam doctrinam non sustinent, sed coarceant sibi magistros prurientes auribus?* — Examina te nunc, qualis sis in catechizando, in concionando etc.

### Catechesis-Schola.

a) An persuasum habes, nullum tibi, animarum pastori, gravius incumbere officium, quam instructionem parvulorum? Quid enim juvat, magnificum exstruere aedificium, si fundamento caret? Nunquam aliquid boni permansuri in parochia efficies, nisi incipias a parvulis. Nec Indos ad fidem unquam convertisset S. Franciscus Xav., ni prius, ut ipse aiebat, *cum pueris repuerascere* voluisset. — An ergo *Catechesin* maxime cordi habes? An sollicite caves, ne unquam *contemnas unum ex pusillis?* An ad exemplum divini Magistri libenter *sinis parvulos ad te venire*, imo *gandes in medio parvulorum parvulus fieri*? O te beatum, si tenellas innocentium animas eripias a faucibus canis infernalis, qui circuit quaerens quem devoret!

An diligenter et in Ecclesia et in schola juxta ordinationem dioecesanam catechismum explanas, neque vel semel tua culpa omittis? —

Cum in quapiam Cathedrali Toscaniae catecheses ob vindemiam et aucupum aliquamdiu intermitterentur, S. Congregatio Conc. Trid. Interpr. decretum edidit, a BENED. XIV. 29. Aug. 1744. confirmatum, quo declaravit, diligenter faciendam esse catechesin, etiamsi eo tempore homines aucupio, vindemiis et rusticatione ita distenti siunt, ut *nullus nisi unus ad eam audiendam accedat.* (Collect. Declarat. de Doctr. christ. n. 11.)

An semper statuta hora Catechesin inchoas? An parentes urges, ut liberos et caeteros, quos in familia habent, sedulo mitant? an ipsemet allicis, et aemulationem accendis, tum beniginitate ac suavitate tum praemiolis ac laudibus? — „Pueri, qui praescripta ex memoria promte recitaverint aut ad interrogata apte responderint, eos laudet, et praemiolis afficiat, alios suavi potius ac paterna quam severiore oburgatione castiget. Committat, cum visum fuerit, binos, quaternos, qui integra capita Catechismi alternatim recitent.“ (Synod. AUGUST. an. 1610.)— An provectoris etiam aetatis homines ad Catechesin audiendam blande invitas?

An nihil omnino negligis, ut uberem fructum ex catechesi pueri capiant? An ita plane ac dilucide loqueris, ut pusilli *facillime* intelligere queant? An nihil unquam profers abstrusum, nihil subtile, inutile aut puerorum ingenio minus accomodum? An curas exemplis ac parabolis audiendi alacritatem fovere, et per res sensibiles doctrinam pro captu parvulorum declarare? — An catechismum aut nimis raptim aut nimis fuse explicas, quo fit, ut doctrina, vel nec semel bene instillata, vel non saepius repetita, memoriae non haereat? — An satagis puerorum *mentes* in catholica fide bene roborare et contra errorem munire? An etiam *corda* jugiter inflectere studes ad pietatem Deique amorem et odium peccati? Quo efficacius haec omnia praestes, an ad catechesin velut ad opus gravissimi momenti te solerter praeparas?

An puerorum petulantia vel rusticitas ad iracundiam et convicia te adducit vel ad taedium et nauseam? Hic vel maxime illud valet: *Ama, si vis amari*. Nonne viri Apostolici, animas lucrandi causa, non horrent ad Indos navigare feros et anthropophagos? Hic habes animas, quas Christo parturias, barbaris illis multo mitiores et dociliores. Annon patienter feres?

An omni sollicitudine curas, ut pueri bene praeparentur ad *primam confessionem*, ne accedant absque sincero peccati dolore et emendandi proposito, cum prima confessio illis non raro norma sit subsequentium? Synodus EICHSTETT. an. 1700. mandat, „ut qui prima vice confitebuntur *singulis diebus* per certum tempus in susceptione Sacramentorum et aliis articulis scitu necessariis bene instruantur.“

An maximi facis praeparationem ad *primam Communionem*!

Num quam potes studiosissime pueros disponis per frequentiore[m] catechesin et peccatorum expiationem, et, quod optimum foret, per triduana exercitia spiritualia? An ipso die Communionis festivam solemnitatem adhibes et extraordinarias, probatas tamen caeremonias, uti renovationem votorum baptismalium vel fidei professionem? an ferventem facis exhortationem ad pueros parentesque?

An *post primam Communionem* maxima cura juventutem arces a morum fideique depravatione, ac in bono promoves per scholam dominicalem, pias congregationes, optimos libros etc.? An omni zelo allaboras, ut pergant ad catechesin diligenter convenire atque saepius redeant ad confessionem? an curas quantum in te est, ut non minuatur sed potius augeatur cum annis eorum devotio? — Omne tulit punctum, qui hoc assecutus est.

b) An sedulam das operam, ut omnes pueri *scholam* frequentent et discendo proficiant? An eos saepius visitas atque examinas, ut magistrorum et scholarium industriam stimules? — Non id detractarunt summi Pontifices ac Imperatores, S. Gregorius M., Carolus M., Theodosius M. etc. — An curas, ut schola brevi oratione semper incipiat ac finiat, utque pueri quotidie S. Missae, festisque ac dominicis diebus divino officio devote intersint?

An studes tibi devincire ludi-magistros, vel ludi-magistras, eosque ad christianam pietatem informare, ut eam pueris instillare queant? An pro virili parte obsistis pravae instructioni, religiosam vero educationem omnimode inculcas, et ne mali vel suspecti libri adhibeantur, maxime invigilas?

Synodus PADERB. an. 1688. praescribit, ut „ad petulantiam, „cohibendam in omnibus Parochiis masculi a puellis, quantum „feri potest, seorsim instituantur, atque puellis una aut altera „honesta matrona praeficiatur.“ Synodus OSNABR. an. 1628.: „Sicubi pueri et puellae scholam unam frequentent, hae ab illis „sejungendae erunt, ne quid indecens committatur.“ Similiter aliae Synodi. Nostra certe aetate illud non minus quam praeterita necessarium est. An proinde, quantum in te est, solerter id curas?

An etiam omni, qua potes, ratione prohibes, ne haereticorum scholas pueri frequentent? „Prohibemus, ne ulla de causa liberos aut domesticos suos permittant, cujusquam scholam etiam „triviale[m] frequentare acatholicorum.“ (Synod. COLON. an. 1662.)

Gerisne quoque curam, ut idoneos pueros, in quibus indiciâ cernuntur divinæ Vocationis, Clero adsciscas, nec dedignaris, eos ad hunc scopum praevis instruere ac informare?

### Concio.

a) *Obligatio concionandi.* — An concionaris diebus saltem dominicis et festis, idque *per teipsum*, uti praescribit Concilium TRIDENT. omnibus animarum curatoribus, non legitime impeditis? (Sess. 5. c. 2. de ref.) — An vero id munus, quod S. THOMAS Aquin. (P. 3. q. 67. a. 1.) vocat *principalissimum* animarum pastoris, ex desidia in alienos humeros trajicis?

An excusatum te credis, quod eloquentia careas? Respondet S. FRANCISCUS SALES., *nihil impossibile amanti Deum.* Ama toto corde: *pectus est, quod disertus facit.* — An te absterret, quod perpauci ad concionem veniant? *Christus*, ait S. FRANCISCUS BORGIA, (de rat. concion.) *paucis saepe discipulis, et uni mulierculae infimae conditionis praedicare non erubuit, summo etiam et labore et lassitudine longae viae.* — An fastidis eo, quod fructum praedicationis non videas? *Annon cernis parentes*, inquit S. CHRYSOST. (de Lazaro conc. 1.) *quomodo filiis suis, licet frequenter desperatis, assideant lacrymantes, lamentantes, exosculantes, omnia, quae possunt, adhibentes ad supremum usque habitum? Idem tu facito pro fratribus. Illi non possunt lacrynis ac lamentis mortem abigere; tu vero saepe poteris assiduitate animam revocare.*

An provides, ut etiam illi parochiani, qui tantum summo mane aut in Ecclesia annexa, (vulgo *filiati*) Missam audire possunt, instructione salutari non destituantur?

An propter denunciations nimis multas et longas verbi divini praedicatio non omittitur vel mutilatur? Ob accessorium non est negligendum principale.

b) *Ratio concionandi.* — An concionaturus prius curas intentionis puritatem, ne quaeras magis tuam quam Dei gloriam? — An Spiritum sanctum instanter oras, *ut se verbis tuis insinuet, cordaque auditorum penetret, qui solus claves habet, et aperit, quando vult?* (S. Franc. BORG. loc. cit.) — An non temere effundis quod in buccam venit, sed considerans te debere *notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungeris*, an diligenti meditatione ac studio dicenda praeparas, ut scias *prout oportet loqui?*

(Eph. 6, 19. 20.) — *Pensemus, cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus . . . , nec tamen studio praedicationis, ut dignum est, insulamus.* (S. GREGOR. M. homil. 17.)

An in omni concione *id agis verbis, ut veritas pateat, — veritas placeat, — veritas moveat?* Oportet enim, *ut non solum intelligenter, verum etiam libenter et obedienter audiaris.* (S. AUGUST. de doctr. christ.)

Estne orationis tuae argumentum — dispositio — ac elocutio ejusmodi, ut et rudiores facile omnes intelligant, neque doctiores fastidiant? Annon dicis permixte et confuse? Annon uteris locutione triviali, rustica aut scurrili, quae contemptibilem faciat orationem? — An econtra sectaris putide inanes eloquentiae flosculos, ac *in sublimitate sermonis, humanae sapientiae verbis praedicas?* An forte studio politioris sermonis eos libros lectitas, qui facile devotionem exsiccant ac fidem labefactant? Plures Germaniae synodi, veluti OSNABRUG. an. 1628., olim vetarunt, ne Concionatores sine expressa Sedis apostolicae facultate libros haereticorum legant.

Multane cursim attingis, nullibi vero instas persuadendo et inculcando, intellectum convincendo et affectum permovendo? — An curas orando ac meditando inducere eas animi affectiones, quas auditoribus imprimere cupis? quomodo enim incendes, si non ardes?

*An prius comparas tibi claves cordium quam aurium aditum tentes? In hoc consistere ajebat S. FRANC. XAVER. caput et compendium artis.* (epist. ad P. Nunnez.) *Has autem tibi parabis, si verba tua non videantur procedere ab animo superbo vel indignanti, sed magis ex visceribus charitatis et pietatis paternae: sicut pater condolet peccantibus filiis, vel infirmitati gravi vel fovea grandi jacentibus, quos nititur extrahere et liberare et fovere sicut mater. Talis enim modus consuevit esse proficuis auditoribus.* (S. VINCENT. Ferrer. vir plane apostolicus. (Tract. vitae spirit.) — *Ipsa reprehensio commiserationem ostendat, non indignationem, aut odium cujusquam. Incredibile dictum est, quanto studio daemone Evangelico. melli fel admiscere in reprehendendo cometur, ut multos hac ratione ab audiendis concionibus deterreat, vel invidiam et odium zelotibus Ecclesiasticis conciliet.* (S. FRANC.

**BORGIA** de rat. conc.) — *Ne quemquam nominatim insectetur, vel ita verbis depingat, ut de quo loquatur, facile possit auditor animadvertere.* (S. CAROL. BORR. Instr. past. P. 1. c. 11.) — *Vitetur omnis mordacitas. Nec modo publica crimina redarguat, sed etiam aegrotis mentibus praesentem offerat medicinam.* (Synod. AUGUST. an. 1610.) Eadem inculcant aliae Synodi sanctique viri. Plurimum ergo his attendat Concionator zelosus. — Quaerat inprimis a se pastor, num in silentio aliquid a parochianis sufferre valeat, an vero utatur sacro pulpito ad injuriam sibi illatam mordacibus, licet tectis, verbis maligne ulciscendam: quod si forte pro se aliquid respondere cogatur, an id ea modestia fiat, ut causam Christi, non suam agere videatur.

An specie apostolicae libertatis non acerbius vel in particulari perstringis Superiores aut civiles aut ecclesiasticos? — „Non ferendi sunt concionatores, qui, ut auram venentur popularem, in ordines Ecclesiasticorum pariter et civilium Magistratum invhentes, temere vociferantur ad populum: non intelligentes interdum, neque quae loquuntur neque de quibus affirmant.“ (Synod. COLON. an. 1536.)

Cavere sibi quidem debet Concionator ab ignavo timore, qui vitandae offensionis causa reprehensionis libertatem ac fiduciam infringit; *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris sed virtutis.* (2. Tim. 1. 7.) Ast verissimum est effatum S. Ignatii (Scint. sive apoph.) *Si quis in populari concione Principes et Magistratus particulatim reprehendit, plus damni et scandali generat quam ponat remedia.* Ideo Synodi, inter alias WARMIENS: an. 1610, concionatores cavere jubent, *ne constitutos in aliqua dignitate acerbi aut nominatim objurgent, sed leniter atque in genere tantum admoneant.* Idem praescribit ipse Indiarum Apostolus S. XAVER. talesque potius *privatim* ait reprehendendos. \*)

Esne in concione aequo brevior? an contra longiori sermone populum fatigas, et ab audiendo verbo Dei avertis? — An in gesticulando non es affectatus, servas vero sacrae personae, quam geris, conveniens decorum?

---

\*) V. Lebensgeschichte des hl. Franz Xaver von Bouhours, IV. Buch, Verhaltungsregeln an P. Barza. S. 9.

Si tibi concionanti forte quis rumor obstrepat, an patienter fers, neque animo turbaris, vel iracundiam ostendis: ne, dum patientiam alios doces, te ipse palam refellas, quod ea virtute careas?

Finita concione, an te animo deprimis, conferens fructum, quantuscunque provenit, cum longe uberiori proventuro si non obstarent tua peccata? An etiam consideras, quantum te praedicatione Evangelica obstrinxeris, ut eadem quae aliis praeceperis, facias? Nam *bene vivendo et bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere; bene autem docendo, et male vivendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* (S. CHRYSOST. hom. 23. in Matth.)

c) *Materia concionis.* — An concionem parans non satis habes, e pio libro qualicunque promere, quod e suggestu declames; sed an tibi certum aliquid constituis, quod dicendo persuadere velis, ac illud quidem, quod tuis auditoribus maxime salutare vel necessarium est? An ideo diligenter inquiris, quae peccata, qui abusus in tua parochia dominantur, nec cessas increpando et obsecrando, donec extirpaveris? — *Vitia inprimis et peccata, ad quae populum procliviores esse animadvertitis, reprehendite atque exagitate. Nec vero dissimulate peccata, sed annuntiate populo scelera ejus: idque spiritu fortitudinis Domini, nihil inde trepidantes. . . Vae vobis tacentibus aut dissimulantibus, si grex curae vestrae commissus perierit! sanguinem ejus de manibus vestris requirit justus et omnipotens Deus.* (S. CAROL. BORR. Conc. 4. Mediol.)

An de numero illorum es, qui apud populum quaestiones mere philosophicas aut speculativas pertractant, ut vacui abscedant auditores, nihil salutare domum reportantes? — Num *in genere* duntaxat de virtute aut vitio disseris: an ita, ut, qui reus est, sese quasi in speculo agnoscat, et quid et quomodo emendare debeat, bene intelligat? Multum hoc commendat S. FRANC. XAVER.

An rumoribus populi temere fidis, ut nova et parum confirmata in publicum afferas? an argumenta dubia, historiunculas incertas proponis? „Historias et miracula minus explorata et certa non „adducant.“ (Synod. SEDUN. an. 1626. et aliae passim.)

An materiam dicendi praesertim e S. *Scriptura* petis et S. S. *Patribus*? — *Sapienter dicit homo tanto magis vel minus, quanto*

*in Scripturis sanctis magis minusve profecit.* (S. AUGUST. de doctr. christ. l. 4.) — *Pest S. Scripturam S. S. Patres primum obtinent locum. Quid enim aliud sunt S. S. Patres quam S. Scriptura explanata et enucleata?* (S. Franc. SALES. epist. de rat. conc.) S. S. Patrum vilipensio foetus est haereseos. Certe non tam arida ac jejuna esset multorum oratio, si concionatores alerentur illo primaevo et incorrupto succo christianae pietatis.

An solum de bonis moribus, an etiam de *dogmate* concionaris? An maxime quidem satagis, parochianos ita instruere *in fide catholica* et in refutandis quibusdam popularibus objectionibus, ut adversus grassantem impietatem ac haeresin firmi consistant, omnemque errorem et inprimis *indifferentismum* exhorrescant?

Hac nostra aetate muniendus est adversus impietatem solidissima certe instructione populus et maxime juvenus, quae, paternis laribus emissa, gravissimo plerumque periculo amittendae fidei exponitur. Solerter igitur has suas partes obest animarum pastor in catechesi et in concione: maxima tamen utatur cautela, ne adversariorum argumenta proponendo pias aures offendant, vel recte credentibus dubitationes moveat: sed ita fidem catholicam defendat, ut qui contrarios errores noverit, intelligat qua ratione refelli possint, qui vero ignoret, in sua permaneat simplicitate. Quodsi concinator *satis instructus non est*, ait Synod. AUGUST. an. 1610., *praestat tacere*, quam imprudenter controversias in medium adducere. *Nemo enim illud aggrediatur, nisi omnibus nervis ingenii, doctrinas vi, et spiritu, et argumentorum pondere adhibito; ne, dum sanare vult, plus noceat, usus infirmis argumentis.* Ita S. Franc. BORGIA (de rat. concion.), qui ibidem monet, ut in *caritate* tamen et *visceribus doloris* haereticorum caecitatem et fraudes concinator detegat \*).

\*) *Unguis in ulcere auget, non tollit malum.* Nuanquam haereticorum mentes sanabit, qui animos exasperat. Etiam eos, qui *resistent veritati* docet S. Paulus cum *mansuetudine* esse corripiendos. (2. Tim. 2, 25.) Nec aliter egit S. Petrus, qui Judaeos quoque *Deicidas fratres* compellavit, ac scire se aiebat, eos *per ignorantiam* peccasse sicut et principes ipsorum (Act. 3, 17.) — *Illi in vos saeviant, scripsit S. August. ad eos qui ab Ecclesia defecerant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores. . . Illi in vos saeviant, qui nesciunt cum quibus gemitibus et suspiriis fiat, ut ex quan-*



An saepe loqueris de *Sacramentorum frequentatione*, eamque enixe populo commendas? Frequentissime illud concionatoribus sacrae synodi inculcant. „Eximius vereque suavis et inexplicabilis, his est fructus,“ ait Synodus AUGUST. an. 1610. „quem pii referunt ex digne sumpta Eucharistia. Quamobrem *neq. raro neq. leviter* populus pro concione monendus erit, ut non semel tantum „Paschatis tempore, sed saepius ad hunc coelestem divinumque „panem, quo primi Christiani quotidie fruebantur, edendum accedat.„ — „Parochi partes erunt,“ verba sunt Synodi CONSTANT. an. 1567. „fideles *crebro* adhortari, ut quemadmodum corpori in „singulos dies alimentum necessarium subministrare se debere „putant, ita etiam si non quotidie, saltem singulis hebdomadibus „aut mensibus aut ad minus in quatuor principalioribus festivitatibus anni hoc Sacramento alendae et nutriendae animae curam „non abjiciant.“ — In Conc. Mediol. 3. decernit S. Carolus BORR., ut parochus eam consuetudinem concionando inducere studeat, ut populus singulis si minus Dominicis saltem mensibus confiteatur et sacram communionem sumat\*). — An etiam vitia frequenter recensens, quae Sacramenta, gratiarum fontes, in mortifera venena convertunt, hortarisque auditores, ut per *confessionem generalem* vitiosas, si quae fuerint, confessiones reparent? Copiosum inde fructum referes.

---

*tulacunque parte possit intelligi Deus. . . Ego autem saevire in vos omnino non possum etc.* (contr. Epist. fund. c. 1, 2, 3.) — S. Chrysost. de Arianis ac Judaeis loquens: *Manus eis porrigamus, inquit, magnaque eis mansuetudine loquamur. Nam magna nobis opus est mansuetudine et longanimitate, ut possimus eos eripere et educere ex laqueis diaboli* (in c. 1. Genes. hom. 8.). S. Vincent. a Paula hanc erga heterodoxos mansuetudinem plurimum Suis commendabat, exemplum adducens S. Francisci Sales., qui non tam doctrina quam mansuetudine septuaginta duo millia haereticorum ad fidem catholicam reduxit. Absit tamen ut dicantur *canes muti, non valentes latrare*, (Is. 56. 10.) sanctissimi illi viri, etsi lenissimi. Non illi pacem somniantes de doctrinis controversis silebant, non illi censebant dissimulandum vel connivendum; sed fortiter excubabant pro grege Domini, publice ac privatim propulsantes haeresin, fidemque Ecclesiae omni ope tuentes. Aliter qui agit, ne ille confidat, se haereticorum conversionem promoturum, verum catholicorum juvabit defectionem ad castra impietatis, quae singulas religiones probat, ut omnes derideat.

\*) Vide hac de re S. Franc. Sales. Philotheam vel Introduct. ad vit. devot. lib. 2. cap. 20.

An, ut monet S. CAROL. BORROM. (Conc. Mediol. 4.) *sedulo ac frequentissime* patres matresque familias doces, quemadmodum liberos familiamque suam ad pietatis christianarumque virtutum disciplinam religiose instituere debeant? — An horrenda illa juramenta et turpiloquia, quae adeo per juventutem grassantur, impudica conventicula, choreas et spectacula, *quibus*, inquit S. CAROL. BORROM. *ad turpes illecebras incitantibus salutis humanae hostis diabolus oblectatur*, linguae flagello castigas?

An nihil intentatum relinquis, ut dies dominici ac festi, quae decet pietate, sanctificentur? — An mysteria Missae et Ecclesiae caeremonias diligenter fidelibus explicas, quo melius instructi sacro-sancto illi sacrificio religiosius intersint? — An pro viribus efficis, ut, quemadmodum rubricae Missalis praescribunt, *circumstantes in missis saltem privatis semper genuflectant, praeterquam dum legitur Evangelium?* — An etiam doces, *quam sancte item quam religiose et quam demisso humilique habitu in supplicationibus sive processionibus, Litanis et stationibus versandum sit?* (S. CAROL. BORROM.)

An saepe doces *orationis*, quae multis nostrae aetatis adeo vilesceat, necessitatem et modum? An etiam alia piae devotionis exercitia opportune commendas? „Operae pretium erit in quorundam Sanctorum festis ex eorum vitis incitamenta pietatis ac multiplicis virtutis proponere, commendare frequenter usum, dum mane surgitur, religiose orandi, et vesperi examinandi conscientiam, utendi aqua benedicta, mensae benedicendi, mane Sacrum audiendi, se suaque omnia breviter Deo commendandi, salutandi matrem Domini cum mane meridie et vespere campinae sonitu monemur, orandi pro animabus defunctorum, comitandi cum S. S. Sacramentum ad infirmos defertur, Rosarium, orandi et his similia.“ (Synod. AUGUST. 1610.) Utinam ubique iterum florescat illa prisca pietas!

An denuntias stata sacrorum temporum *jejunia*? An diligenter doces, *quomodo* jejunandum et quae sit *peccati gravitas* in violandis sacris jejuniis? Annon pastorum socordiae maxime tribuendum, quod hodie jejunandi lex vix non oblivioni data sit? „Assurgite igitur Pastores et Concionatores, ascendite in montem Sion, annuntiate populo peccata eorum, et inculcate auctoritatem Ecclesiae: *Qui non audit Ecclesiam sit tibi sicut Ethnicus et*

„*Publicanus. Vas et aeternum Vas illis, qui pro lentis et carnis*  
 „*edulio primogenita vendunt diabolo! etc.* Cavete Pastores, ne  
 „*licentia in dispensando abutamini. Nunquam nisi in casu sum-*  
 „*mae necessitatis dispensatio detur generalis. Quid enim alias*  
 „*timendum, nisi quod vulgo dicitur, ut et dispensans et dispen-*  
 „*satus cum licentia infernum intrent.*“ (Epist. pastor. Episc.  
 MONAST. an. 1659.)

An saepe commemoras hominis *Novissima*, quae qui mente  
 revolvit *in aeternum non peccabit?* (Eccli. 7, 40.) *Quam saepis-*  
*sime sermonibus vestris populo proponis locos perpetuae christia-*  
*mae meditationis, de morte, de iudicio, de inferno, de gloria et*  
*de praenio paradisi.* (S. CAROL. BORROM.) — An modo minis ter-  
 reus, modo spe erigens dicendi materiam ita varias et adtemperas,  
 aut nec semper fistula, nec semper tuba insones?

An denique vigilas, quantum oportet, ne tui parochiani in-  
 trent templa haereticorum audituri conciones? „*Quoniam pesti-*  
 „*lentius est venenum, quod auribus, quam quod ore hauritur;*  
 „*hoc enim corpus, quod nobis cum belluis est commune, inficit,*  
 „*illud vero animas, Dei imagine insignitas, interimit: severe*  
 „*omnibus nostris subditis, tam ecclesiasticis quam laicis inhibe-*  
 „*mus, ne conciones haereticorum temere adire praesumant, cum*  
 „*illorum sermo ut cancer serpat, ac blandis verborum lenociniis*  
 „*innocentium corda seducat.*“ (Synod. COLON. an. 1662.)

### 3. Administratio Sacramentorum.

An in Sacramentorum administratione uteris lingua *latina*, et  
 accurate servas omnes ritus ac preceationes ab Ecclesia praescrip-  
 tas, nullo modo praesumens aliquid propria auctoritate addere vel  
 detrudere? — „*Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae*  
 „*Catholicae ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione ad-*  
 „*hiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro-*  
 „*hibitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum*  
 „*Pastorem mutari posse; anathema sit.*“ (TRID. Sess. 7 can. 13.  
 de sacram.) An ideo Rituale dioecesanum, quantum opus est,  
 perlegis ac memoriae imprimis?

An unquam audes, peccati mortalis tibi conscius, ad Sacra-  
 mentorum administrationem accedere? an prius contritionem non  
 elicis, aut, si habeas copiam Confessarii, et temporis locique ratio

ferat, non confiteris? *Impure et indigne ea ministrantes aeternae mortis reatum incurrunt.* (Rituale Rom.)

An sacramenta ministraturus mentem recolligis, vacans paululum, si opportunitas detur, orationi et sacrae rei, quam acturus es, meditationi? An ad ministrandum procedens, rei tractandae intentus es, nec de iis, quae ad ipsam non pertinent, cum alio colloqueris? (Rituale Rom.)

An in ipsa administratione semper veste sacra indutus es? An omnia verba sacramentalia *attente, distincte et pie atque clara voce* pronuntias? An alias quoque preces non cursim permurmuras, sed *devote ac religiose* dicis? An omnes ritus ac caeremonias *decenter gravique actione* peragis? „Non obiter et praecipitanter, „sed cum debita gravitate, reverentia ac pietate, sine gesticulationibus et caeremoniis non consuetis, cum stola et superpelliceo „sacramenta administrentur, ut populus, cum viderit sancta „sancte ac religiose tractari, similiter ad sancte et religiose Sacramenta suscipienda moveatur.“ (Synod. CONSTANT. an. 1609.)

An curas, ut etiam aedituus, vel quicumque *ministrans* adhibeatur, decenti pariter habitu indutus sit, ac in omnibus modestiam, gravitatem ac devotionem prae se ferat?

An *Olea sacra*, quorum in ministrandis Sacramentis est usus, servas in vasculis bene mundis et in loco suo condecanti ac probe clauso, neququam tamen in S. tabernaculo, nec in aedibus privatis? An claves sunt penes te, non penes aedituum? An sacro oleo deficienti nunquam aliud quam de olivis expressum affundis, atque ita, ut quantitas ejus, quod infunditur, semper minor sit quantitate olei consecrati?)

### **Baptismus et Confirmatio.**

An in Baptismo bene attendis, ut vera sit lotio, et verba eodem tempore pronunties, quo aquam infundis?

An audes praescriptos in baptismo *Exorcismos* negligere? — An vero non spondidisti per *Professionem fidei*, te *receptos et approbatos Ecclesiae ritus in omnium Sacramentorum solemnii administratione recipere et admittere?* et annon explorata res est, exorcismos baptismatis jam ab aevo antiquissimo in Ecclesia universa *receptos et approbatos* esse? Haud immerito igitur Synodi sub *gravissima poena* injunxerunt, ne parochi aliter, quam ad-

*Abiis Exorcismis et Exsufflationibus, Uctionibus et cæteris ritibus, per catholicam Ecclesiam ab antiquo observari solitis, baptismum administrare præsumant.* (Synod. MOGUNT. an. 1549. — COLON. 1536. etc.)

Synodus AUGUST. an. 1610. Decretum tulit: „Parvulos sive „divitum sive pauperum, nisi forte gravis necessitas aliter fieri „postulet, non alibi quam in loco sacro et coram conspectu fide- „lium volumus baptizari, nec alia illis nomina imponi, quam „Sanctorum, quorum exemplo excitati, cum adoleverint, pietatis „virtutisque se strenuos cultores exhibeant.“ Est hic totius Ec- clesiae constans usus. An, ut servetur, debitam geris curam?

Annon sinis, plures esse *patrinos* quam unum vel ad sum- mum unum et unam, uti præscribit Concilium TRID.? (Testium quidem loco plures esse possunt.) Annon admittis patrinos hæ- reticos, vel publice criminosos, vel religionis contemtu male no- tatos? — An parochianos tuos pro opportunitate mones, *satius esse eos patrinos deligi, qui magis infantes in fide et christiana pietate imbueri, quam donis ac muneribus cumulare queant?* (Synod. CONSTANT. an. 1609.)

Num statim in baptismali libro *attente* scribis nomina — *nulla mutata littera* — et reliqua de administrato Baptismo? An contra in chartam volatilem notas, cum periculi periculo?

An populum præsertim autem *obstetrices* solícite doces, quo- modo in necessitate baptizare debeant?

An parochianos, ubi occasio fuerit, instruis de Sacramenti *Confirmationis* institutione, præstantia, virtutibus et effectu, si- mulque serio adhortaris, ne illud suscipere vel omnino negligant, vel nimium differant?

An confirmandos *studiose* præparas per multam instructionem et bonam confessionem?

An penes te conservas nomina confirmatorum pariterque pa- trinorum, accurate in libro notata?

### S. S. Eucharistia.

An *summum* studium in eo ponis, ut qua decet reverentia de- bitoque cultu tractes — custodias — et administres S. S. Eucha- ristiae Sacramentum, *quo nihil dignius, nihil sanctius et admira- bilius habet Ecclesia Dei?* (Rituale Rom.)

Diligenter se Clerici hac de re examinent; nam ex assidua Venerabilis hujus Sacramenti tractatione facile fit, ut adoranda illius Majestas vix ac ne vix quidem attendatur.

An S. Tabernaculum est bene mundum, intrinsecus decenter ornatum, et adversus sacrilegam furum audaciam probe munitum? An claves nunquam in ostiolo tabernaculi relinquis, nec permittis, ut ab ullo, qui non sit saltem Subdiaconus, illud claudatur vel aperiatur?

*An lumen ante Sacramentum Corporis Christi, qui est Lux indeficiens et candor lucis aeternae, noctes atque dies accensum praeiucet? Quod licet aedituorum munus sit, parochis tamen in-  
cumbit, aedituos negligentes sui officii commones. (Synod. AUGUST. an. 1610. — Synod. CONSTANT. an. 1609. et aliae passim.)*

Tegiturne ara, in qua sacrificatur, tribus mappis benedictis? (v. rubr. Missal.) An linteamina, praesertim corporalia, pallae, purificatoria sunt, uti praescriptum est, *linea*, non ex gossipio? An altaris mappae, corporalia etc. saepius lavantur, ne ulla unquam macula sint conspurcata? — An te non puderet, hospiti spurcam apponere mensam? nec tamen erubescis, si mensa Domini tremenda ita sordescat, ut nauseam moveat? *Si Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* (Malach. 1. 6.)

An omnia vasa sacra, calices, ciboria, patenae, ostensoria sunt nitida atque mundissima et interius plane deaurata? An ordinarie singulis quindecim diebus aut, si Ecclesia sit humida, etiam saepius S. S. particulas in ciborio et in ostensorio renovas? An renovando curas, ut fragmenta residua in pixide non remaneant, sed ea consumas et ciborium vino purifices?

O mi Jesu! fierine potest, ut existant sacerdotes adeo incurii, adeo scelerati, ut sinant foede corrumpi, vermibus scaterere. . . .!!! — *Obstupescite coeli super hoc et portae ejus desolamini vehementer.*

An graviter, modeste ac devote S. Communionem distribuis? Si extra Missam distribuenda sit, an prius in sacristia manus lavas? An porrigendo S. hostiam non nimis praecipitanter sed decentissime signum crucis facis super pixidem? An summa diligentia caves, ne ulla sacra particula decidat aut perdatur? „Cauti, „sint in communicando populo. . . . Extrema digitorum saepius

„inspiciant, si quae particulae adhaereant, eas quantocius Ciborio vel patenae reponant, priusquam elabantur.“ (Synod. SEDUN. an. 1626.) — Consultum quoque est, ut, priusquam hostiae consecrandae ad altare deferantur, cribro vel alia ratione a micis adhaerentibus probe mudentur. — An prostat etiam in altari vasculum plenum, ut post distributionem S. Communionis digiti abluantur?

An saepe frequenter et hora populo comoda distribuis S. Communionem? An unquam praesumis communicaturum dispensare a lege ecclesiastica obligante sub mortali ad jejunium naturale? quae certe dispensatio nulla et irrita est. Scisne etiam communem esse Theologorum doctrinam, non posse in fractione hujus jejunii quempiam excusari ob materiae parvitatem? (v. S. ALPH. de LISSORIO Theol. Moral. de Euchar. n. 276.)

An processiones cum S. S. Sacramento reddis, quantum potes, solennes et splendidas? An cum omni veneratione et timore S. S. Eucharistiam ad infirmos defers; non oculis vagis, animo dissipato, habitu parum decenti? An etiam curas, ut cum decore comitentur fideles, vel in transitu submisce adorent? Si solemniter deferri viaticum non licet, an saltem illud quam reverentissime pectori admotum gestas?

An curas, ut per tres dies bacchanaliorum instituat oratio quadraginta horarum coram Venerabili solemniter exposito? Ingens certe salutis fructus in populum ex hac devotione dimanat.

### Poenitentia.

Nullibi facilis nec periculosius erratur quam in tremendo Poenitentiae tribunali; nam *ars est artium regimen animarum*. (S. GREGOR. M. reg. past. p. 1. c. 1.) Omni ergo sollicitudine inquire, qua ratione divinum illud iudicium exerceas.

Verissimum est quod olim S. PIVS V. effatus est: *Dentur idonei Confessarii, ecce omnium Christianorum plena reformatio*. — Ab uno Confessario saepe totius parochiae salus aut interitus pendet.

a) An libenter et frequenter audis Confessiones?

An sanctum Confessarii munus magni facis, et multum ad id afficeris? Anne potius velut molestum ac laboriosum perhorrescis? aut ex conscientia nimis anxia et meticulosa reformidas? —

„Oportet ut magno affectu Curatus quisque ad confessiones exci-  
 „piendas feratur. Proinde crebro perpendendum, quod audire  
 „poenitentes sit actus valde *heroicus*, summopere placens Deo,  
 „cum immediate sic cooperemur Deo ad reducendas animas, pre-  
 „tioso Christi sanguine redemptas; quod sit insignis actus *miseri-*  
 „*cordiae* spiritualis, dum docentur ignorantes, corriguntur er-  
 „rantes, et spiritualiter captivi ac incarcerati solvuntur; quod sit  
 „actus summae *charitatis*, quae teste Jacobo apostolo et animam  
 „proximi salvat, et propriorum cooperit multitudinem peccato-  
 „rum.“ (Ritual. MONASTER.)

An ad audiendam confessionem vocatus promptum facilemque  
 te praebes? — „Sacerdotes ad confessiones audiendas vocati ab-  
 „rumpant omnem moram, et prompti eant, quo vocati sunt, pleni  
 „desiderio juvandi animas.“ (Synod. AUGUST. an. 1610.) — An  
 etiam te ipsum offers non vocatus mane, hora populo commoda, et  
 vespere pridie diei dominicae vel festi? — Bonus pastor non vult,  
 ut ab ovicula perditâ quaeratur, sed eam ipse quaerit; nec horret  
 cupidus piscator ultra sedere et expectare, donec pisciculus hamo  
 adnate.

Utinam ubique vigeret consuetudo, ut nulla non hebdomada  
 Confessarius pro sacro tribunali assideret! Plurimi certe con-  
 suetudinarii sanarentur, si illis facilis daretur occasio saepius  
 recurrenti ad saluberrimum confessionis medicamentum.

An vere indefessus es sacrae poenitentiae administer, ut merito  
 cum Apostolo dicere queas: *Ego autem libentissime impendam et*  
*superimpendar ipse pro animabus vestris?* (2. Cor. 12, 15.) —  
 Annon pessimam sequeris praxin, ut confitentes non audias, nisi  
 certis solemnioribus diebus, quibus ob ingentem concursum omnia  
 perfunctorie in animarum perniciem deproperantur? Heu,  
 quoties culpa Confessarii salutiferum Christi sacramentum fit dia-  
 bolo rete ad captandas animas! — Annon ex numero illorum es,  
 qui etiam succensent frequenter confitentibus, vel aegre ferunt,  
 ut sui Cooperatores in S. Poenitentiae ministerio diligentes sint?  
 — *Vae vobis Scribae et Pharisei hypocritae: quia clauditis reg-*  
*num coelorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeun-*  
*tes sinitis intrare.* (Matth. 23, 13.)

„Nulla res“ inquit Catech. rom. (P. 2. c. 5. q. 46.) „fide-  
 „bus adeo curae esse debet, quam ut frequenti peccatorum



„confessione animam studeant expiare.“ Quomodo id agent, si non *frequenter* audiantur? — Notatu certe dignum quod ibid. q. 32. idem Catech. habet: „Omnibus fere piis persuasum est, „quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ec- „clesia, summi Dei beneficio, conservatum est, id magna ex „parte confessioni tribuendum esse; ut nulli mirandum sit, „humani generis hostem, cum fidem Catholicam funditus ever- „tere cogitat, per ministros impietatis suae et satellites, hanc „veluti Christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare cona- „tum esse.“ Vide ergo, cum quibusnam sentias, si confes- sionis frequentiam potius oppugnare quam commendare audeas. S. IGNATIUS quidem in libello Exercit. annotat. 18. omnibus, piam ducere vitam cupientibus, suadet confessionem octavo quoque die instituendam.

b) An, ut cum fructu confessiones excipias, sedulo adhibes praeparationem *remotam* et *proximam*?

Praeparatio *remota* consistit in comparanda tibi, *quanta postest, maxima scientia et prudentia*, (Rit. Rom.) cum lauta suppellectili patientiae et caritatis. — „Omnes Nostros in vinea Do- „mini adiutores adhortamur in Domino et obsecramus, ut nullus, „quantumvis sibi sapere et expertus esse videatur, studium Theo- „logiae *moralis, canonicae et asceticae*, et quidem secundum „auctores ab ecclesia catholica adprobatos \*), *ulla die* penitus in- „termittat; neque praxi suae, saepe admodum dubiae et falsae, „nimium fidat; sed scientiam Sanctorum ex sacra scriptura, ex „scriptis et exemplis Sanctorum hauriat, ne forte, dum caecus „caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadant.“ (Constit. ec- cles. RATISB. p. 1. c. 4.) \*\*) — Quale tu studium impendis? An *casus reservatos et impedinenta matrimonii* bene memoria tenes? An calles ea, quae pertinent tum ad restitutionem, ad sponsalia et matrimonium, tum ad leges et poenas ecclesiasticas? An saltem si quis ejusmodi casus incidat, scis *sapienter* dubitare, nec imprudens transilis, quin vel animadvertas? Scisne etiam, quo-

\*) Confessariis praesertim junioribus multum proderit: *Neoconfessarius* auctore Reuter S. J., sive *Der Beichtvater*, von Reuter, Regensburg bei Manz; veteranis autem *Casus conscientiae* Bened. XIV.

\*\*) Vide *sententiam S. Alphonsi de Liguorio* pag. 41. in nota citatam.

modo *practice tractandi* sint recidivi et consuetudinarii et qui in occasione proxima peccati versantur? — Vehementer erras, si putes, satis esse, quod olim addiscendae Theologiae morali operam dederis.

Praeparatio *proxima* continetur puritate conscientiae — pia precatio — et bona intentione. — Quenam in his tua agendi ratio? An audes, peccati mortalis tibi conscius, adeoque sacrilege hoc Sacramentum administrare? — An, ut monet Rituale Rom., priusquam ad confessionem audiendam accedas, si tempus suppetat, divinum auxilium piis precibus imploras? — An manus, angelicis etiam humeris formidandum, adis cum Dei timore purissimaque cordis intentione? An solas attendis animas, Christi sanguine redemptas, nec discrimen facis inter divites et pauperes, inter oppidanos et agrestes, inter feminas et mares? An ex prava animi affectione non aegre fers, si poenitentes apud alium confiteantur? „Confessariis omnibus sub poena arbitraria eaque gravi prohibemus, ne quemquam ad sibi solis confitendum inducant, multoque minus voto ad id obligent; imo etiam propensis ad id fovendum vel promittendum dissuadeant et vetent.“ (Synod. COLON. an. 1662.)

c) Qua ratione *confessiones excipis*? — An solerter partes agis *Patris, Medici et Judicis*?

α) An, ut *Pater*, libenter ac benignissime magnos etiam peccatores recipis juxta Salvatoris praeceptum et exemplum? *Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiae.* (Coloss. 3.) — „Mementote a miseris poenitentibus *Patrum* nomine compelli „vos,“ inquit S. Franciscus SALES., „quia re ipsa animum erga ipsos habere debetis vere paternum, recipiendo ipsos summa cum caritate, sufferendo patienter eorum rusticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliasque imperfectiones. Tametsi enim filius prodigus, nudus plane, sordidus et foetidus, ab hara porcorum redibat; benignus tamen pater eum amplectitur, amanter exosculatur et super collum ejus ruens lacrymatur, eo quod esset ipsius pater, et cor paternum teneriori affectu erga filios soleat commoveri.“ Siccine paternum gerens affectum poenitentes patienter audis, et mansuete alloqueris?

An praefers vultum humilem et benignum? nunquam oculos in poenitentes figis? non verbis, signis, suspiriis etc. significas

aliquid tibi in poenitente displicere? an dicentem peccata non interpellas, aut verbum minus gratum ei suggeris, quo cor ejus constringitur, ut reliqua dicere non audeat? An contra compateris et cor poenitentis dilatas et confirmas? — „In confessione habeat „sacerdos vultum humilem et oculos in terram, nec indiscrete „faciem respiciat confitentis, maxime mulieris. — Caveat sacerdos, ut, cum peccator aliquod peccatum enorme dixit, statim „velit eum increpare: quia aliqui ex hoc erubescunt, et sic peccata sua in confessione relinquunt: non ergo arguendus est tunc, „sed, audita confessione, magnitudo peccatorum est insinuanda.“ (Synod. HERBIFOL. an. 1298.) — „Recensentes vero peccata sua, „patienter et attente audiant, timidos confirment, vacillantes instruant, nec si enormia aut turpia peccata protulerint, signum „ullum admirationis, abominationisve suspirando, spuendo, „signando se signo crucis, corrugando frontem, caput agitando „prae se ferant, sed, ac si nihil audirent prorsus hujusmodi, ad „finem usque confessionis dissimulent.“ (Synod. WARMIENS. an. 1610.)

An omni ope juvas poenitentem, ut integre confiteatur sua peccata, remota stulta illa quorundam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent? — Inter Canones a REIGNONE saeculo X. collectos sequens praescribitur modus: „Poenitentem alloqui affectuose debet Sacerdos his verbis: „„Fratr, noli, erubescere peccata tua confiteri. Nam et ego „peccator sum et fortassis pejora, quam tu feceris, habeo „facta“ . . . Videns autem eum Sacerdos verecundantem, rursum prosequatur: „Fortasse, carissime, non omnia quae „gestisti, ad memoriam modo veniunt. Ego te interrogabo. Tu „cave, ne diabolo suadente, aliquid celare praesumas.“ Et tum „eum interroget blande leniterque.“

Ubi cogeri imparatum remittere; an ea benignitate remedia praescribis, ut cordi poenitentis desiderium inhaereat redeundi ad patrem? (*quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi, amplius non redeant.* Catech. rom. p. 2. c. 5. 9. 51.) Sive, ut Leo XII. scribit in Encycl. Jubil., an *blandissime allicis ad redeundum, verbis humanissimis utens?* et an tibi persuasum est, ut ait ibidem Summus Pontifex, *ex imparatis ad absolutionem, paratos saepe fieri posse, si confessarius sciat studiose, manue et*

*patienter cum ipsis agere?* Rigorismus uti et laxismus ordinarius ex eodem nascuntur fonte, scilicet ex caritatis defectu.

β) An ut pius *Medicus* nihil negligis, ut poenitentem sanitati restituas? An, quantum oportet, inquiris in peccatorum speciem, numerum et circumstantias, explicatu necessarias? An bene perpendis, „suscepti muneris partes non implere, imo vero gravioris „criminis reos esse eos omnes confessarios, qui, nulla tacti solitudinis, poenitentes tantum audiunt, non monent, non interrogant; sed expleta criminum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt?“ (BENED. XIV. in Encycl. Jubil.) Cave tamen, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineas, vel ne poenitens ab ipso confessario, omnes sordium angulos vestigante, instructor redeat ad nequitiam? Necessesse est quidem, ut etiam de peccatis luxuriae confessarius interroget, ne aut pudore aut ignorantia celentur: verum „summa prudentia ea de re interroget mulieres aut adolescentes, ne eos, quod „ignorant edoceat, iisque utatur verbis, pudorem minime laudentibus.“ (S. CAROL. BORROM.)

An quasi Samaritanus Evangelicus oleum et vinum, pro ratione mali, vulneribus sauciati infundis, ita ut poenitens dicere possit: *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, siquidem virga percutimur, et baculo sustentamur? An ergo, pro diversa necessitate et indole, correptiones et consolationes adtemperas poenitentibus? — An peccandi occasiones ac radices prudenter et efficaciter removes? An parentes pro opportunitate hortaris, ut religiose educant liberos? An etiam animas bene dispositas suaviter ad christianam perfectionem dirigis, ut *vitam habeant et abundantius habeant?* (Joan. 10, 10.) — Annon erga omnes poenitentes eadem fere adhortatiuncula uteris? Vel an longiori exhortatione fatigas et obruis? S. FRANCISCUS SALES. solebat pauca sed maxime opportuna dicere.

An, ut peritus medicus, *distinguis inter lepram et lepram*, (Deut. 17.) inter humana fragilitate et vera malitia peccantes, inter mere recidivos et inveteratos consuetudinarios?

An ardenti zelo et efficacibus verbis singulos ad dolorem et contritionem adducere conaris, et ad vitam emendandam ac melius instituendam?

An remedia tradis vitandi peccata et superandi tentationes,

qualia sunt: fuga occasionum, frequentatio Sacramentorum, lectio libri spiritualis, meditatio passionis Dominicae, aut mortis, iudicii etc. propositum matutinum, examen vespertinum, frequens oratio et invocatio nominis Jesu et Mariae etc.?

Annon recusas confessioni etiam *generali* aures praebere, nisi tamen cuiquam vere novicam judicares? An, ubi opportuna aut necessaria est, eam quoque praescribis? — An idcirco inquiris nonnunquam de confessionibus praeteritis, utrum validae fuerint? „Poenitentes, de quibus justa potest esse suspicio, quod propter „erubescitiam aliqua peccata tacuerint, interroget, utrum ante- „actae vitae scrupulum aliquem habeant, eos animando ad dicen- „dum omnia. Per has interrogationes solent liberari plures animae a sacrilegiis.“ (S. Alph. de LIGORIO. Theol. moral. Tom. 3. de praxi Confess.)

Si poenitens scrupulis aut alio difficili morbo laborat, an aequè patiens es? — Etsi phreneticus sit, inquit S. CHRYSOST., eo majori opus est mansuetudine, ut videre est in medicis corporis, qui minime irascuntur, licet male habeantur ab ejusmodi aegrotis.

An propter confitentium multitudinem non citius festinas, quam expedit? Quid prodest, multos audire, si male audis? eo plures utique damnabis. Animadvertit Prop. 59. ab INNOC. XI. damnatam: „Licet sacramentaliter absolvi dimidiate tantum „confessos ratione magni concursus Poenitentium, qualis verbi „gratia potest contingere in die magnae alicujus festivitatis aut in- „dulgentiae.“

An salutarem et convenientem satisfactionem imponis *habita ratione status, conditionis, sexus et aetatis et item dispositionis poenitentium?* (Rit. rom.) „Salutares et convenientes (satisfac- „tiones) non sunt, quibus vires poenitentis, spectata spiritus de- „bilitate, non sunt pares; tunc enim illis essent venenum potius „quam remedium. Juvabit quidem graviorem suadere, sed eam „tantum imponere, quae prudenter judicetur a poenitente adim- „plenda.“ (S. Alph. de LIGOR. loc cit.) An poenitentias injungis *medicinales?*

γ) An ut *Judex* meministi, te non hominis exercere iudicium *Sed Domini*, et quodcumque judicaveris, *in te redundare?* (2 Paralip. 19. 6.) An ergo cum animi pace, mentis libertate et sine acceptione personarum illud Domini iudicium exerces? — Noli quae-

*rere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis.* (Eccli. 7, 6.)

An severior, an laxior es? an ita agis, ut amor sit, sed non emolliens; ut rigor sit, sed non exasperans; ut zelus sit, sed non immoderate saeviens; ut pietas sit, sed non plus, quam expedit, parcens? (S. GREGOR. M.) — „Cavenda est conscientia nimis „larga et nimis stricta: nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem.“ (S. BONAVENT. Comm. Theol. de verit. l. 2. c. 32.) — „Meminerint (confessarii) se Justitiae simul et Misericordiae ministros a Deo constitutos esse . . . , nec excedant „ad dextram vel sinistram sive indulgentia sive severitate; proinde „non oscitanter, sed magna cum attentione, circumspectione et iudicio sacramentum hoc administrent., (Synod. PADERBORN. an. 1688.)

In re controversa annon sequeris unum aliquem auctorem quasi infallibilem? Annon temerarie et quasi ex tripode resolvis quaestiones et casus difficillimos? Ubi incertus sententiae es, num, quantum prudenter et sine minima fractione sigilli fieri potest, aliorum sententiam exquiris, vel auctores consulis?

An diligenter consideras, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio; ne absolvas eos, qui talis beneficii sunt incapaces? — „Quando agitur de *occasione proxima*, fortiter se gerat in differenda absoluteione, quousque poenitens occasionem removeat, quando actu existit; et, si occasio „est necessaria, saltem quousque e proxima fecerit remotam, adhibendo media sibi assignata.“ (S. Alph. de LIGOR. Praxis Confess.)

An attendis, ut qui peccata mere venialia sed semper eadem confitentur, verum dolorem ac propositum saltem de uno aliquo habeant, aut ex praeterita vita aliquid gravius, cujus eos vere poeniteat, repetant? *Oh, quot confessiones invalidae (quas in se vera sunt sacrilegia) fiunt, eo quod Confessarii hac in re sunt negligentes!* (S. de LIGOR. ibid.)

d) Quomodo agis cum pueris? — „Cum pueris adhibere debet „confessarius omnem caritatem et modos suaviores, quantum fieri „potest.“ (S. de LIGOR. loc. cit.) — „Prudentes et circumspecti „sint pastores in excipiendis confessionibus puerorum, eosque „non ita perfunctorie tractent aut dimittant, sed sedulo conside-

„rent, ut iisdem a teneris instillent cognitionem, reverentiam et „necessitatem hujus Sacramenti.“ (Resol. Dioec. GANDAV.) — An blande interrogas et juvas, ne peccata reticeant? — Multoties prodest, etiamsi pueri negent se peccatum commisisse, nihilo minus (ac si facti essent) interrogando pergere, v. g.: „Et nunc „dic mihi, quoties haec fecisti? quinquies? decies?“ (S. de LIGOR. ib.)

An damnablem praxin tenes puerorum confessionem et abso- lutionem negligendi, donec ad primam communionem debeant se praeparare? An etiam tibi persuasum est, utilissimum semper, nec raro necessarium esse, ut parvuli pluries quoque per annum animi labes confessione eluant?

An attendis, ut pueris poenitentiam injungas levem et quanto- cius implendam, alioquin oblivioni dabunt? — An etiam curas, ut ad primam communionem accessuri praeteritas confessiones repe- tant, cum non adeo raro accidat, ut invalidae fuerint?

e) Quomodo agis cum *juvenibus*, qui de ineundo *vitas status* deliberant? — An in hujusmodi consilio dando caves ab omni pravo affectu, et prae omnibus intendis Dei laudem et salutem animarum? An nemini obtrudis quod tu cupis, sed eum statum suades ad quem Deum vocare prudenter existimas? An summam hac in re cautionem et prudentiam adhibes? Nam *certain vitas genus constituere*, ait S. GREGOR. Naz. Orat. 23., *est res tanti mo- menti, ut totius vitae vel recte vel male traducendae fundamen- tum in eo sit positum* \*).

\*) Monet S. Alphonsus de Ligor., ut confessarii non nimis facile *status sacerdotalem* suadeant vel permittant. Nam, „ut quis bonus „evadat sacerdos in seculo,“ verba sunt Sancti, „oportet ut prius egerit „vitam valde exemplarem remotam a ludis, ab otio, a pravis sociis, et „aditam orationi et sacramentorum frequentiae; alioquin se ponet in „statum quasi certae damnationis; praesertim si hoc faciat, ut obtempe- „ret parentum fini, qui est, res domesticas angere.“ — De iis vero, qui *ordinem religiosum* ingredi volunt, ait: „Ante omnia curet Confessarius „bene ponderare, in qualem ordinem quis ingredi cupiat; nam si inati- „statum illud relaxatum est, melius erit (ordinarie loquendo), ut in se- „culo remaneat.“ (Theol. moral. T. 3. Praxis Confess. c. 1. n. 92, 93.) — Ibidem c. 10. Sanctus monitum subiungit: „Caveant etiam et diligenter „caveant confessarii dissuadere aliquem adolescentem a vocatione reli- „giosa propter humanos respectus; quod excusari non potest a peccato „mortali, ut docet S. THOMAS. („Quodlib. 3. art. 14.) Quid, quot Confes-

f) Quomodo agis cum *sacerdotibus* tibi confitentibus? — „In „excipiendis Sacerdotum confessionibus reverenter se gerat, sed „etiam fortiter in faciendis debitis correctionibus et in deneganda „absolutione, quoties oportet.“ S. de LIGOR. (Prax. Conf. c. 10.)

Res maximi sane momenti est Sacerdotum confessiones excipere. Terribilem Deo reddet rationem confessarius sacerdotis, si oscitanter hoc munus exercet. Cogitet saepe, sibi totam simul parochiam imponi, dum pastori confitenti aures praebet.

An absque humano respectu cum sancta libertate spiritus et sermonis agis cum eo, qui est tuus confrater et amicus vel etiam superior et confessarius? Estne tibi ea animi celsitas, quae S. Augustino inerat, cum scriberet: *Senti de Augustino quidquid libet, dummodo conscientia mea in oculis Dei me non accuset!* (l. contra Manich.)

Annon damnabiles excusas abusus, licentias et legis ecclesasticae transgressiones, eo quod talis sit multorum consuetudo; cum scias tamen, *Christum veritatem se non consuetudinem cognominasse?* (TERTULL. de veland. virgin. c. 1.)

An tibi non sufficit qualiscunque accusatio; sed, ubi opus est, an etiam *interrogas?* an inquiris in *occasiones proximas* peccati easque rescindis? an dirigis ad perfectionem sacerdotalem et stimulas, praescribendo etiam poenitentiae loco v. g. meditationem quotidianam, lectionem piam, examen conscientiae etc.? — An

„sarii imperiti sine ullo scrupulo abstrahunt juvenes a vocatione ad statum magis perfectum, nulla alia ratione ducti, quam ut placeant eorum „propinquis, asserendo filios teneri praestare obedientiam genitoribus!“

Signa vocationis ad *statum religiosum* ex S. Francisco Salesio et aliis vitae spiritualis Magistris sunt potissimum:

1) Sincerum desiderium ac vera voluntas tendendi ad perfectionem per consilia evangelica. *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus et veni, sequere me.* (Matth. 19.)

2) Pax et serenitas animi, dilatatio cordis et major alacritas spiritualis, quoties serio cogitatur de statu illo amplectendo, etsi naturam subeat aliquis timor vel repugnantia.

3) Quando Deus videtur interius promittere gratias, quae necessariae sunt ad implenda ea, quae status ille requirit; ita ut status ille non credatur nimis difficilis, contra multo aptior procurandae propriae et aliorum salutis.

4) Quando dotes ingenii, indolis et corporis videntur congruere cum tali statu, de quo imprimis Superiorum Ordinis est iudicare.



immediate ante vel post confessionem non inanem confabulationem cum poenitente instituis?

g) Qualem geris curam, ne cui *odiosum reddatur* Poenitentiae Sacramentum? — „Sigillum confessionis est secretum secretorum, „fundatum in jure divino, naturali et humano, complectiturque „quidquid in confessione dictum aut factum est, etiam impertinens, aut parvi momenti, per quod in cognitionem vel suspicionem alicujus peccati deveniri potest. — Poena frangentis sigillum confessionis est 1) Peccatum mortale. 2) Depositio. 3) Poenitentia perpetua in arcto monasterio, quin et capitis damnati „sunt Sacerdotes, qui ex confessione peccatum manifestarunt.“ (Ritual. MONACO-FRISING.)

An nunquam aliquid agis, ex quo poenitens aut alius rationaliter suspicari possit, te notitia peccatorum, in confessione explicatorum, usum esse? — An nunquam temere aut inconsiderate de confessione, de conscientiae casibus, de loquendi poenitentium modo, de eorum stupiditate aut similibus loqueris, praesertim coram laicis, jocandi gratia, ex quo, etiamsi non periclitaretur sigillum, scandalum vel suspicio oriri solet? — „Serio advertant Confessarii, ne de confessionibus, peccatis et casibus in iis „auditis, aut injunctis poenitentibus, multo minus de ipsismet poenitentibus, aut eorum qualitatibus (etiamsi non nominent personas) mutuo conversentur aliis praesentibus, nec in genere „quidem loquantur: cedit hoc in grave scandalum, terrorem et „offensionem audientium, in odium et vilipendium tanti Sacramenti, in diminutionem pietatis, dignumque est severissima „castigatione.“ (Ritual. MONACO-FRISING.)

Cave iterumque cave, ne in re tanti momenti sis *laxae* conscientiae: diligenter tua dicta et acta discute.

An nunquam nomen *complicis* exquiris, — aut quidpiam aliud, ad quod Confessarius nullum jus habet? — An mentis distractione aut somno causam praebes, ut poenitens id quod sufficienter declaravit, iterum repetere debeat?

Annon altiori voce vel increpantis tono loqueris cum periculo frangendi sigilli, et poenitentes a sincera confessione deterrendi?

An inconsulto poenitentem non remittis ad suum ordinarium Confessarium, cum periculo ut peccata retineat? Imo ut faciliorem reddas conscientiae manifestationem, an extraordinarios sive

exteros quoque confessarios populo interdum procuras, v. g. occasione magnae solemnitatis aut concursus? Pro libertate conscientiae, pro innumeris saepe sacrilegiis vitandis, hanc rem momenti maximi duxerunt viri sanctissimi.

b) Quomodo *propriae salutis* prospicis, dum curas alienam? — An ea humilitate, cordis compunctione et caritate confessiones excipis, ut aliena accusatio tibi prosit ad spirituale profectum? — „Presbyteri, quando fidelium recipiunt confessiones, humiliter se debent, et cum tristitiae gemitu lacrymisque orare, non solum pro suis delictis sed etiam pro fratris casu. Ait enim „Apostolus: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?*“ (Canones REGINONIS saeculi X.)

An in audiendis confessionibus, feminarum praesertim, sollicite caves ab omni familiaritate aut sensuali affectione? an ex omnibus verbis paterna quaedam et spiritualis gravitas elucet? an earum confessiones sub praetextu directionis spiritualis non nimium protrahis? An nunquam committis, ut eas audias domi vel loco clauso aut obscuro? — Saepissime inculcant Synodi et Ritualia et Constitutiones dioecesanae, idque haud immerito, ut confessiones saltem feminarum extra casum infirmitatis nunquam audiantur nisi in Ecclesia, in conspicuo loco, et crate media inter confessarium et poenitentem, nec unquam in tenebris nisi admoto lumine.

An accedens ad confessionale, vel in eo sedens, caute custodis oculos? An adversus tentationes te munis pia oratione et recordatione Novissimorum?

### **Extrema Unctio. — Cura Infirmorum et Exequiarum.**

a) An pro opportunitate parochiales tuos instruis de multiplici huius sacramenti efficacia, eosque hortaris, ut teipsum admoneant, cum aliquem in parochia aegrotare contigerit, praecipue si morbus gravior fuerit?

An curas, quantum potes, ut Extrema-UNCTIO non nimis diu differatur, sed adhibeatur, cum adhuc integra mens et ratio viget? —

Annon quibuscunque infirmis eam confers, sed solum *illis, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mor-*

*tis periculum imminere videatur, et ite, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate? (Rit. rom.)*

An aegros ad fructuose hoc Sacramentum suscipiendum, quantum opus est, instruis ac disponis? — An caves, ne Sacramenti formam prius absolvas, quam *ambo* paria membra perunxeris? An ea, qua par est, devotione et decencia illud administras?

b) An aegrotos, ultimis etiam Sacramentis rite munitos, frequenter visitas, ut eos contra insidias inimici robores, in gratia Dei confirmes, in doloribus juves, in anxietatibus consoleris, eosque iteratis etiam vicibus a peccatis absolvas? — Vae, vae tibi! si aliquando audire debeas: Discede a me, maledicte in ignem aeternum, quia infirmus eram et non visitasti me. (Matth. 25.)

An vocatus ad infirmum, non differs, non moras nectis, non indulges somno aut otio? — An, eo quod morbus prius videatur minus notabilis, aegrum non negligis; sed nonnunquam inquiris, utrum morbus ingravescat, periculum imminet? Nam saepe fit, ut qui curam aegri gerunt, credant se abunde fecisse, si *semel* parochum monuerint. — An e parochia non discedis, dum infirmi fors opera tua indigent, dum de illorum aeternitate res agitur, dum diabolus quam maxime vigilat, ut eos perdat? — An semper curas, ut periculo imminente, facile admoneri et adesse possis?

„O! si per culpam tuam una tantum anima gratia sanctificante, in ultimo periculo, privaretur; si per negligentiam tuam absolute, sacro viatico, ultima unctione careret, et idcirco criminibus cooperta coram Deo sisteretur, et iudicata damnaretur; quale crimen commisisses! qualis ultio te maneret! In saecula saeculorum malediceret tibi perdita anima.“ (Ex Memoriali vitae sacerdot. c. 50.)

An frequenter et attente legis ea, quae in Rituali de *visitatione et cura infirmorum* habentur, teque attente examinas, num in iis servandis diligens sis, maxime in sequentibus Statutis: „Parochus cum primum noverit, quempiam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, non expectabit, ut ad eum vocetur: sed *ultro* ad illum accedat, idque non semel tantum sed saepius, quatenus opus fuerit. — Ad hoc juvabit, praesertim in amplis parochiis, aegrotorum notam seu catalogum habere, ut cuiusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam fa-

„cilius retinere, et illis opportune subvenire possit. — Quodsi  
 „parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures  
 „sunt, visitationi interdum vacare non potest; id praestandum  
 „curabit per alios sacerdotes aut saltem per laicos homines pios et  
 „christiana charitate praeditos. — Aegrotos visitans, ea qua Sa-  
 „cerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, ut non  
 „aegris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad  
 „salutem. — Eorum vero praecipuam curam geret, qui humanis  
 „auxiliis destituti benigni ac providi Pastoris charitatem et operam  
 „requirunt. — Accedat autem ad aegrotum ita paratus, ut in  
 „promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac praesertim  
 „Sanctorum exempla quae plurimum valent, quibus eum in Do-  
 „mino consoletur, excitet ac recreet. — Deinde qua par est *pru-*  
 „*dentia et charitate* hominem ad sacram confessionem inducat et  
 „confitentem audiat, etiamsi velit totius vitae peccata confiteri. —  
 „Quodsi aeger aliquis adduci non potest, ut velit peccata sua con-  
 „fiteri, tunc non omnino desperanda res est, sed quamdiu ille vi-  
 „vit, repetendae sunt frequentes, variae et efficaces Sacerdotum  
 „et aliorum piorum hominum exhortationes; adhibendae sunt  
 „etiam tum privatae tum publicae ad Deum preces ad divinam gra-  
 „tiam impetrandam pro salute miseri decumbentis. — Proponet  
 „aegrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas breves orationes, et  
 „pias mentis ad Deum exercitationes; opportune tamen et *dis-*  
 „*crete*, ne aegroti molestia sed levamen afferatur. — In Graves-  
 „cente morbo parochus infirmum frequentius visitabit, et ad sa-  
 „lutem juvare non desinet, monebitque instante periculo se con-  
 „festim vocari, ut in tempore praesto sit morienti. — Si aegrotus  
 „indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit,  
 „eam illi reducat ad mentem, proponatque quid ad eam conse-  
 „dam agi debeat, praesertim ut contrito corde sanctissimum no-  
 „men Jesu semel vel saepius invocet.“ (Rituale rom.)

An omnem operam ac sollicitudinem impendis, ut valida sit moribundi confessio? An diligenter et caute interrogando inquiris, num peccatum aliquod, a multis jam annis celatum animum angat et cruciet? — „O quanta vulnera saepius invenies! Quales iniquitates, quas, nisi prudenter extorseris, retinebunt aegroti usque ad mortem, et quae cum illis in pulvere dormient! — O quale servitium praestitisti, si abominabile hoc secretum fregisti!

Qualem consolationem infirmo suppeditasti! Quale obstaculum ad salutem amovisti! beatus eris, o fili! si id feceris.“ (Memor. vit. sacerd. c. 50.)

An paterna cura prospicis, ut aegroti, etiam S. viatico jam muniti, in praesidium contra tentationes, quae tempore mortis magis urgent, iterum ac tertio S. Communionem reficiantur, praesertim si ipsimet exposcunt, et morbus est diuturnior? — „Episcopus insinuet parochis, posse et debere sanctissimum viaticum, in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, praesertim si ipsimet aegrotantes iterum coelestem illum panem esuriunt.“ (BENED. XIV. de syn. dioeces. l. 7. c. 12.) — An hortaris infirmum, etiamsi graviter non aegrotet, ut sacram communionem sumat, maxime si festi alicujus celebritas id suadeat? (Rit. rom.) — An illud quoque observas, ut praeter S. Viaticum, quod pluries etiam non jejunis dari potest, S. Eucharistiam infirmis *ante omnem cibum et potum administres, non aliter ac caeteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet.* (Rit. rom.) (Lex haec ecclesiastica graviter obligat ex communi Theologorum sententia, nec habet confessarius facultatem dispensandi.)

An, quantum in te situm est, in ultimo vitae momento, a quo pendet aeternitas, moribundis ut pastor et pater sedulo assistis? — Noli deserere oviculam; instat enim draco infernalis, *habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.* (Apocal. 12, 12.)

An specialem curam geris de pueris morti proximis, cum malitia saepe suppleat aetatem?

c) An *sacras caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione et summorum Pontificum institutis sancta Mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam vera religionis mysteria, Christianaeque pietatis signa et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, summo studio servas atque usu retines?* (Rit. rom.)

An sepulturae vel exequiarum seu anniversarii mortuorum Officii causa nihil pacisceris, aut tanquam pretium exigis, sed *is elemosynis contentus es, quae aut probata consuetudine dari solent, aut quas Ordinarius constituerit?* (Rit. rom.) — „Pauperes, vero, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis

„impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur, ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit iuxta loci consuetudinem.“ (Ibid.)

An audes ecclesiasticam sepulturam dare, quibus per Canones non licet? (Quinam ipso jure excludantur, vide in Rituali rom. de exequiis.) —

Ubi vero in ejusmodi casu dubium occurrerit; an Ordinarium consulis, aut, si locus remotior et periculum in mora sit, an ad Decanum recurris? \*)

### Matrimonium.

An ea, quae a Potestate ecclesiastica et civili circa sponsalia et matrimonia legitime ordinata sunt, memoria tenes et accurate observas?

An in re tam gravi litem, si qua oritur, non temere decidis, sed a competenti iudice siue Ordinariatu resolutionem expectas?

An parochianos prudenter et opportune instruis de sanctitate hujus sacramenti et de conditionibus illud rite suscipiendi? — „Adolescentes et puellae a Parochis graviter et saepe moneantur, „suos Parentes honorare, ut illis insciis aut invitis Matrimonium „inire non praesumant; sed et parentes monendi, ut ne liberos

---

\*) Ut Haeretico, Schismatico aut publice Excommunicato contra sacerorum Canonum Decreta sepultura ecclesiastica impertiatur, vel pro eo defuncto publica suffragia fiant; non juvat qualiscunque praesumptio, quod in *bona fide* aut cum poenitentiae signis ex vita decesserit, et ideo coram Deo probabiliter absolutus sit. Obstat enim inviolabilis Ecclesiae disciplina. Consulatur Cap. 28. *de sententia excommunic.*, quo expresse vetatur, ne *pro tali a fidelibus* (publice) *oretur*. Nec prodest, quod apud Deum forte culpa solutus sit. Nam *judicium Dei*, ait ibidem Innocentius III., *veritati, quae non fallit nec fallitur; semper innititur: judicium autem Ecclesiae* (de personis, non de dogmate aut facto dogmatico) *nonnunquam opinionem sequitur, quam et fallere saepe contingit et falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: et qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus. . . Unde quantacunque poenitentiae signa praecesserint, si tamen quis morte praevenit absolutio non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.*

„ad certa matrimonia vi quadam vel severitate vel minis adigant.“  
(Synod. AUGUST. an. 1610.)

An matrimonio jungendos suavi et convenienti modo interrogas circa doctrinam christianam, impedimenta etc.; eosque, quantum opus est, pie ac prudenter edoces, quomodo caste et sancte conjugium inire, in eoque christianæ degere, se suosque sanctificare debeant? An nunquam matrimonium eos contrahere sinis, qui fidei rudimenta ignorant?

An sponso studiose hortaris, ut ante matrimonium confessione *generali* praeteritæ vitæ noxas eluant? — Multum id cordi habeat parochus, nihilque negligat, ut hanc piam consuetudinem introducat; alioquin facile accidet, ut conjuges, peccatis juventutis, quæ nunquam rite confessi sunt, onusti, infeliciter vivant ac infelicius moriantur. — An etiam curas, ut confessionem non differant in ultimam diem vel horam, qua dispensatio ab occulto fors impedimento nequit amplius ante copulationem obtineri, nec sine offensione et scandalo matrimonium prohiberi potest? — Monesne sponso, ut ante conjugium *in eadem domo non cohabitent, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis vel aliis presentibus?* (Rit. rom.)

An omni, qua potes ope, laboras, ut ab inito conjugio quamprimum assuescant modo sive ordini alicui pro frequentatione sacramentorum, pro quotidiana precatione in communi, si fieri potest, pro bene servandis dominicis diebus et festis, pro frequentandis officiis divinis, pro cura domesticorum etc.? Haec optima sane via est benedictiones etiam temporales promerendi: innumerae contra et omnis generis miseriae praedici possunt, nisi vigeat in familia Dei timor religionisque honos. An curas, quantum res exigit, ne parentes prolem diversi sexus in eodem lecto cubare patiantur? — In synodo FULGINATENSI an. 1722. recensetur inter casus Episcopo reservatos eorum delictum, qui, curam gerentes filiorum aut nepotum diversi sexus, permittunt, eos simul, mares nimirum et feminas septennio majores, in eodem lecto cubare. *Nec vero paupertatis angustiae habitacionis excusationi locus facile relinquatur*, ait S. Carolus BORROM. (Conc. Mediol. 4.) occasione similis prohibitionis, *quominus istius modi impuritatum occasio omnis praecedatur; cum humi potius atque adeo sub dâ jacere satius esset.* (ap. BENED. XIV. de synodo dioec. L. 11. c. 4.)

An proclamationes facis tribus continuis diebus festivis inter *Missarum solemnia* (TRID. Sess. 24. c. 1. de ref.), nec ullam unquam propria auctoritate omittis? An nuptias benedicis uti in Rituali praescribitur in *Ecclesia*, sub vel post *Missam*? An tempore, ab Ecclesia prohibito, abstines a nuptiarum benedictione? An in libro seu registro omnia, quae notari jubentur, accurate et absque mora inscribis?

An nulli parcis curae et labori, ut parochianos tuos avertas a *mixtis* connubiis, ex quibus tot ac tanta mala in Ecclesiae et animarum perniciem dimanant? An ideo, uti hortatur S. S. Dominus noster Gregor. XVI., (litter. apost. ad Archiep. et Episc. Bavariae) *assumis gladium spiritus, quod est Verbum Dei, totisque animarum viribus gliscentem errorem (impium indifferentismum) eradicare contendis?* Catholicae enim fidei atque unitatis, ad consequendam salutem tenendae, necessitas si fuerit, impressa in „cunctis fidelium animis alteque defixa,“ ait ibidem summus Pontifex, „haud facile deinceps irrita erunt monita atque adhortationes, quibus ipsos avertere conabimini a nuptiarum foedere, cum haereticis conjungendo.“

Graves sunt hac de re Synodorum ad parochos adhortationes et mandata. Sufficiat hic Decretum synodi WARMIENSIS sive ERMELANDIAE an. 1610.: „Parochis nostris ea, qua par est, se, veritate praecipimus, ut nullum finem ab hoc proposito (in, eundi connubia mixta.) amovendi populum pro concionibus faciant, ostendantque, quam graviter peccent, quamque crudeliter parentes cum filiis et filiabus suis agant, dum, quos ex propriis visceribus genuerunt, post tot annorum susceptos pro ipsis in educando labores, tandem in aeternae damnationis barathrum miserandum in modum praecipitent, non attendentes, nihil prodesse homini, si totum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur.“

Si mixta illa connubia omnino impedire non potes, an saltem summo curas studio iis praemitti „opportunas cautiones, non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti non possit, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eo conjugio procreanda, in catholicae religionis sanctitate omnino educetur. Cum enim non ecclesiastica solum, sed naturalis ac divina prorsus lex



„impediat, quominus vir mulierve in nuptiis contrahendis se aut  
 „futuram sobolem periculo perversionis temere committat: exinde  
 „sane exploratum est, omnes eas cautiones idcirco praescribi et  
 „adhiberi, ne simul cum canonicis sanctionibus naturalis quoque  
 „ac divina lex impio ausu violetur.“ Ita Instructio Romae data  
 ad Archiep. et Episc. Bavariae an. 1832. — Ex quibus verbis patet,  
 memoratas ibidem cautiones adhibendas esse, ne *naturalis ac di-*  
*vidua lex impio ausu violetur*: videant ergo, qui, iis vel earum ali-  
 qua praetermissis, nuptias comprobare vel benedicere audeant,  
 qua ratione sese apud Deum, suae Legis severum Assertorem ac  
 Vindicem, excusent. Nulla certe civilis aut ecclesiastica potestas,  
 nulla boni pollicitatio nec ullius intentatio mali quempiam a natu-  
 rali et divina lege dispensare potest.

### 3. Caetera munia Parochi et Decani.

*Tot tantaque sunt Pastorum obligationes, ait vir eximiae pie-*  
*tatis, Magister AVILA, ut qui vel tertiam earum partem reipsa*  
*impleret, sanctus ab omnibus aestimaretur, cum tamen eo solo*  
*contentus Gehennam non sit evasurus.* — Ne ergo tibi satis sit,  
 quod passim zelosus habearis parochus; sed quae tibi implenda  
 sunt universa probe considera, ne quid per desidiam aut inadver-  
 tentiam negligas.

An observas residentiae leges ac Statuta? (Vide Conc. TRI-  
 DENT. Sess. 23. c. 1. et Sess. 6. c. 1. de reform. et Constitutiones  
 tuae dioeceseos.) An absentias non leviter multiplicas? Annon  
 diutius a parochia abes sine gravi causa vel legitima licentia? Cum  
 autem justa de causa abes; an alius pastor idoneus vices tuas sup-  
 plet? Vide, ne in te cadat saeva illa exprobratio: *O Pastor et ido-*  
*lum, derelinquens gregem!* (Zachar. 11, 17.)

An etiam aliquoties aut semel saltem quovis anno oviculas tuas  
 ipse visitas? Commendant id passim synodales aut dioecesanæ  
 Constitutiones; neque levior tibi res haec videtur. Paterna enim  
 visitatione devincies tibi parochianorum animos, solaberis moes-  
 tos, firmabis vacillantes, pacem inter dissidentes compones, pa-  
 tresfamilias monebis de bene educanda prole ac sedulo ad scholam  
 et catechesin mittenda, denique bona et mala de tuo grege compe-  
 ries. *Sin autem visitationem negligis; eris peregrinus inter tuas.*

Illud ergo apud te constitue: *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas.* (Ezech. 34, 11.)

An singulis annis solerter inquiris, utrum omnes parochiani praecepto communionis paschalis satisfecerint?

An curas etiam tuo gregi extraordinaria salutis subsidia pro viribus procurare? „Quando in aliqua urbe,“ verba sunt S. Alphonsi de LIGORIO, (Prax. Confess. c. 10. §. 2.) „cernuntur ne„tabilia inconvenientia, quibus parochus nequit afferre remedium, „ipse tenetur omnem curam adhibere ad *Missionem* obtinendam. „Parochus vero ille, qui rejicit Missiones, magnam ingerit suspi„cionem suae probitatis.“ Si per Missiones aliud non efficeretur, quam ut innumerae confessiones sacrilegae emendarentur, nunquam satis commendari possent. Felix ille Pastor, in cujus potestate situm est, illud tam grande Bonum suo gregi procurare! Securius certe ex hac vita migrabit, si eo in salutem ovium usus sit.

Quomodo curas libros sive codices, quos accurate conscribendos habes: v. g. librum baptizatorum — confirmatorum — conjugatorum — defunctorum — status animarum? (Consule de his Rituale rom. aut dioecesis.) — Estne tibi etiam, diligenter exaratus, liber foundationum et anniversariorum — liber confraternitatum — liber decretorum, quo omnia decreta sive Episcopi sive Gubernii, quae parochi servanda sunt, inscribuntur, — liber piarum consuetudinum tuae parochiae, ne tuus successor a solo aedituo edoceri debeat? — Cum dicti libri sint plerique documenta publica maximi momenti: summa cura asserventur, et successoribus integri et inviolati relinquuntur.

An honorum Ecclesiae, tibi commissae, sedulam curam geris, ne minori studio ac diligentia procures, quae Dei, quam quae tua sunt? Quomodo ea administras? An curas omnes tuae Ecclesiae possessiones, omnia jura et privilegia sarta tecta servare? An scripturas eo spectantes in archivo diligentissime asservas? An attendis, ne redditus male dilapidentur, ne ruinosae fiant aedes, ne corrumpantur sacra paramenta, ne quid, ad Ecclesiam pertinens, fraudulenter surripiatur aut per incuriam depereat? — Multum erras, si putes, ad te nullatenus spectare, quae ab aedituo vel provisoriis curanda sint. — Habesne *Inventarium suppellectilis sacrae*, in quo diligenter notas, quae ad Ecclesiae ornamen-

tum donantur vel coëmuntur? An omnes registri, rationes et tabellae sunt bene ordinatae?

---

Nihil magis ecclesiasticam disciplinam enervat, quam si delicta maneat impunita, nec quidpiam reformidandum habeant. *Impunitas incuriae soboles, insolentiae mater, radix impudentiae, transgressionum nutritrix. . . Impunitas ausum parit, ausus excessum.* (S. BERNARD. de consid. l. 3. c. 5. et l. 4. c. 6.) Puniri vero nequeunt quae latent, quae nemo notat, nemo observat. Necessae est igitur, ut *Decani* rurales, qui maximae Cleri parti invigilare debent, omnes officii sui partes fideliter expleant, secus torpescet vigor disciplinae et languescet regimen animarum. Idcirco si grave illud onus ab Episcopo tibi commissum est; rationem serio a te postula, et tecum perpende, num assidua sollicitudine in eo sustinendo desudes.

An cunctis praeluces vitae integritate, zelo animarum, charitate, modestia, observantia totius ecclesiasticae disciplinae? Quomodo enim in aliis reprehendes, quae ipse facere non vereris? „Decani rurales quia sunt quodammodo pastores pastorum, et „alios exemplo, consilio, verbo et opere juvare tenentur, non nisi „viri prudentes, docti, vitae probatae multaeque experientiae esse „debent.“ (Synod. CONSTANTIENS. an. 1609.)

An pro mandato tibi munere, Clero tuae regionis solerter invigilas, quae emendanda sunt investigas, paterne arguis, corrigis, et, si res postulat, quantocius ad Reverendissimum Episcopum refers, ut malo tempestive remedium afferri possit? — Cura ampla et extensa per sacros canones Decanis tribui solet. „Solicite ac „prudenter de Pastorum, sacerdotum, custodum, ludimagistro- „rum, sedituorum seu provisorum ac ministrorum Ecclesiae vita „ac conversatione inquirant: num scilicet illi in functionibus suis, „celebratione Missarum, verbi divini praedicatione, Sacramen- „torum administratione, catechismi doctrina, Horarum persolu- „tione, decencia morum, victus ac vestitus ratione, studii assi- „duitate, et alii similiter pro ratione functionis suae officio suo „satisfaciant, ac quid ubique locorum desit aut desideretur, ac- „curate considerent, ut ea ad Episcopum referre possiat.“ Ita

synod. OSNABRUG. an 1630. — Ante omnia consule constitutiones tuae Dioecesis, ut, quae muneris tui sint, ediscas.

An caves in obeundo tuo munere a duplici scopulo, *ab ira et molliori affectu? Is iudicii censuram enervat, illa praecipitat. Turbatus prae ira oculus clementer nil intuetur; suffusus fluxu quadam et muliebri mollitie animus rectum non videt. Non eris innocens, si aut punias eum, cui forte parcendum esset, aut parcas ei, qui fuerat puniendus.* (S. BERNARD. de consid. l. 2. c. 11.)

Vae illis, qui contenti honore, laborem detrectant! „Si „enim ii, qui *alterius episcopi oculi* nomine veniant, luscii fue- „rint, et coecorum more Cleri, suae curae commissi, indulse- „rint excessibus: probe meminerint tales officii sui neglectores, „in die ultionis ab ipsis reddendam esse rationem supremo Ju- „dici de omni jactura, quam ex eorum conniventia vel negligen- „tia passus fuerit ager Domini.“ (Constit. dioec. RATISB.)

### **Oratio Poenitentis ad Christum \*).**

In unione acerbissimi doloris tui, Domine Jesu Christe, confiteor tibi omnia peccata mea, et dies perditos vitae meae, in quibus te offendi, et a te summo Bono cecidi, et proximum in casum traxi. Suscipe ergo, Domine, de mea misera vita residuum annorum meorum: pro his vero, quos male vivendo perdidisti, cor contritum et humiliatum, Deus, ne despicias. Dies mei declinaverunt, et perierunt sine fructu. Impossibile est, ut eos revocem; sed placeat tibi, ut recogitem illos in amaritudine animae meae. Domine, abyssus profundissimae miseriae meae abyssum invocat altissimae misericordiae tuae. Ne contineas in ira miserationes tuas, et fontem inexhaustum misericordiae tuae circa me exsiccari ne permittas, qui misereris omnium, et nihil odisti eorum quae fecisti, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam. Tuum est, Domine, remittere peccata: miserere mei, dum tempus est gratiae et miserationis; et dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

Rogo te propter temetipsum, et per amorem piissimae Matris

\*) Excerpta ex S. Bernardo, Tom. 3. ejusdem Operum.

tuae, gloriosae Virginis Mariae, et per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, ignosce omnibus peccatis, negligentis et ignorantis meis, et ne perdas me cum omnibus iniquitatibus meis. Recordare, Domine Jesu, quia tuum non est perdere quidquam eorum, quae Pater tuus dedit tibi; quin tibi proprium est misereri semper et parcere. Ne permittas me deleri de libro vitae: sed conserva me, opus tuae pietatis, ne incassum circa ipsum laboraveris, neve infructuosa sit in me immaculati cruoris tui effusio. Tu, qui es purificationem faciens peccatorum, praesta, ut, emundatis per te peccatorum sordibus, illustrataque mentis facie, cognoscam te, teque agnoscens in dilectione jugiter ad te tendam, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, Jesu Christe, Deus meus et Dominus meus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis etc.

#### **Alla Oratio \*).**

O Fili Dei vivi, Rex gloriae Jesu Christe, miserere mei vilissimi peccatoris. Ego enim etiam vita ipsa indignus sum, qui tibi hactenus tam ingratus fui, et non timui, pro momentanea delectatione explenda, ea committere, quae tu expiare sanguine tuo, ac luere morte tua deberes. Et ad quem, o dulcissime Jesu, ad quem ego innumeris onustus peccatis refugere possum, nisi ad te, misericordia plenum? Itaque omnia mala mea, omnem ingratitude, inobedientiam et immortificationem meam in abyssum divinae clementiae tuae cruentaque vulnera tua projicio. Ita, quaeso, haec pretioso sanguine tuo diluere, et meritis acerbissimae passionis tuae expiare digneris, ut nulla eorum apud te memoria perseveret.

O amabilis Jesu, et unicum solatium meum! en accedo ad te plenus desiderio te ferventer diligendi, et cuncta, quae me a tuo possint amore abstrahere, evitandi. O quantum me amasti et amas! Ut me redimeres, naturam meam sumsisti, et factus es frater meus; ut ego exhilararer, tristatus es; ut ego sanarer, vulneratus es; ut ego mundarer, purissimum sanguinem tuum fudisti; ut ego viverem, mori non recusasti. Et quomodo, Deus meus, tam corde coecus esse potui, ut aversus a te, a quo mihi salus omnis et bona cuncta procedunt, ad terrena caducaque me

---

\*) Ex *Operibus V. Ludov. Bloisii*, Abbatis.

converterem, ex quibus non nisi perditio et omnis miseria ad me redit? Mirum valde est, quod mihi jam aliud cogitare libeat, quam immensa, quae mihi praestitisti, beneficia; aut in aliqua alia re solatium et animi recreationem quaerere, quam in sacratissima vita ac passione tua, dulcissimisque et vere mellifluis vulneribus tuis. O piissime Jesu! adjuva et conforta me, fragile figmentum tuum. Tu es omnis spes mea. Quantum me perturbant et dejiciunt peccata mea, tantum me exhilarat et erigit immensa bonitas sanctissimaeque passio tua. Quidquid enim ego deliqui, morte tua acerbissima abolitum est. Quidquid mihi deest, merita sacratissimae passionis tuae abunde adimplent. Et licet magna atque innumera sint peccata mea, parva tamen sunt, tuae immensae collata misericordiae. Unde et confido de infinita pietate tua, quod me nunquam perire sines, quem ad imaginem et similitudinem tuam creasti, tantoque labore ac tam caro redemisti pretio.

Ah, bone Jesu! vulnera, obsecro, cor meum jaculo amoris tui, ut tam ardentem te diligam, quam ardentem ipse a me vis amari. Exure et liquefacito me totum, ut totus in me deficiam, totusque per amorem in te transformer, ac tecum unus spiritus efficiar. Ecce resigno et relinquo me totum tuo beneplacito. Fiat, Domine, fiat in me et de me gratissima voluntas tua nunc et in perpetuum. Amen.

### **Oratio ad B. V. Mariam.**

O felix Maria! Tu Mater Dei, tu Mater rei; tu Mater Judicis, tu Mater exulis: cum sis Mater utriusque filii; ne sinas filium reum damnari per Filium Deum, sed per filium Judicem recipe filium exulem in patriam; o felix Maria!

### **Oratio Clerici,**

renovantis Proposita in sacris Exercitiis concepta \*).

Deus, qui indignum famulum tuum in ultimis sacris Exercitiis ad sincerum tui amorem inflammare, atque ad constantiam in

---

\*) Qui in pio secessu sacra Exercitia peregit, magno cum fructu orationem hanc quotidie aut saltem semel quavis hebdomada recitabit. Nihil enim facilius est, quam ut, plurimis iterum curis ac sollicitudinibus distentus, fervorem ac lumen, sacris meditationibus conceptum,

virtute ac honestate clericali sanctissimis Propositis tua inspiratione praemunire dignatus es, fac, ne fructus tantae miserationis in me pereat: concede, nova confortante gratia, ne summam illam gratiam in vacuum receperim; et confirma quod operatus es in me; ne terra tam saepe venientem super se bibens imbrem, si non nisi spinas ac tribulos proferat, reprobata fiat et maledicto proxima. Suscipe proin haec mea Proposita \*), quae coram throno divinae Majestatis tuae renovo, et contrito ac humili corde, Deus meus et omnia, ex motivo veri erga te amoris tibi offero; et ut largitus es ad ea concipienda tibi que offerenda, sic etiam ad exequenda gratiam uberem largiaris.

---

brevissimo tempore perdat, nisi studeat sese ipse ad ea, quae Deo promisit, servanda continuo excitare ac stimulare.

\*) Hic relege aut mente revolve Proposita, facta in S. S. Exercitiis.

---

# PRO EXERCITIIS SPIRITUALIBUS.

## Ordo diurnus.

Ante meridiem.

Hora.

- 5 **SURGITUR.** — *Preces matutinae privatim.*
- 5  $\frac{1}{2}$  \* **MEDITATIO.**
- 6  $\frac{1}{2}$  **REFLEXIO** de peracta meditatione per quadrantem. —  
Completo nimirum exercitio meditationis, discussio fit per quartam circiter horae partem in loco ipso, ubi facta est meditatio, vel alibi, ad videndum quonam modo meditatio successerit. Si male, inquiritur causa, cum poenitudine ac emendationis proposito; sin vero bene, gratiae aguntur Deo, et scribuntur paucis divina lumina, et proposita meditationis tempore concepta.
- 7 \* **SS. MISSAE** auditio, post quam jentaculum in refectorio pro libitu.
- 8  $\frac{1}{4}$  \* **RECITATIO** *Primae, Tertiae, Sextae et Nonae.*
- 9 \* **MEDITATIO.**
- 10  $\frac{1}{4}$  **REFLEXIO** per quadrantem.
- 10  $\frac{3}{4}$  **EXAMEN** status animae ex libello, *Examen ad usum Cleri.*
- 11  $\frac{1}{2}$  **PRANDIUM**, post quod brevis **ADORATIO** **SS. Sacramenti** in Ecclesia.

Post meridiem.

- 1 **LECTIO** spiritualis ex Imitatione Christi privatim.
- 1  $\frac{1}{2}$  \* **RECITATIO** *Vesperarum et Completorii.*
- 2 \* **CONSIDERATIO.**



Hora.

- 3  $\frac{1}{2}$  \* Recitatio *Matutini et Laudum* \*).  
 4  $\frac{1}{2}$  \* MEDITATIO.  
 5  $\frac{3}{4}$  REFLEXIO per quadrantem.  
 6  $\frac{1}{4}$  COENA.  
 7  $\frac{1}{2}$  \* CANTUS Ps. *Miserere* cum Benedictione.  
 8 \* PRAEPARATIO Meditationis crastinae.  
 8  $\frac{3}{4}$  \* PRECES vespertinae cum Examine Conscientiae.  
 9 DECUBITUS.

Signum (\*) indicat exercitium peragendum esse in ecclesia vel sacello.

Tempore libero, id est, cui nullum exercitium in ordine diurno assignatum est, potest quisvis pro libitu examinare statum suae conscientiae, vel cogitare de vita et functionibus sacris bene ordinandis, simul inquirere, qua ratione certum quoddam vitium exirpare aut virtutem adipisci queat: potest etiam confiteri sua peccata, aut dicere rosarium aliasve preces, aut visitationem SS. Sacramenti instituere, vel lectionem ex libello de Imitatione Christi. Commendatur quoque, ut eo tempore quisvis mente repetat, quae prius in meditatione consideravit, ut ea altius infigantur, aut etiam scripto notet, quae in meditatione maxime animum ad meliora stimularunt, aut quae statuit in posterum observare.

Toto SS. Exercitiorum tempore silentium religiose servandum.

Ad quaevis exercitia signo campanae domesticae vocabuntur.

## O R D O

### prima et ultima die exercitiorum.

**PRIMA DIE.** Matutino et Laudibus pro crastina die privatim recitatis, vespere hora 4  $\frac{1}{2}$  omnes ad signum campanae conveniunt in ecclesiam vel sacellum, ubi, exposito SS. Sacramento, recitatur alternatim hymnus *Veni Creator*, daturque Benedictio. Tum incipit **CONSIDERATIO** de recte peragendis Exercitiis. Hora coenae et reliqua ut caeteris diebus.

**ULTIMA DIE,** completa meditatione, statim incipit **SS. MISSAE** Sacrificium, sub quo Domini exercitantes accedunt ad S. Communionem. Post gratiarum actionem jentaculum sumi potest. Dein

\*) Aestate Matutinum et Laudes serius recitantur.

dato campanae signo, in ecclesiam vel sacellum conveniunt, ubi fit ultima **CONSIDERATIO**. Postea recitatur *Te Deum* et preces ad lucrandam indulgentiam plenariam; demum concluditur Benedictione cum SS. Sacramento. Ita mane hora fere 9., absolutis SS. Exercitiis, discedere licet.

#### NOTANDA.

Praeficitur aliquis, qui curabit suo tempore signa dari campanae, diriget recitationem breviarii, lectionem super mensam etc. Ad eum pro licentiis aut aliis rebus necessariis recurri potest.

Confessarii certi designantur, peculiaribus facultatibus muniti. Cum adest dies, qua confessiones incipiunt, fieri potest confessio quavis hora, excepto tempore Missae, meditationis et considerationis.

Quisvis Exercitia obiturus secum feret breviarum et libellum de Imitatione Christi.

Ex Imitatione Christi legi prae caeteris potest pro opportunitate:

I. Die, l. 1. c. 20.	IV. Die, l. 1. c. 23, 24.
II. Die, l. 1. c. 22.	l. 3. c. 12.
l. 3. c. 10, 34.	V. Die, l. 2. c. 11.
l. 4. c. 5. et 11. n. 6. etc.	l. 3. c. 18, 56.
III. Die, l. 1. c. 21.	VI. Die, l. 3. c. 21, 47, 48.
l. 3. c. 14, 52, 55.	

#### M o n i t a.

Juvat subtexere ex libro Exercitiorum S. IGNATII et ex Directorio aliquas annotationes ad exercitia bene peragenda perutiles \*).

\*) Librum Exercitiorum S. Ignatii vocabat S. Carolus Borrom. *bibliothecam per amplam in libelli unius epitome coactam, ex quo plura ipse intelligeret, quam ex caeteris omnibus discere posset*. Paulus III. omnia et singula, in eo contenta, ex certa scientia approbavit, collaudavit et scripti patrocinio ad perpetuam rei memoriam communivit; eaque enunciat esse *pietate ac sanctitate plena, et ad aedificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria*.

Post librum S. Ignatii *Directorium* tradendorum Exercitiorum maxima pollet auctoritate. Fuit illud prius summo studio confectum a quibusdam antiquioribus Patribus Societatis Jesu, dein in omnes Societatis provincias missum, ut ubique locorum peritiores hac in palaestra Patres experientia duce dispicerent, an aliquid addi, aut detrahi, vel etiam commodius dici posse videretur. Tandem in quinta Congregatione Ge-

§. 1. *Quomodo dispositus esse debeat, qui ad Exercitia facienda accedit.*

Ex libro S. Ignatii:

Mirum in modum juvatur, qui suscipit Exercitia, si magno animo atque liberali accedens, totum studium et arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se, suisque omnibus id statuatur, in quo ipsi potissimum servire possit, juxta ejusdem beneplacitum. (Annotat. 5.)

Quanto se magis reperit anima segregatam ac solitariam, tanto aptiorem se ipsam reddit ad quaerendum, attingendumque Creatorem et Dominum suum: ad quem insuper, quo propius accedit, eo melius ad suscipienda bonitatis Divinae dona disponitur. (Annotat. 20.)

Ex Directorio.

Qui ad Exercitia agenda aggreditur primo eniti debet, ut intelligat quanta sit res, quam aggreditur; nempe quae non solum ad animam pertineat, sed ita pertineat, ut si modo ea diligenter praestet quae debet, jacturus sit fundamenta spiritualis sui profectus, quae deinde tota ejus vita usui futura sint. Ex quo intelligat, quantam alacritatem et diligentiam et fortitudinem etiam, ad tantum opus, tantumque negotium afferre debeat. Itaque statuatur ipse secum viriliter agere, et omnia impedimenta Divinae gratiae rejicere, et omnes animi sui vires intendere, ut huic gratiae cooperetur, et se ad eam recipiendam quam poterit optime disponat.

Hanc ob causam ab omnibus aliis negotiis domesticis prius se expediat, vel certe ea aliis interim committat, ac toto tempore omne sibi amicorum ac familiarium, imo etiam nuntiorum aut litterarum commercium interdicit. Haec enim mentem implere solent variis cogitationibus, quae deinde magnopere distrahunt, et conceptum, si quis est, fervorem restinguunt. Imo vero omnem etiam aliam cogitationem de quavis alia re excludere curet, perinde ac si nullum aliud negotium in hoc mundo haberet.

Habeat deinde magnam spem in Domini bonitate et liberalitate,

---

nerali a Patribus, hunc in finem deputatis, diligenter atque exacte discussum, iterumque a R. P. Generali Claudio Aquaviva Patribusque assistentibus accurate perpensum, postremo, quale nunc est, typis excussum est, ut iis potissimum, qui Exercitia traditari sunt, inserviat.

qui, cum etiam errantes requirat, et fugientes sequatur, multo magis, qui ad se bono animo accedunt, recipiet, et complectetur. Quare confidat in illa infinita clementia, quae cum pium illud desiderium dederit, dabit etiam gratiam ac vires exequendi bene ac fructuose: siquidem ejus voluntas est sanctificatio nostra.

Inter caetera vero, ita etiam animo constitutus esse debet, ut libenter et avidè exercitia haec aggrediatur, non tam ut spiritali dulcedine fruatur, quam ut Dei voluntatem de se intelligat: suumque affectum a terrenis omnibus avellat, et eum in suo Creatore collocet. Illud vero maxime necessarium, ut praeter hoc desiderium proficiendi in spiritu, sit etiam bene resignatus in beneplacito Dei, in iis in quibus adhuc liber est: itaque animo paratus sit, ut quidquid a Deo cognoverit faciendum esse, omnino exequi decreverit.

Quare non debet quisquam deliberationem aliquam secum afferre, a qua dimoveri nolit. Deinde non debet etiam modum ac terminum ipse ponere Dei donis, ita ut usque ad quosdam limites se illuminari ac juvari velit, non autem amplius. Nam praeterquam quod valde indecens est, ut creatura hoc modo agat cum suo Creatore, valde etiam sibi ipsi nocet: quia se ipsum privat illis majoribus donis, quae Deus fortasse daturus erat; deinde, quia illa ipsa illiberalitas, et restrictio, et ingratitude in Deum, meretur, ut ne ea quidem accipiat, quae vellet accipere. Quare debet potius animi sinum dilatare, ut quam maxime possit, sese cum Deo conjungere et quam maxime ab eo ditari et locupletari thesauris istis coelestibus desideret.

§. 2. *Regulae aliquot ad motus animae, quos diversi excitant spiritus, discernendos, ut boni solum admittantur, et pellantur mali \*).*

PRIMA regula est, quod illis, qui facile peccant lethalter, et peccatum peccato addunt, fere solet inimicus noster illecebras carnis et sensuum delectationes objicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. Spiritus vero bonus e contrario, conscientiam illorum pungit assidue et per synderesis, rationisque officium a peccando deterret.

SECUNDA, quod aliis hominibus, qui se a vitiis et peccatis

\*) Ex libro Exercitiorum S. Ignatii.

urgandos curant sollicite, et in obsequii Divini studio magis ac magis in dies promovent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, et alias id genus perturbatio- nes, quibus profectum illum impediat. Spiritui autem bono, ex opposito, proprium consuetumque est, recte agentibus animum ac vires addere, consolari, devotionis lacrymas ciere, illustrare mentem, et tranquillitatem dare, sublatis obstaculis omnibus, ut expeditius alacriusque per opera bona semper ultra tendant.

**TERTIA**, quod spiritualis proprie consolatio tunc esse noscitur, quando per internam quamdam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec jam creaturam ullam, nisi propter ipsum potest diligere. Quando etiam lacrymae funduntur, amorem illum provocantes, sive ex dolore de peccatis profluant, sive ex meditatione Passionis Christi, sive alia ex causa qualibet, in Dei cultum et honorem recte ordinata. Postremo, consolatio quoque dici potest, fidei, spei, et charitatis quodlibet augmentum. Item laetitia omnis, quae animam ad coelestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem et pacem cum Domino habendam, solet incitare.

**QUARTA**, quod spiritualis e contra desolatio vocari debet, quaevis animae obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infimas, seu terrenas: omnis denique inquietudo et agitatio, sive tentatio trahens in diffidentiam de salute, et spem, charitatemque expellens. Unde se anima tristari, tepescere, ac torpere sentit, et de ipsius Dei Creatoris sui clementia prope desperare. Sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam quae ab utraque oriuntur cogitationes, sunt inter se prorsus oppositae.

**QUINTA**, quod tempore desolationis nihil deliberandum, aut innovandum est circa propositum animi, aut vitae statum, sed in eis perseverandum, quae fuerant prius constituta, puta praecedente die, vel hora consolationis. Quemadmodum enim in consolatione bonus spiritus nos magis regit, ac dirigit: ita in desolatione malus, cujus instigatione, et consiliis nihil rectum decernere possumus.

**SEXTA**, quod tametsi desolatione affectus homo, priora sua consilia minime debet immutare; expediet tamen provideri, et *sugeri ea, quae contra desolationis impulsum tendunt: qualia*

sunt, insistere orationi, cum discussione sui, ac poenitentiae aliquid assumere.

**SEPTIMA**, quod quamdiu premimur desolatione, cogitandum est, nos interim relinqui a Domino nobis ipsis, probationis causa, ut per naturales quoque vires, insultibus inimici nostri obsistamus. Id quod possumus haud dubie assistente nobis praesidio Divino, quod semper manet, licet tunc nequaquam sentiatur, eo quod fervorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit, relicta nihilominus gratia, quae ad bene operandum, et ad consequendam salutem, satis esse queat.

**OCTAVA**, quod hominem, tentatione pulsatum, mire juvat patientiae servandae studium, ut quae vexationibus hujusmodi proprie opponitur, et e diametro resistit. Accersenda etiam spes est, et cogitatio adfuturæ brevi consolationis: si praesertim persanctos conatus, in sexta regula signatos, desolationis impetus frangatur.

**NONA**, quod causae desolationis tres sunt praecipuae. Prima, quia propter nostram in spiritualibus studiis seu Exercitiis tepiditatem atque acediam, consolatione Divina merito privamur. Secunda, ut probemur, quinam sumus, et quomodo in Dei servitium et honorem, absque praesente quodam consolationum, donorumque spiritualium stipendio, nosmet impendimus. Tertia, ut certi plane simus, nostrarum virium non esse, vel acquirere, vel retinere fervorem devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrymarum, aut aliam quamlibet internam consolationem: sed omnia haec gratuita esse Dei dona, quae si vindicemus nobis ut propria; superbiae et vanae gloriae crimen, non sine salutis gravi periculo, incursumus.

**DECIMA**, quod fruenti homini consolatione, prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit, desolatione deinceps occurrente: ut jam inde acrimoniam et robur animi mature comparet, ad impetum ejus reprimendum.

**UNDECIMA**, ut ille idem, affluente consolatione, se ipsum deprimat, ac vilifaciat quantum potest, reputando secum, quam imbellis, quamque ignavus esse apparebit, desolatione impugante, nisi per gratiae et consolationis Divinae opem cito sublevetur. Contra vero ille, quem desolatio molestat, aestimare debet cum Dei gratia, se posse plurimum, facileque adversarios suos omnes

devicturum esse, dummodo in Dei virtute collocet spem suam, et animum suum corroboret.

**DUODECIMA**, quod hostis noster, naturam et morem muliebrem refert, quoad imbecillitatem virium et animi pervicaciam. Nam sicut femina cum viro rixans, si hunc conspexerit, erecto et constanti vultu sibi obsistere, abjicit illico animum ac terga vertit: sin vero timidum, fugacemque esse animadverterit, in extremam surgit audaciam, et in illum ferociter invadit. Itidem consuevit daemon, animo et robore plane destitui, quoties spiritualem athletam, corde imperterrito ac fronte ardua tentationibus videt reluctari. Sin autem trepidet ad primos impetus sustinendos, et quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram inimico illo tunc efferatior, acrior et pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra malignae obstinataeque mentis suae desiderium adimpleat.

**DECIMA TERTIA**, quod idem inimicus noster morem insequitur nequissimi cujuscumque amatoris, qui puellam honestorum parentum filiam, vel uxorem viri alicujus probi volens seducere, summo opere procurat, ut verba et consilia sua occulta sint, nihilque reformidat magis ac aegre fert, quam si puella patri suo, vel uxor marito illa patefaciat, cum sciat hoc pacto de votis et conatibus suis actum esse. Ad eundem modum obnixae satagit diabolus, ut anima, quam circumvenire cupit ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas. Indignatur vero maxime, et gravissime cruciatur, si cui vel Confessionem audienti, vel spirituali homini molimina sua detegantur, a quibus ita excidere se funditus intelligit.

**DECIMA QUARTA**, quod solet etiam adversarius imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare atque depraedari cupiens, explorata prius natura et munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum et ille circuit animam, et callide inquirat, quarumnam virtutum praesidiis, moralium scilicet, aut theologiarum, ipsa vel munita vel destituta sit: eaque potissimum parte machinis omnibus admotis irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minus caeteris firmatam custoditamque esse praeviderit.

### §. 3. *Quae commendanda sunt ei, qui absolvit Exercitia* \*).

Ad conservandam et alendam devotionem jam conceptam piis et spiritualibus exercitationibus, haec potissimum commendari poterunt. 1) Ut conservet usum meditandi quotidie per dimidiatam horam aut etiam integram, si fieri poterit. 2) Ut singulis diebus faciat examen conscientiae per quartam horae partem. 3) Ut octavo quoque die confiteatur et communicet. 4) Eligat aliquem Confessarium stabilem, eumque accipiat ut ducem hujus spiritualis itineris, et cum eo tractet omnia, quae ad suam animam pertinent. 5) Legat saepe pios libros, et habeat bonorum hominum

conversationem, malorum autem fugiat summopere. C) Curet proficere quotidie in virtutibus praesertim in humilitate, patientia et charitate. Et in summa nitatur ipse quoque ad eam summam perfectionem, quam in suo statu et juxta mensuram divinae gratiae acquirere poterit. Haec autem sunt fere generalia. Alia sunt deinde, quae juxta cujusque professionem aut statum aut particularem indigentiam addi poterunt.

### Brevis meditandi Methodus.

#### *Praeparatio remota.*

Remove obstacula, spiritum hujus mundi, mentis dissipationem etc. Adhibe virtutes oppositas, spiritum humilitatis, mortificationis, orationis etc.

#### *Praeparatio proxima.*

Praelege meditationem pridie. Expergefactus primo cogita de meditatione facienda. Cogitationes conformes fove. Accede animo tranquillo.

#### I n i t i u m.

Deum praesentem cogita — adora — pete gratiam bene orandi.

*Praeludia.* { 1. Mysterium contemplandum ob oculos pone, ac si coram te ageretur.  
2. Fructum e meditatione eruendum pete.

#### M e d i u m.

*Memoria* materiam meditationis in mentem revocat.

*Intellectus* perpendit:

1. Quae veritas consideranda?
2. Quae conclusio practica ex veritate deducenda?
3. Quae motiva ad conclusionem practicam servandam inducunt? (Quam decens, utile, jucundum, necessarium?)
4. Quomodo id hactenus observatum?
5. Quid in posterum faciendum?
6. Quale impedimentum removendum?
7. Quale medium eligendum?

*Voluntas* 1. affectus excitat per totam meditationem corde plusquam ore, ex. gr. laudis, gratiarum actionis, admirationis, confusionis, doloris, deprecationis, amoris etc.

2. proposita format particularia, practica, accomodata praesenti necessitati, fundata in motivis solidis.

#### F i n i s.

*Colloquium* ad B. Virginem — Jesum Christum — Patrem coelestem, uti filii ad Patrem — servi ad Dominum — amici ad Amicum — aegri ad Medicum — oviculae ad Pastorem etc.

*Tessera* seligenda ex S. Scriptura vel SS. Patribus, per diem repetenda, ut meditationis fructus servetur.

A. M. D. G.

Lipsiae, impressit Bernh. Tausnitz jun.





